FLETA, SEU COMMENTARIUS JURIS ANGLICANI SIC NUNCUPATUS, SUB EDWARDO...

John Selden




NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
13
5 C
22

FLETA,

SEU

COMMENTARIUS Juris Anglicani

SIC NUNCUPATUS,

SUB

EDWARDO

REGE PRIMO,

SEU

Circa Annos abhinc CCCXL. ab Anonymo conſcriptus, atque è Codice veteri, Autore ipſo ipſo aliquantulùm recentiori, nunc primùm Typis Editus.

ACCEDIT

Tractatulus vetus de Agendi Excipiendi Formulis Gallicanus, *FET ASSAVOIR* dictus.

Subjungitur etiam *JOAN. SELDENI* ad *FLETAM* Diſſertatio Hiſtorica.

Editio Secunda, multis Erroribus purgata.

LONDINI,
Typis *S. R.* Proſtant apud *H. Twyford*, *T. Baſſett*, *J. Place*, & *S. Keble*, Bibliopolas in Vicis *Fleetſtreet* & *Holborn* vulgò vocatis, 1685.

FLETÆ Autoris Procemium.

Regiam potestatem non solum Armis contra rebelles & gentes sibi regnoque insurgentes oportet esse decoratam, sed Legibus ad subditos populosque pacificos regendos decenter ornatam esse ut utraque tempora Pacis scilicet & Belli, ita feliciter transigat, ut effrenatorum indomitorumque dextra fortitudinis elidendo superbiam, & humilium mansuetorumque æquitatis virgâ moderando justitiam, tam in Hostibus rebellandis semper victoriosus existat, quam in Subditis tractandis æqualis jugiter appareat. Quam eleganter aut quam strenuè, quam callidè hostiumque obviando malitiis excellentissimus Rex noster Edwardus *hostilitatis tempore armatam exercuerit militiam, nemini venit in dubium cum jam in omnem terram exierit laus ejus, & in omnes fines terræ magnalia ejus, & intonuerunt longe lateque mirificè verba sua in terminis orbis terræ. Quis verò posset amplo famine præpotens ejus amplæ preconia laudis exprimere, cujus ab tempore naturæ cunabilis gesta conspicua memorabilibus sunt commendanda perpetuis, & cujus ætate crescente & tempore facta magnifica calamo sunt exaranda codicibus; sed celte potius sculpenda scilicibus ad memoriam futuorum. Quis unquam possit explicare sermonibus gratiarum uberes dotes ejus, qui statura decorus placet aspectibus, speciosus forma præ filiis hominum? Desideratur à gentibus, qui trahit effluentia largitatis ut adamas; qui sic apparet in oculis omnium gratiosus, ut favorem quasi possideat omnis carnis. Porro linguæ deficiunt, ora subcumbunt, labia tremefiunt, & facundia sub ticet Tulliana. Hic est enim de quo scriptum est,*[a] aquila grandis magnar̄ alar̄, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate. *Et hic est cujus emissa de pharetra nunquam rediit sagitta retrorsum, cujus gladius eductus ut perderet non est reversus inanis, dum sic incessanter dimicaret in hostes ut magnificus semper inbecillis*[b] *actibus triumphator. Surgite igitur ô animosi & juvenes bellicosi, explicate vexilla, clangite tubis, & festum agite tanto regi, qui viriliter sumens ab adolescentia sua scutum & ad viriles annos usque perveniens indefictè*[c] *pugnavit & strenuè pro jure suo Si quis ergo addiscere prælia concupiscit, festinus regem hunc adeat qui docet manus imperitas ad prælium & humeros pulcre parat ad sarcinas ponderum bellicorum. Hic revera etiam est quem summi manus artificis formavit in hominem qui sub libra mansuetudinis & lenimento clementiæ cuncta deliberans, utpote pacis amicus, caritatis patronus, juris conditor, potentiæ filius populum sibi subditum perpetua ratione gubernat pacis ligans fœderibus universa, ut prava indirecta & aspera in vias sint planas, ima summis summaque imis arte quadam mirabili coæquando; & cum magnum ita judicet sicut parvum, non est apud eum accceptio muneris vel personæ. Quam justè, quam misericorditer, quam*

[a] Ezek. 17. 3.

[b] l. in bellicis.

[c] l. indefesse aut indiflex

discretè erga subditos suos tempore pacis ipse pacis auctor & amator se habuit non ambigitur, cum tantæ æquitatis sit suæ celsitudinis curia, quod in ea nullus Judicium tam attritæ frontis, tam temerariæ sit præsumptionis quod à justitiæ tramite aliquatenus declinare aut veritatis excedere præsumat. Ibi enim non opprimitur [d] *adversarii potentia, nec à limitibus judiciorum propellit quenquam amicorum favor vel gratia. Legibus namque regni & consuetudinibus de ratione introductis & diu optentis, & quod laudabilius est, talium virorum licet subditorum non dedignatur regi consilio, quos morum gravitate in peritia juris & regni consuetudinibus de ratione introductis peritissimos suæ sapientiæ & eloquentiæ prærogativâ alios noverit præcellere, & ad causas, mediante justitia, determinandas & lites diffiniendas & determinandas nunc severiùs nunc mitius agendo prout viderint expedire ipsis rerum argumentis comperit esse cum ratione promptissimos. Sub ejus namque temporibus, quæ sibi Dominus in tempora feliciter longiora prolonget, fomenta malitiæ destruuntur, virtutum germina hinc inde pullulant, in spicis grana fructiferunt & pacis horrea locupletantur, ita quod lanceæ vertuntur in falces, gladii conflantur in vomeres & quicquid effrenis audet & immoderata præsumit ambitio suæ potentis auctoritatis censura castigat, Leges autem* Anglicanas *licet non scriptas, leges appellari non est absurdum, cum hoc ipsum Lex sit,* Quod Principi placet [e] Legis habet vigorem; *eas scilicet quas super dubiis in consilio diffiniendis Procerum quidem concilio & Principis auctoritate accordante vel antecedente constat esse promulgatas. Si enim ob solum scripturæ defectum Leges minimè censerentur, majoris proculdubio auctoritatis robur ipsis Legibus videretur accommodare Scriptura quam Decernentis æquitas aut ratio Statuentis. Leges autem & jura regni universaliter scripto conduci nostris omnino temporibus impossibile quidem est tum propter scribentium ignorantiam, tum propter eorum multitudinem confusam. Verumtamen sunt quædam generalia in curiis & frequentius usitata quæ scripto commendare non mihi videtur præsumptuosum; & pro pluribus perutile est & ad juvandam memoriam admodum necessarium. Horum itaque particulam quandam in scriptis redigere decrevi stylo vulgari verbisque curialibus utens ex industria ad eorum notitiam operandam eis qui in hujusmodi vulgaritate minus sunt excercitati. Non igitur debet hujusmodi labor cuiquam vel multo indocto videri superfluus cum multis inpigris multisque indoctis (inter quos etiam & mihi sit necessarius) brevi volumine complicans* [f] *justorum judicia; ut non sit necesse quærenti librorum capitulorumque numerositatem evolvere, cum brevitas collecta quod quærit offert sine labore. Tractatus autem iste qui* Fleta *merito poterit appellari quia in* Fleta *de jure* Anglicorum *fuit compositus, in Tres partes dividitur principales. Prima quidem de Carta libertatum* Angliæ *& Statutis. Secunda de Personalibus, & Tertia de Realibus Actionibus ordinatur. Et cum Personales multiplices sint, est despiciend' secundo de Criminalibus. Nec solum peritum desidero lectorem, sed etiam libri correctorem : & utinam tot essent inventores quot sunt contradictores. Ut autem quod quæritur facilius occurrat, Titulos quibus singulorum Librorum Capitula distinguuntur in hunc modum duxi præmittendos.*

(d) *l. opprimit,*

(e) De effato hoc Juris Cæsarei unde sumtum est, consulas Dissertationem subjunctam. pag. 469. & seq.

(f) *l. complicet,*

Liber.

INDEX.

Liber Primus.

	Cap.
DE Personis.	1
de Libertate.	2
de Servitute.	3
de Ingenuis.	4
de Differentia Puerorum.	5
de Patria Potestate.	6
quibus modis solvitur jus potestatis.	7
de Sokemannis.	8
de Tutelis.	9
de Magna Serjantia.	10
de Parva Serjantia.	11
de Vasto & Destructione.	12
de Maritagiis.	13
de Legitimis.	14
de partu Supposito.	15
de Actionibus Criminalibus.	16
de Justiciariis substituendis.	17
de Coronatoribus.	18
de Processu coram Justiciariis itinerantibus.	19
de Capitulis Coronæ & Itineris.	20
de Crimine læsæ Majestatis.	21
de Crimine falsi.	22
de Homicidio.	23
de Pacis conservatione.	24
de Officio Coronatoris.	25
de Prisonis.	26
de Fugitivis.	27
de Utlagariis.	28
de Abjurationibus.	29
de Murdro.	30
de Appellis homicidii.	31
de defensione Appelli.	34
de Apello Fœminæ.	35
de Infortuniis.	36
de Combustione Domorum.	37
de Furto.	38
de Robberia.	39
de Mahemis.	40
de Plagis & Plagatis.	41
de Prisonis.	42
de Libertatibus.	43
de Wrecko.	44
de Sturgione.	45
de Balæna.	46
de Weyvio, & expositione diversarum libertatum, ut Infongthef, & aliis similibus.	47
de fine Itineris.	48

Liber Secundus.

	Cap.
DE Personalibus actionibus civilibus.	1
de Differentiis Curiarum.	2
de placitis Aulæ Regis.	3
de officio Marescalli Forinseci.	4
de officio Marescalli tempore Pacis.	5
de Privilegiis Camerarii.	6
de Feodo Camerarii.	7
de officio Clerici Mercati.	8
de Assisa panis & cerviciæ.	9
de lucro Pistoris.	10
de Assisa Cervisiæ.	11
de Pondere & Mensura.	12
de Cancellaria.	13
de hospitio Regis, viz. Thesaurar'.	14
de officio Marescalli Aulæ.	15
de officio Hostiarii.	16
de officio emptoris.	17
de officio Clerici Coquinæ.	18
de officio Cler' Panetr' & Butel.	19
de officio Clerici Mar. equorum,	20
de officio Servientis Summarij.	21
de officio Pincernæ.	22
de officio Eleemosinarii.	23
de officio Janitoris.	24
de curia Scaccarii, & ejus ministris.	25
de Thesaurario.	26
de Baron. Scaccarii.	27
de officio Camerariorum Scaccarii.	28

Officium

INDEX.

	Cap.
Officium Cancellarii.	29
de officio Mareschalli.	30
de Constabulario.	31
Constitutio Scaccarii de Ballivis.	32
Statutum de debitis Regis receptis & acquietatis.	33
de Justiciariis de Banco,	34
de diebus constitutis in Banco.	35
de Clericis.	36
de Narratoribus.	37
de Virgatoribus.	38
de Custodibus Hostiorum.	39
de Forresta Regis.	40
de Veteribus Capitulis Forestæ.	41
de sententia super Statuta.	42
de Curia Regis in Comitatu.	43
de Captione Averiorum.	44
de termino in districtionibus constituto.	45
Quod Ministri Regis nil capiant pro officio suo faciendo.	46
Si averia detineantur in Castro Regis.	47
Per quæ averia non debet quis distringi.	48
Exceptiones in captionis actione	49
de Medio.	50
de nativis Regis recuperandis.	51
de Curia Regis in turnis Vicecomitum & alibi.	52
de Curia Baronium.	53
de ordine excipiendi.	54
Curiæ Regis in burgis & in civitatibus.	55
de actione debiti.	56
de Testamentis.	57
de emptionibus & venditionibus.	58
de locato & conducto.	59
de obligatione oriente & quasi contractu.	60
de exceptionibus coram Senescallo & Marescallo.	61
de remediis in actione debiti,	62
Exceptiones in Debitis.	63
de debitoribus & Creditoribus.	64
de Districtionibus generalibus.	65
de remediis Districtionum profectis.	66
de Malitiis Vicecomitũ obviandis.	67
Quæ mobilia dici debent exitus.	68
de excusationibus Vicecomitum.	69
de compoto reddendo per breve.	70
Doctrina Servientium.	71
de officio communis Senescalli.	72
de officio Ballivi.	73
de Marescallo.	74
de Coquo.	75
de Proposito.	76
de Cultoribus.	77
de Fugatoribus Carucarum.	78
de Pastoribus.	79
de custodia Porcorum.	80
de tempore Autumnali.	81
de exitibus grangiarum.	82
de offico Pistoris.	83
de Messore.	84
de Carrectario.	85
de Vaccario.	86
de Caseatrice.	87
de auditoribus Compotorum.	88

Liber Tertius.

	Cap.
De rerum acquisitionibus.	1
de Accessionibus.	2
de Donationibus.	3
de Donatione facta pluribus.	4
Quibus dare inhibetur, statutum Religiosorum.	5
Quæ dari poterit, & quæ non.	6
Quæ sunt necessaria in donationibus.	7
de Donatione simplici.	8
de Donatione conditionali.	9
de Eschaetis & earum membris.	10
de Donationibus in Maritagiis.	11
de Reversionibus, & earum impedimentis.	12

de

Cap.
de Donationibus servis factis. 13
de distinctione chartarum, & diversitate servitiorum. 14
de Traditionibus, & Usucaptionibus. 15
de homagiis, & eorum membris. 16
de Releviis. 17
de Heriettis. 18

Liber Quartus.

Cap.
DE rerum Actionibus. 1
de Remedio Spoliationis. 2
Quibus non competit Assisa. 3
de vi simplici & armata. 4
de Brevi Novæ Disseisinæ. 5
de modo Videndi in tenementis. 6
de Intentione querentis. 7
de Exceptionibus contra Juratores. 8
de Veredicto Juratorum. 9
de Exceptionibus injustè propositis & aliis. 10
de Exceptionibus status. 11
de Exceptione ratione adjuncti. 12
de Exceptione ex persona pet. 13
de Exceptionibus judicialibus. 14
Cadit assisa. 15
Qualiter assisa vertitur in juratam. 16
Quæ impediunt restitutionem. 17
de Pertinentiis. 18
de Communia Pasturæ Statutum. 19
Qualiter dissolvitur Communia. 20
de Processu per visum. 21
de Exceptionibus generalibus pro eadem & specialibus. 22
de Admensur' Pasturæ. 23
Quo jure. 24
de rationabili Estoverio. 25
de nocumentis servitutibus injuriosis. 26
de nocumentis pertinentiarum. 27
de Exceptionibus. 28
de Redisseisinis. 29

Cap.
de Intrusione. 30
de Firmis & rerum actionibus. 31

Liber Quintus.

DE Morte Antecessoris. 1
de Brevi Mixto. 2
de Summonitione. 3
de Warantiis. 4
de Exceptionibus. 5
de Impedimentis Assisa & de Cadit assisa. 6
de assisa de Consanguinitate. 7
de Exceptionibus. 8
de actione mixta. 9
Quod permittat de communia pasturæ, & de exceptionibus super eadem. 10
de assisa ultimæ Præsentationis 11
de Juratoribus Assisæ. 12
de Exceptionibus querentis. 13
de Exceptione Deforciantis. 14
Casus super eisdem. 15
Quare impedit. 16
de Statutis super eisdem. 17
de Exceptionibus. 18
de Incumbramentis. 19
de assisa de Utrum. 20
de Exceptionibus. 21
de convictionibus, videl. Juramantis, 22
de Constitutione Dotis. 23
de assignatione Dotis. 24
de actione Dotis. 25
de Exceptione. 26
de Warantiis. 27
de Exceptionibus. 28
de Exceptionibus contra Dotem de assensu. 29
de Exceptione ex pluralitate mulierum. 30
de Exceptionibus tenentis vel Waranti. 31
de Recto de Dote. 32

de

	Cap.
de Exceptionibus.	33
de admensuratione Dotis.	34
de Ingressu,	35
de Progressu,	36
de Exceptionibus,	37
de Consuetudinibus & Servic',	38
de Responsione super eisdem,	39
Ne Vexes,	40
de rationabilibus Divisis,	41

Liber Sextus.

	Cap.
DE propinquitate Hæredum.	1
de gradibus successionis & parentelæ, & de linea Consanguinitatis.	2
de Defectibus Curiarum Dominorum.	3
de Warrantiis in Comitatu.	4
de translatione loquelæ ad Bancum.	5
de Summonitionibus.	6
de causis Excusationum.	7
de Essoniis de ultra mare.	8
de Essoniis de malo veniendi.	9
de Essonio de malo lecti.	10
de apparitione ad Castrum.	11
de Essonio participum.	12
de Essonio de malo Villæ.	13
de districtionibus realibus pro Defaltis.	14
de defaltis in actione Simplici.	15
de Narratione.	16
de Narratione Participum.	17
de Narratione Abbatum.	18
de Narratione versus plures.	19
de Erroribus narrationis.	20
de Visu.	21
de brevibus Visuum.	22
de Warrantiis.	23
de brevibus judic' Warrantiæ.	24
de defaltis in Warrantiis.	25
de Warrantis Warrantorum.	26
de Obligatis ad Warrantiam.	27
de Warrantia ratione homagii.	28
de Exceptionibus.	29
de Suspensionibus.	30
de Vocatis extra Regnum.	31
de Warrantiis proprietariorum.	32
de fide Cartarum.	33
de Probatione Cartarum.	34
de Warrantia Cartæ.	35
de Exceptionibus.	36
de Exceptione contra Jurisdictionem.	37
de Exceptionibus contra personam querentis in generali.	38
de Bastardiis.	39
de petente fatuo, surdo, leproso, & furioso.	40
de exceptione feloniæ.	41
de habitu Religionis assumpto.	42
de Exceptione de minori ætate.	43
de Resummonitionibus.	44
de Exceptione ex persona petentis.	45
de exceptione mutationis Status.	46
de exceptione Spolationis.	47
de Exceptione ex omissione participis.	48
de exceptione ex persona propria.	49
de exceptione ad actionem.	50
de Manerio & mansionibus.	51
de semiplena Jurisdictione.	52
de exceptione ratione taciturnitatis.	53
de Excusationibus.	54
de tempore præscripto.	55

FLETA.

FLETA.

De Personis. CAP. 1.

PLacitorum aliud personale, aliud reale, aliud mixtum; sed priusquam ad realia occurramus, de jure personarum priùs intentemus; nam parùm est jus nosse, si personæ, quarum causâ statutum est, ignorentur. § 2. Summa itaque divisio personarum hæc est, quòd omnes homines aut liberi sunt aut servi, nec de ascriptio habetur instantia, nam villenagium vel servitus ei qui liber est nihil aufert libertatis, nec liberum tenementum villano aliquid confert libertatis, quamvis de facto cum de jure non possit quandoque per exceptionem alicujus privilegii contra dominum suum petentem ipsum in nativum.

De Libertate. CAP. 2.

EST autem libertas naturalis facultas ejus quod cuique facere libet, nisi quod de jure aut vi prohibetur: Alio modo dicitur libertas evacuatio servitutis, quia rectè contrario modo se habent.

De Servitute. CAP. 3.

EST quidem servitus libertati contrarium; Item constitutio quædam de jure gentium, quâ quis domino alieno contra naturam subjicitur; & dicti sunt servi à servando, & non à serviendo: Solent enim principes hujusmodi captivos vendere & non occidere, & ideo servare; dici etiam possunt mancipia, eo quòd ab hostibus suis manucapiuntur. § 2. Servi autem aut nascuntur aut fiunt; Nascuntur quidem ex nativo & nativa solutis vel copulatis, & ejus erit servus in cujus potestate nasci contigerit, dum tamen de soluta nativa, domini loci, quia sequitur conditionem matris, à quocunque fuerit genitus, libero vel nativo. Si autem copulati fuerint, & genitus fuerit partus à libero, licet à nativâ, partus erit liber; & si de servo & libera in matrimonio, servus erit. § 3. Fiunt autem homines servi de jure gentium captivitate: bella enim orta sunt, & captivitates sequutæ; Fiunt etiam de jure civili per confessionem in curia fisci factam, vel cum quis servus clericus vel monachus efficitur, & sic in statu libero; si ad secularem vitam redierit, restituendus est domino ut servus suus, quia omnium servorum una est conditio substantialis. Quicunque enim servus est, ita est servus, sicut alius, nec plus nec minus: § 4. In servorum enim conditione nulla differentia est; In liberis autem multæ sunt differentiæ, quia quidam sunt ingenui, & quidam libertini.

De Ingenuis. CAP. 4.

INgenuus dici poterit, qui statim ut natus est, liber est, sive ex duobus ingenuis sive ex duobus libertinis, vel altero libertino & altero ingenuo, sive

nascatur ex nativâ & libero copulatis, sive ex libero & servo salutis; & quo casu sufficit matrem esse liberam & solutam tempore conceptionis partus, vel tempore medio, licèt post conceptionem matrimonialiter contraxerint, quia non debet calamitas matris nocere ei qui in utero est. Et fiunt liberi, qui dicuntur libertini; servi, cum ex servitute justa manumissi sunt; & dicitur libertinus, quasi à servitute liberatus: manumissio autem est datio libertatis vel detectio, quia libertas quæ est de jure naturali, per jus gentium auferri non poterit, licet per jus gentium fuerit obfuscata.

De differentia Puerorum. CAP. 5.

NAti autem ex coitu dampnato, sicut in adulterio & hujusmodi, aliique ex coitu geniti dampnato, nec ii, qui contra formam humani generis, converso more procreantur, ut si mulier monstrosum aut prodigiosum fuerit enixa, inter liberos non computentur. § 2. Partus tamen cui natura aliquantulum membra ampliaverit vel diminuerit, non tamen superabundanter, ut si sex digitos, vel nisi quatuor habuerit, bene debet inter liberos connumerari. § 3. Est etiam quædam divisio hominum, quod alii masculi, alii fœminæ, & alii hermaphroditæ; hermaphrodita enim tam masculo quàm fœminæ cōparatur, secundùm prævalescentiam sexus incalescentis. § 4. Hominum autem quorumcunque nulla est apud Deum acceptio, sed apud homines habetur differentia; eo quod quidam tantum in spiritualibus imperant, & quidam in temporalibus: In spiritualibus verò, utpote dominus Papa, sub quo sunt constituti Archiepiscopi & Prælati; & in temporalibus Imperator, sub quo sunt Principes & Reges, & sub Regibus Comites & Barones, Duces, Milites, Magnates, Vavasores, & alii Subditi, ut liberi & servi, qui omnes ætatem XII. annorum ad minus habentes, ferre tenentur Regi fidelitatis Sacramentum, alioquin non habebunt warrantum in terrâ ejus remanere: Parem autem non debet Rex in Regno suo habere, quo minus præcepta sua teneantur, cum par in parem imperium non habeat; nec superiorem habere debet in regno, nisi Deum & legem: Et quia per legem factus est Rex, dignum est quod dominatio & potestas legi attribuatur, & per ipsum tueatur cui lex honorem tribuit & potestatem: Malè autem regis cum in eo dominetur voluntas legi dissona. § 5. Sequitur alia divisio hominum; nam quædam personæ sui juris sunt: Rursus, earū quæ alieno juri subjectæ sunt, aliæ in potestate parentum, aliæ in potestate dominorū sunt. Videamus itaque de iis qui alieno juri subjecti sunt; nam si cognoverimus quæ istæ personæ sunt, simul intelligemus qui sui juris sunt. § 6. In potestate itaq; dominorum sunt servi; quæ quidē potestas de jure gentiū est, quæ aliquando ad vitam & mortē se extendebat; sed hodiè coarctata est hujusmodi potestas per jus civile sic, qui enim servum suum occiderit, non minùs puniri jubetur quam si alienum interfecerit: nec liceat hujusmodi dominis ultra modum debitum in servos suos sævire; concessum est enim hujusmodi servis, ut si intolerabilis sit eorum injuria vel sævitia, quòd eo ipso habeant actiones standi in judicio contra dominos suos; hinc enim est quod eo ipso sunt hujusmodi domini suos servos amissuri, cum de injuriis fuerint convicti.

De

De Patria Poteſtate. C A P. 6.

IN poteſtate patrum ſunt filii & filiæ qui ex juſto matrimonio ſunt procreati; Nepotes & neptes, pronepotes atque proneptes in avorum & proavorum poteſtate, deinceps & cæteri; qui tamen ex filiâ tuâ naſcitur, in tua poteſtate non eſt, ſed patris ejus; ſed ſi uxor tua ex alio filium procreaverit, præſumendum eſt quod tuus eſt filius,eo quod nuptiæ probant filium,donec contrarium inde probetur.

Quibus modis ſolvitur jus poteſtatis. C A P. 7.

HIi verò qui in poteſtate parentis ſunt, mortuo eo,juris ſui ſunt, quamvis aliquando remaneant ſub tutela dominorum, vel ſub cura parentum vel amicorum.§ 2.Mortuo autem avo paterno,nepotes ejus non ſunt ſui juris, ſed recidunt in patris poteſtate, ſi vivit; dum tamen de poteſtate patris per dignitatem vel emancipationem non exierint. § 3. Et morte civili ſolvitur, ut, ſi pater vel alius anteceſſor, cujus hæres ipſe fuerit, morti condempnetur, vel perpetuò exuletur; & ſi relegetur ad tempus,non minùs liberos retinet in ſua poteſtate,quia cùm remeabit,ſua habebit.§ 4.Item dignitate, vel per epiſcopalem dignitatem.§ 5.Item emancipatione,ut ſi quis filium ſuum foris famulaverit cum aliqua parte ſuæ hæreditatis; quod antiquitus fieri ſolet.§ 6.Item manumiſſione,ut ſi dominus ſervum ſuum manumiſerit. § 7.Servi autem ſub poteſtate dominorum ſunt, nec ſolvitur dominica poteſtas quamdiu manentes ſunt in villenagio, ſive terram tenuerint,ſive non; vel quamvis non manentes iverint; Fugitivi eſſe incipiunt, niſi chevagium annuum domino ſuo ſolverint in ſignum ſervitutis, ſed finito regreſſu de chevagio non ſoluto, recenter ſequi debent,donec fuerint comprehenſi & reducti, ne per negligentiam dominorum ſuorum liberum ſtatum ſibi valeant vendicare, ſicuti proſequi faceret quivis ſuum pecus,nec magis ab uno quàm ab alio, debet ab aliquo impediri; quem ſi propter reſiſtentiam cujuſcunque rehabere non poſſit, ad regium auxilium occurrere oportebit, ut ſibi per breve ſuum adquirat. § 8.Veruntamen ſi fugitivum illum in feodum ipſum clamantis infra annum primum & tertium contigerit, licitè poterit retineri: Secùs verò ſi poſt, niſi recenter & diligenter petatur & proſequatur,& quo etiam pendente diligente proſecutione à tempore fugæ, ſemper manet domino cum clamante, & licitè capi poterit & retineri, ſi in feodo domini inveniatur tam poſt annum completum quàm ante; nec currit tempus contra dominum, cum res per clameum appoſitum litigioſa efficiatur, ob quod eliditur exceptio privilegii annualis, & aliter non,& ſic ſolvitur dominica poteſtas,eo quod talis fugitivus per negligentiam domini clameum debitum infra annum primum non apponentis,fit ſui juris, vel ſaltem ſi clameo talis privilegiatur per beneficium annuale.

De Sokemannis. C A P. 8.

ANtiqua maneria vel jura Coronæ annexa Regi non licebit alienare, ſed omnis Rex Coronæ ſuæ alienata revocare tenetur; nec obſtabit obli-

gatio warrantiæ nisi per excambium vel aliter ad valentiam in dominico vel in servitio vel saltem ad commodum & honorem regiæ dignitatis, sicuti Baroniæ Episcoporum & hujusmodi fuerint concessa. § 2. In hujusmodi verò maneriis erant olim liberi homines liberè tenentes, quorum quidam cum per potentiores a tenementis suis ejecti fuerant, eadem postmodum in villenagium tenenda resumpserunt, & quia hujusmodi tenentes cultores Regis esse dignoscuntur, provisa fuit quies nè sectas facerent ad Comitatum vel Hundredum vel ad aliquas Inquisitiones, assisas vel Juratas, nisi in manerio tantùm, dum tamen pro terra, quorum congregationem tunc Sokam appellarunt. § 3. Hinc est quod Sokemanni hodiè dicuntur esse, à socco etiam derivantur, quorum tenementa sunt villenagium domini privilegiatum, & ideo dicuntur glebæ ascriptitii, eò quòd ab hujusmodi glebis amoveri non debent quamdiu solverint debitas pensiones, nec compelli poterunt ad hujusmodi tenementa tenenda contra suas voluntates, eò quod corpora sua sunt libera: nec obstabit longa servitutis possessio ad libertatem extinguendam, quamvis ad merchætum sanguinis si compulsus fuerit quis pro ten' reddendo; nulla enim servitus ratione præscriptionis temporis potest liberum sanguinem in servitutem reducere, non magis quàm liberum tenementum potest servum in libertatem. § 4. Provisum est etiam quod hujusmodi tenentes inter se tantum unicum beneficium habeant recuperationis tenementorum per quoddam breve de recto clausum ballivo manerii dirigendum, quod plenum rectum teneat querenti secundum consuetudinem manerii, nisi querens cirographum Cartam vel Conventionem domini vel alterius pro se prætendere poterit, per quod habeat quoquo modo liberum tenementum, & quo casu succurritur hujusmodi ejectis, per beneficium commune, non obstante antiquarum dominicarum exceptione: Sed cum hujusmodi per Regem vel suos expellantur ab hujusmodi tenemento, non habetur remedium nisi tantum supplicatio; secus verò si alius cui Rex manerium alienaverit. § 5. Item in eisdem maneriis sunt liberi tenentes, & feoda militaria, & serjantiæ, & puri nativi, sicuti alibi in regno.

De Tutelis. CAP. 9.

PErsonarum quæ sunt in potestate aliena, quædam sunt in tutela dominorum, quædam in curatione parentum & amicorum, quædam neutro juri tenentur, sicuti plenam ætatem habentes, & quædam sub virgâ velut uxores. § 2. Minores quos oportet esse sub tutela & curâ aliorum, eò quod seipsos regere non nôrunt; quidam esse debent sub custodia dominorum cum terris & tenementis quæ sunt de feod' eorum, & quidam sub custodia parentum & proximorum consanguineorum; & illis dantur custodes de *jure* gentium ratione antiqui feoffamenti. Et quandoque dantur custodes de facto, ut ubi quis aliquem feoffaverit. § 3. Hæredum autem quidam sunt plenæ ætatis, quidam vero minimè, sed ætatem viginti unius anni non habentes complere masculi & fœminæ milites vel clerici de feodo militar' vel Serjantiæ majoris. Hæredes acceptis homagiis suis in custodia dominorum remanebunt,

manebunt, ut per ipsos tueantur quosque vicesimum secundum annum attigerint, nec priùs super proprietate petent vel respondebunt suarum possessionum, nisi ipsas fuerint adepti, quamvis ad finem in curia regis factum ad propriam injuriam, ad dotem, & ad perquisitum teneantur respondere; nec si de felonia fuerint appellati antequam plenam ætatem attigerint non respondebunt, quamvis sint attachiabiles; nec appellare poterunt priusquam habiles sint & potentes ad pugnandum, sed in jure possessorio agere poterunt. § 4. Ante ætatem verò viginti unius annoru' robustos vel habiles ad arma suscipienda pro patria defensione non reputantur, & ideo undres dicuntur, & sub tutela dominorum interim remanebunt. § 5. Hæredes autem Sokemannorum sub tutela parentum qui sibi proximi sunt jure sanguinis, ex parte quorum non descendit hæredi hæreditas vel ejus pars, custodiantur. Nullus etiam plurium hæredum participum in socagio in alterius participis sui vel ejus viri tutela custodiatur, sed parentum: Si quis igitur custodiam terrarum & maritagium filiarum emerit, & aliquam istarum duxerit in uxorem, statim oritur suspitio, & amittet custodiam corporis, & maritagium aliarum ipso jure propter suspicionem. § 6. Nec erit nisi unicus custos propinquus, videlicet parens legitimus vel bastardus, licet hæreditas ex pluribus feodis fuerit adepta, nec curandum est de prioritate vel posterioritate feoffamentorum, cum hujusmodi domini nil exigere poterunt ex consuetudine communi per mortem suorum tenentium pro relevio nisi redditum unius anni duplicatum. In locis tamen in quibus consuetudo se habet in contrarium, ut in Episcopatu Winton' & alibi aliter observetur; ubi licitum quod hujusmodi tenementa in custodiis dominorum sint, veluti de feodo militari. § 7. De feodo autem militari vel magnæ Serjantiæ, quæ sibi æquipollent, quoad custodias petendas sic observetur, quod omnes paticipes in custodia domini Capitalis remanebunt.

De Magna Serjantia. CAP. 10.

MAgna autem Serjantia dici poterit cum quis ad eundem cum Rege in exercitu cum equo cooperto, vel hujusmodi ad patriæ tuitionem eoffatus.

De Parva Serjantia. CAP. 11.

PArva verò, quorum servitium ad dim' marcam vel minus debeat appreciari; ut si quis saccum cum brochia, calcaria, cirotecas, vel hujusmodi minuta servitia facere teneatur. § 2. Tenementorum quædam tenentur de Rege, quædam de aliis: Eorum quæ tenentur de Rege, quædam tenentur in Capite de Corona, quædam verò de Rege per escaetam vel per perquisitum Cum quis ergo tenuerit de Coronâ, & in homagio Regis obierit, & hæredem infra ætatem reliquerit, hæres ipse omnia quæ tenuit de quo pater vel alius Antecessor, cujus hæres ipse fuerit, seisitus obiit, quorumcunque fuerint feodorum, usque ad legitimam ætatem in custod' Regis remanebunt tantum; nec obstabit ei posterioritas vel prioritas feoffamenti; & cum fuerint

tale

tales hæreditates per Regem concessæ, tunc eas versus omnes dominos suos tenetur relevare ; secus verò si de Rege tenuerint per feodi firmam, socagium vel burgagium, vel de perquisito, vel escaeta; terræ autem alieni feodi, dum tamen in manu Regis exstiterint, ab omni prorsus obligatione sint absolutæ. § 3. Custodiæ aut' & maritagia inter catalla & mobilia connumerari debent, & ideo legari poterunt in extermis. § 4. Cum quidem quis duos hæredes infra ætatem reliquerit, tunc ultimus quasi in custodia warranti sui, & per consequens ambo sub custodia capitalis domini, ut custodia de custodia, usque ad decem, salvo jure cujuslibet, remanebunt. § 5. Minor autem minorem custodire non debet, alios enim scire præsumitur malè regere, qui seipsum regere nescit : nec pertinebit maritagium ad ipsum qui fuerit custos ejus de quo tenere debuerit, nisi ten' illius minoris fuerit de feodo ipsius custodis: Si autem de alterius feodo ille habebit maritagium hæredis ejus qui feoffatus fuerit per tenentem suum, & custodiam tenementi, quæ quidem tenens suus habiturus esset, si esset plenæ ætatis, licet maritagium tenentis sui pertineret ad alium dominum suum capitalem ratione veterioris feoffamenti. § 6. Hæres autem Sokemanicum quindecim fuerit annorum, masculus vel fœmina, sub tutela deinceps non debet remanere. § 7. Et hæres Burgensis quam citiùs discretionem habeat denarios numerandi, pannos ulnandi, & hujusmodi, plenam ætatem dicitur obtinere, & tunc primo finitur tutela. § 8. Plenam itaque habeant interim hujusmodi domini custodiam suorum feodorum, de quibus sui tenentes obierunt seisiti, quamvis ad terminum certum fuere dimissi cum omnibus fructibus in eisdem inventis, nec ante ætatem hujusmodi minorum poterunt firmarii ejecti aliquid inde vendicare; custodia enim non adimit terminum sed differt. § 9. Habeant etiam Ecclesias interim vacantes in suis feodis conferendi potestatem, tempúsque hujusmodi custodiæ dandi vel legandi, maritagium hæredum vendendi, & omnia ad commodum hæredum faciendi, sicut de propriis essent dispposituri. § 10. Solent enim tutores terras idiotarũ & stultorũ cum corporibus eorũ custodire in perpetuo, qd' licitũ fuit & permissũ, eo qd. seipsos regere non noverunt; nam semper judicabantur infra ætatẽ, vel quasi; verũ, quia plures per hujusmodi custodia' exhæredatione' compatiebantur, provisum fuit & communiter concessum, quod Rex corporum & hæreditatum hujusmodi idiotarum & stultorum sub perpetuis custodiam obtineret, dum tamen à nativitate fuerint idiotæ & stulti; secus autem si tardè à quocunque domino tenuerunt & ipsos maritaret, & ex omni exhæredatione salvaret, hoc tamen adjecto, quod dominis feodorum, & aliis quorum interfuerit, ut in servitiis, redditibus, & custodiis, usque ad legitimam ætatem secundùm conditionem feodorum, releviis & hujusmodi, nihil juris deperiret. 11. Et apud Marleber. de iis qui primogenitos hæredes infra ætatem feoffaverint, per quod domini amittant custodias, de iis etiam qui tradunt terras ad firmam ad auferendum dominis feodorum custodias, & fingunt falsa feoffamenta, exprimentes etiam testamentis suis, quod satisfactum est eisdem de servitiis usque ad terminum ætatis minorum, & post terminum feoffati tenentur reddere ultra valorem terrarum ; provisum fuit quod occasione

ſione hujuſmodi feoffamentorum non amittant hujuſmodi domini cuſtodias ſuas. §. 12. Nec liceat hujuſmodi dominis taliter feoffatos ejicere; ſed per breve de cuſtodia erit eorum recuperare, ſi convincatur quod malâ fide & in fraude dominorum hujuſmodi fecerint feoffamenta, ſed nihilominus ſalva erit actio feoffatis ad terminum vel ad feodum recuperandum contra hæredes cum ad ætatem pervenerint. §. 13. Et ſi domini hujuſmodi feoffatores malitioſe implacitaverint fingentes caſum iſtum, ubi bona fide facta fuerint feoffamenta, tunc adjudicentur feoffatis dampna & miſæ ſuæ quas fuerint occaſione hujuſmodi placiti. §. 14. Statuitur etiã quod hæres cum ad ætatem pervenerit, recuperet hæreditatem ſuam, ſi inde per dominum deforcietur, per breve de morte Anteceſſor', ſimul cum damnis: Et ſi hæres in morte Anteceſſor' plenæ ſit ætatis, & pro hærede cognitus, & in hæreditate inventus, dominus eum non ejiciat; quod ſi faciat, habeat ſuum recuperare per breve novæ diſſeiſinæ, & ſi extra hæreditatem eum teneat, recuperabit per breve mortis Anteceſſor' vel conſanguinitatis. §. 15. Item non liceat hæredi intrudere ſe in hæreditatem ſuam, ſi per ſervitium militare vel magnæ Serjantiæ tenuerit, quouſque eam cuſtos ſibi reddiderit.

De Vaſto & Deſtructione. CAP. 12.

Tutores verò domos, parcos, vivaria, ſtagna, molendina, aliáque pertinentia ſuſtentent, ne per negligentiam corruant vel depereant, per quam vaſtum valeat adjudicari, & terr' de Carucis inſtauratas tempore debito, ſaltem prout eas receperint, hæredibus quietè, ſine relevio vel ſine fine gratis liberare tenentur; dum tamen de maritagio fuerint unanimes & concordes. §. 2. Et eodem modo de Archiepiſcopatibus, Epiſcopatibus, Abatiis, Prioratibus, Eccleſiaſticis dignitatib' vacantib' quæ ad Regem pertinent obſervetur, excepto quod vendi non poſſunt neque legari. §. 3. De aliis autem patronatibus conceſſum eſt, quod habeant eorum cuſtodias cum vacaverint. §. 4. Et apud Weſtm' fuit proviſum, quod cuſtos qui alienat terras hæredis, habeatur pro diſſeiſitore; & ſi ſit capitalis dominus ſuus qui hoc faciat, amittat cuſtodiam totâ vitâ ſuâ, tam de terra alienata quàm de reſiduo; & ſi fuerit alius cuſtos quam Capitalis dominus feodi illius, amittat cuſtodiam rei recuperatæ, & habeantur pro diſſeiſitoribus tam cuſtos quam emptor; & cum terra fuerit recuperata, tradatur propinquiori amico cui hæreditas deſcendere non debeat, qui reſpondeat puero inde de exitibus cum ad ætatem ſuam pervenerit: & ſi hæres impeditus fuerit ad ſequendum, ſequatur unus de propinquioribus amicis ſuis, & admittantur. §. 5. Item cum contineatur in magna charta, quod cuſtos qui fecerit vaſtum de cuſtodia, ipſo jure cuſtodiam illam amittat in incrementum, tamen proviſum fuit apud Glouc' quod in caſu ſupradicto reddantur damna hujuſmodi hæred', ſi ita ſit quod cuſtodia amiſſa non ſufficiat ad damna ante ætatem hæredis. §. 6. Item proviſum fuit apud Weſtm' ſecundo, quòd in vaſto facto per cuſtodes tenentes ad terminum vitæ vel annorum, omiſſa prohibitione, ſummoneatur reus, & ſi venerit, reſpondeat de vaſto facto quorumcunque tempore. §. 7. Et ſi non venerit poſt magnam diſtri-

ctionem

tionem mandetur Vicecomiti, quod in propria persona sua, assumptis secum duodecim, accedat ad locum vastatum, & inquirat de vasto facto, & retornet Inquisitionem per quam procedatur ad judicium. Et si custodia quam quis tenet ut custodiam de custodia petatur de aliquo, deforçians non amittat per defaltam post proclamationem, sed currat lex communis sicut prius modo consueto. §.8. Item inhibitum est quod parentes habentes custodiam socagii, non faciant vastum de hæreditate minorum hujusmodi, sed respondeant hæredibus de exitibus cum ad ætatem pervenerint, nec quod dent vel vendant maritagia nisi ad commodum hæredum. §.9. Et qualitercunque quis tenuerit in custodia vel ad terminum annorum, vel vitæ, vel per feodum talliatum secundum intellectum hujusmodi dictionis donec vastum facere sibi caveat, exilium, destructionem, vel venditionem; quod si faciat, pœnam statuti non evadet. §.10. Sed refert an quis vastum fecerit in proprio vel alieno; est enim proprium & magis proprium, alienum & magis alienum: Proprium, ut si quis tenet ad vitam tantum, nihil habens in proprietate, & uti possit quoad rationabile estoverium: utitur quoadammodo in eodem tanquam in proprio, nec facit vastum nisi mensuram excedat; quod si fecerit, extunc utitur quasi in alieno, & facit vastum & injuriam, & reddet dampnum in triplo. Magis proprium, ut cum quis in fundo suo jus possessionis habuerit & proprietatis, in quo et si vastum fecerit & sibi ipsi damnum, nulli tamen facit injuriam, nisi servitus fundo constituatur in donatione nè possit. §.11. Alienum verò, ut custos qui neutrum jus sibi vendicare poterit, sed nudum dominum tantum cum simplici possessione tenementorum, in quo si vastum fecerit, & inde convincatur, amittet custodiam, restituet dampna querenti, & in misericordia regis remanebit. §.12. Magis alienum est, ubi quis cum horum nihil habuerit vastum fecerit in alieno, & quo casu facit robberiam, disseisinam vel transgressionem. §.13. Et unde apud Glocest' fuit constitutum, quod proprietario concedatur breve de vasto in casu quod quis tenens quoquo modo ad terminum vitæ vastum fecerit, exilium, vel destructionem. §.14. Et si quis de hujusmodi convictus fuerit, rem perdat vastatam quam petens per judicium in dominico recuperabit, & reus satisfaciat querenti in triplo per taxationem patriæ & Justic' & nihilominus graviter in misericordia Regis remanebit. §.15. Ad parem tamen pœnam non tenentur custodes, nec tenentes in dotem, & tenentes aliter ad terminum vitæ vastum facientes; nam si proprietarius cui ten' post decessum tenentis reverti debet per formam donationis tenenti factam, se in tenement' illud recenter intrudat cum idem tenens plus fecerit alii quam de jure poterit, cautè aget dum tamen donatarius per privilegum temporis & seisinæ sufficientis non valeat in assisa subveniri; alioquin decessum donatoris oportebit expectare, & tunc per breve sibi perquirat de ingressu. §.16. Et apud Merton fuit inhibitum ne firmarii facerent vastum tempore firmarum suarum in firmis suis, de quo tamen si quis convictus fuerit, teneat eum pœna gravis misericordiæ & dampnorum restitutionis. §.17. Et cum procedat placitum inter partes de custodia terræ vel hæred' utriusque per commune breve, quod

quod sic incipit. § 18. Præcipe A. quod juste reddat B. si mors alteri parti præveniat ante judicium, procedat placitum per resum' inter hæredes & executores ut infra, & ad magnam districtionem perveniatur, detur terminus infra quem tres comitatus teneantur ad minus, in quorum quolibet Com' fiat publica proclamatio, quod deforcians veniat ad Bancum ad diem in brevi contentum querenti responsurus: Ad quem diem si non venerit & proclamationes testificentur, procedat judicium pro querente salvo jure defendentis cum inde postmodum loqui voluerit. § 19. Eodem modo fiat in brevi de transgressione, cum quis queritur se ejectum esse de hujusmodi custodiis. § 20. Vastum autem & destructio ferè æquipollent & convertibiliter se habent in domibus, boscis & gardinis; sed exilium dici poterit cum servi manumittantur, & à tenementis injuriose ejiciantur; fortuna autem ignis vel hujusmodi eventus inopinati omnes tenentes excusat. § 21. Et cum duo vel plures turbariam teneant, boscum, piscarium vel alia hujusmodi absque hoc quòd aliquis sciat suum separale, ac si aliquis eorum faciat vastum contra voluntatem alterius, provisum est quod querens actionem moveat per breve de vasto, defendens cum ad judicium venerit habeat electionem capiendi partem suam in certo loco per visum facr' & assignationem vicinorum ad hoc electorum & juratorum, vel quod concedat quòd non capiat de cætero in hujusmodi turbaria vel aliis, nisi secundùm quod participes sui capere voluerint; & si partem sibi in loco expresso elegerit, assignetur ei in sua parte locus quem vastaverit, secundum quod fuit prius quam vastabatur. Et nè maleficia remaneant impunita, procedatur ad pœnam secundum quantitatem excessus & vasti transgressoris ex virtute mandati regis, prout in alio casu fuerit faciendum quantum ad pœnam, misericordiæ & dampnorum restitutionem. § 22. Cum mors autem prævenerit ante judicium, conceditur quod actio executoribus integra reservetur.

De Maritagiis. CAP. 13.

Cum masculus hæres vel fœmina hæreditati Antecessoriæ successerit, non solum per hæreditatem custodiæ dominus feodi vel parens, verumetiam ad ipsorum alterum maritag' hæred' & custodia corporis pertinebit nutrimento, ipsúmque maritare poterit quando voluerit, & ubi, dum tamen non disparagetur, quod si fecerit, fraudem facit huic constitutioni. § 2. De dominis autem capitalibus custodibus si illos maritaverint quos habent in custodia villanis vel aliis, sicut burgensibus & ubi disparagentur, si talis hæres infra ætatem quatuordecim annorum vel talis ætatis exstiterit quod non possit consentire, tunc si parentes conquerantur, quòd dominus ille amittat custodiam usque ad ætatem hæredis, & omne commodum quod inde perceptum fuerit convertatur in commodum ipsius qui infra ætatem fuerit, secundum dispositionem & provisionem parentum contra dedecus ei factum. § 3. Si autem fuerit quatuordecim annorum & ultra quod consentire poterit, & tali maritagio consenserit, nulla pœna subsequatur. § 4. Si autem in vita parentum fuerint legitimo matrimonio copulati; custodes pro maritagiis nil exigere poterunt satisfactionis, alioquin liceat ipsis ea vendere,

maritare vel legare quoties sub tutela devenerint, & quotiescunque infra ætatem poterunt maritari: Qui si ab initio majores exstiterint, absque licentia proculdubio dominorum, semetipsos maritandi liberam habent facultatem. § 5. Fiscus autem de quolibet hærede quocunque modo de ipso tenente & in custodia sua existente maritagium habebit, nec sibi præjudicat quantitas tenementi de feodo alieno, vel prioritas feoffamenti; secus autem si in morte sui antecessor' legitimam attigerit ætatem, & quo casu sui juris efficitur, nec in ejus maritagio poterit extunc jus aliquod vendicare, quod in hærede femella aliter observetur. § 6. Nunquam enim impunè nubere poterit femella maritanda, virgo vel vidua, sine regio assensu, dum tamen de rege tenere debeat. § 7. Cum autem plures capitales domini in maritagio unius hæredis jus maritandi vendicaverint, omnes maritagium habere non poterunt, licet talis tenuerit de quolibet per servitium militare, quia unius jus alii præfertur, & magis jus habet in maritagio scilicet primus feoffator dominus capitalis de quo antecessor hæredis habuit suum primum feoffamentum, & cui præ omnibus aliis fecit ligeantiam; sed custodia terrarum aliis diversis remanebit quæ sunt de feodis illorum cum servitiis. § 8. Nec compelli debent ad hoc ut inviti contrahant, libera enim & non coacta debent esse conjugia; sed si nubere noluerint per concilium dominorum, succurritur dominis secundùm tenorem hujusmodi provisionis de Merton. § 9. De hæredibus autem infra ætatem existentibus, contra voluntatem dominorum se maritantibus, vel alio modo rebellis, dominis suis competentia maritagia sibi offerentibus; provisum est, quòd hujusmodi dominis propterea jus non depereat; nam si in locis sibi oblatis quibus non disparagentur maritari recusaverint, extunc hujusmod dominis hæreditates talium usque plenam ætatem attigerint, retinere licebit, insuper & ulterius, donec de duplici valore maritagii fuerit sibi satisfactum, licet postmodum maritari gratuitum præbuerint consensum. § 10. De femellis quatuordecim annos habèntibus quibus domini sui maritagium competens medio tempore non obtulerint, taliter provisum est, quod negligentia dominorum hujusmodi talibus hæredibus non sit dampnosa, sed retenta hæreditate per duos annos post quatuordecim, eam hæredibus sine contradictione reddere non contradicant; quod si infra ætatem competenter & palam contulerint, ipsæque maritari non consentierint, tunc usque ad ætatem masculinam hæreditatem talium impunè poterunt retinere, ulteriúsque per duos annos pro fine maritagii, in odium contradictionis & inobedientiæ. § 11. Cum autem diversæ sint hæreditates ex parte patris & matris descendentes, quæ conjungi debent in persona unius hæredis vel plurium ex diversis feodis, & plures domini petant maritagium, ejus erit, qui primum homagium susceperit Antecessorum, cum maritagium divisionem non recipiat: & cum non constiterit quis parentum præmortuus fuerit, tunc omisso respectu ad prioritatem deliberationis, recurrendum erit ad antiqùius feoffamentum antecessor'; semper tamen erit feodem militare præferendum aliis feodis penitus exclusis, quamvis infinita fuerint feoffamenta; & ad hoc facit hoc Statutum; Cum in causa ubi alicui minori descendat

deſcendat hæreditas ex parte patris, qui tenuit de uno Domino & ex parte matris quæ tenuit de alio domino, dubitatio extitit, hucuſque de maritagio hujus minoris ad quem de duobus pertineat, concordatum eſt quod ille dominus de cætero habeat maritagium de quo anteceſſor minoris prius fuerit feoffatus, nullo reſpectu habito ad ſexum, nec ad quantitatem tenementi, ſolummodo de antiquis feoffamentis. § 12. In caſu verò ubi paritas juris per inquiſitionem convincitur, & nullo feoffamenti prioritas, ut ſi ambo à conqueſtu vel hujuſmodi, pro poſſeſſore corporis hæredis, judicabitur in petitione maritagii; paritas autem juris non aufert ſeiſinam à tenente propter commodum poſſidendi & præmium poſſeſſionis. Et eodem modo cum petens intentionem ſuam manifeſtè probaverit, quoties enim dubitabitur an quid ſit, parum eſt ac ſi non eſſet illud. § 13. Si autem hæreditas patris tenentis de uno domino hæredi minori deſcenderit ejuſdem domini vel antiquioris feoffatoris, plurium erit jus maritagii. Sed eſto quod data fuerit ſibi uxor per dominum ſuum ratione primæ deliberationis ſuæ hæreditatis paternæ, ac hæreditas poſtmodo ſibi deſcenderit materna de alterius domini feodo vel plurium, iterum in ſua minore ætate fuerit maritanda, tunc conjunctis hæreditatibus in perſonam unam, ille dominus præferendus eſt qui primum feoffatorem contigerit inveniri, non obſtante prioris maritagii ſeiſina. §. 14. Si parentes vero filium poſtnatum de utriſque ſuis hæreditatibus ſucceſſivè feoffaverint per cirographa finium vel aliter tenendi de ipſis feoffatoribus & hæredibus ſuis, maritagium talis minoris ad ipſos pertinebit, qui ſi hæres efficiatur per mortem antenati, tunc præfertur ille de cujus feodo talis prius fuerit feoffatus, excluſa vetuſtate tenebit novitas, ſecus enim eſſet ſi non ſucceſſivè, ſed ſemel de tota fuiſſet feoffatus. § 15. Et quod Dicitur in conſtitutione de feoffamentis & contractibus in præjudicium dominorum factis, ut ſic ſibi tolerentur cuſtodiæ in maritagiis, conſimiliter obſervetur id idem, fraus enim & dolus nemini debent patrocinari. § 16. Participum hæredum infra ætatem exiſtentium omnium habebit dominus maritagium ſicuit cuſtodiam, quotiens infra ætatem fuerint maritandæ: Rex autem quotienſcunque tam infra ætatem quam extra: quod ſecus eſt de maſculo, nec poterunt hujuſmodi hæredes vel viduæ, quarum viri vel ipſæ de fiſco tenuerint immediatè ſine Regis licentia ſe nubere, quin graviter delinquant, nè fortè capitalibus inimicis Regis maritentur. § 17. Cum pater de feodo tenens militari maritagium filii & hæredis ſui vendiderit, poſteaque obierit pater in cujus vita non fuerit filius maritatus; ſtatim mortuo venditore ad dominum feodi militaris pertinebit maritagium propter non uſum emptoris, nec erit hæredi venditoris obligatio warrantiæ dampnoſa; ſed quam quis dominus cui maritagium jure non competit, hæredem occupaverit, & ejus maritagium vendiderit in petitione plus juris habentis, vetandus erit venditor vel ejus hæres ad warrantum. Et quod de uno emptore dicitur, id de pluribus de manu in manum vendentibus intelligatur. § 28. Et ſi hujuſmodi hæredes abducti fuerint, vel malitiosè per parentes vel extraneos detenti, quo minus juſtitia pereat dominis vel differatur, tunc ſuccurritur querentibus per hoc Statutum.

§ 19. De pueris masculis sive femellis quorum maritagium ad alium pertineat (raptis & abductis) si ille qui rapuit non habens jus in maritagio, quamvis postea puerum restituat non maritatum, vel de maritagio satisfecerit, puniatur tamen pro transgressione per prisonam duorum annorum. Et si puerum non restituerit, sed forte ipsum maritaverit, & inde satisfacere non poterit, abjuret regnum vel perpetuam habeat prisonam, & ad hoc habeat querens breve, & fiat secta versus partem de qua queritur, quousque per districtionem venerit, si habeat per quod distringi possit per contumaciam, donec exigatur & utlagetur, nisi se promiserit legitimè justiciari. § 20. Et si hæres antequam inveniri poterit, vel restituatur querenti, obierit, nihilominus procedat placitum inter eos quousque terminetur cui restitui debet si superstes fuisset: Nec excusabitur ille qui injustè rapuerit hæredem de pœna supradicta per mortem hæredis, cujus extitit malæ fidei possessor dum vixit. Et si querens obierit ante placitum terminatum, si jus ei competebat ratione proprii feodi sui, resummoniatur loquela ad sectam hæredis querentis, & placitum ordine debito procedat: Si verò per alium titulum competat ei jus sicut per titulum donationis vel venditionis, aut alium hujusmodi, tunc resummoniatur loquela ad sectam, executor' tam querentis quam tenentis, & procedat placitum sicut dictum est. § 21. Eodem modo si pars moriatur defendens antequam placitum terminetur vel restituatur hæres, placitum procedat per resummonitionem inter querentem vel ejus hæredem seu executor' & defendentem, vel ejus executores, vel ejus hæredem, si sui executores non sufficiant ad satisfactionem valoris maritagii, non tamen quoad pœnam prisonæ, cum pœna suos teneat auctores, & non ejus hæredes vel executores.

De Legitimis. CAP. 14.

LEgitimus filius & hæres est, quem nuptiæ demonstrant legitimum, sicut est ille qui natus est ex legitimo matrimonio, vel ille qui in facie Ecclesiæ legitimus reputatur, quamvis matrimonium non fuerit, vel cum vir & uxor vel eorum alter se crediderent legitimè fuisse copulatos, cum sint fortè consanguinitate vel affinitate conjuncti, vel alio modo, quod matrimonium stare non possit; quia cum mulier alicui cognato instat bona fide credens eum esse solutum cum non sit, & ex eo filios suscipiat, tales legitimi judicantur, & hæredes, sive post matrimonium contractum progeniti sint & nati, sive ante matrimonium geniti & in matrimonio nati, sive in matrimonio geniti & post matrimonium nati, quamvis solutum sit postea matrimonium, & hoc si inter parentes trahantur publicè sponsalia, dum tamen si divortium in vita parentum celebretur. Et si inter tales clandestina fuerint conjugia ab initio contracta contra interdictum Ecclesiæ in gradu prohibito ignorantur, soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima est censenda, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium, cum illi taliter contrahendo clandestina conjugia non expertes scientiæ, vel saltem affectatores ignorantiæ videantur: Pari modo proles illegitima est censenda si ambo parentes impedimentum scientes, legitimum etiam præter omne interdictum in facie Ecclesiæ facere præsumpserunt, quod quidem non esset, si in facie

Ecclesiæ

Ecclesiæ hoc faceret uterque ignoranter vel eorum alter, sed in omni casu, ubi clandestina sunt conjugia, non excusabit ignorantia, nec etiam si publicè contracta, si hoc præsumptivè contra interdicta Ecclesiæ. Et ad hoc facit decretale, cujus verba sunt hæc: Cum inter A. veterem & B. mulierem divortii sententia Canonicè prolata sit, filii eorum non debent exinde sustinere jacturam, cum parentes eorum publicè & sine contradictione Ecclesiæ inter se contraxisse noscantur: Ideo sanximus ut filii eorum quos ante divortium habuerint, & qui concepti fuerint ante latam sententiam, non minus habeantur legitimi, & quòd in bona peterna hæreditario jure succedant, & de parentum facultate nutriantur.

De partu Supposito. CAP. 15.

SUnt enim nonnulli hæredes exhæredationes compatientes per partus fraudulenter suppositos per mulieres, præcipuè viventibus viris suis vel mortuis prægnantes se fingentes; quæ etsi sint, non tamen esse poterit verisimile quòd à viris suis possent concepisse. Ad querelam igitur veri hæredis sequitur hujusmodi remedium. §.2. Dominus verò Rex præcipiet vicecom' loci, quod omni dilatione & occasione postpositis venire fac' coram ipso & coram custodibus placitorum Coronæ suæ in pleno com' suo, vel coram alio ad hoc constituto uxore de qua fit querela, & quæ se facit prægnantem, & coram prædictis custodibus faciat eam videri per legales & discretas mulieres, per quas veritas inde melius sciri poterit, & diligenter tractari faciet eam, per ubera & per ventrem à dictis mulieribus modis omnibus, quibus inde melius poterunt certiorari, utrum prægnans sit necne: Et si prædicti custodes & mulieres videant quòd prægnans sit illis inde dubitaverint, quòd vicecom' tunc illam poni fac' in castro tali, & ita, quod nulla domicella quæ prægnans sit, vel alia, de qua suspitio possit haberi alicujus falsitatis faciendæ sit cum ea, & in castro illo moram faciat quousque de partu suo constare possit, & quod provideat quod in castro illo ita discretè custodiatur, nè in custodia illa de partu suo possit aliqua falsitas evenire. §.3. Præcipiat etiam constabulario castri, quod recipiat talem mulierem quæ se facit prægnantem cum ad ipsum pervenerit, & quod permittat quod ad custus proprios faciat moram in eodem. Et si duæ mulieres vel tres de progenie querentis de ea semel in die singulis diebus si visum facere voluerint hoc non impediat, & hoc remedium providetur, cum in vita viri sui prægnantem se fecerit falsò: Si quis naturales filios habuerit de aliqua, posteáque cum ea contraxerit, filii jam nati per matrimonium consequens legitimantur, & ad omnes actus legitimos idonei reputantur, non tamen legitimi sunt ad ea quæ pertinent ad regnum, nec parentibus succedere poterunt ut hæredes, propter consuetudinem regni quæ se habet in contrarium, sed ad ea quæ pertinent ad sacerdotium. §.4. Item legitimantur quandoque per adoptionem de consensu & voluntate parentum, ut si uxor puerum de aliquo conceperit viro suo hoc ignorante, si vir ipsum in domo sua susceperit, nutrierit & advocaverit ut filium suum, putagium uxoris tali non præjudicabit, sed ejus erit si posset ipsum genuisse, eò quod nascitur ex uxore: Secus erit si ipsum

amoverit

amoverit ut extraneum vel ſuppoſitum, vel ſi manifeſtum ſit quod propter diſtantiam locorum & moram longam vel infirmitatem vel coeundi impotentian cum uxore non concubuit, quanquam talem advocare vellet ut filium ſuum; cum ergo talis natus fuerit vel ſuppoſitus, ſtatim faciet eum quivis diſcretus à domo & omni nutritura ſua amoveri,quatenus per nutrituram debeat verus hæres exhæredari; ipſo namque ſemel advocato,iterum ipſum de advocare non poterit. Et ſi vir & uxor aliquem ſuppoſitum vel ab alio genitum ut filium legitimum nutrierint, ad querelam veri hæredis præcipiet Rex Vicecomiti quod habeat coram, &c. corpora A. & B. uxoris ejus, vel corpus eorum alterius ad reſpondendum C. filio vel nepoti vel alteri,qui ſe gerit pro hærede ipſius A. quare nutriri faciunt D. ſicut filium & hæredem ipſius A. ad exhæredationem ipſius C. qui nec eſt filius nec hæres ipſius A. nec eſſe poteſt ut querens dicit. Ad quem diem ſi venerint, & nutritum & legitimum filium eorum advocaverint, ſi potentes videantur eſſe parentes ad prolem ſuſcitandam pro hærede judicabitur,niſi querens docere poſſit contrarium. §. 5. Sed ſi partus moriatur lite pendente, ac ejus loco ſubſtituatur alius puer extraneus, tunc quærente vero hærede præcipiet Rex Vicecomiti ſic: Oſtenſum eſt nobis ex parte A. fratris B. qui ſe facit hæredem ipſius B.ſi C.uxor D.& filia ipſius D.ſine hærede de corpore ſuo deceſſerit, quod cum placitum ſit in Curia, noſtra & inter ipſum D. & prædictam C. uxorem ejus ex una parte, & eundem A.ex altera,ac ipſi D.& C.fecerint Attornatos, & ad clamorem ipſius A. & multarum gentium habita aliqua ſuſpitione quod eadem C. mortua ſit, & dictum ſit multotiens Attornatis ipſius C. quod ad ſuſpitionem talem tollendam ipſam produxerint, propter quod major jam ſuborta eſt ſuſpitio quàm ſolebat quod mortua ſit, & mors ejus concelata ad exhæredationem ipſius A. Et ideò nè falſitas veritati præferatur, tibi præcipimus quod aſſumptis tecum quatuor militibus de Comitatu tuo quos ad hoc legales videris, in propria perſona tua ſimul cum prædicto A. & aliis quos idem A. de familia ſua ſecum adducet videri facias ſi adhuc ſuperſtes ſit & in vita, & ſi viva ſit tunc in quo ſtatu eam inveneris, & ſecundum quod inde inveneris certos reddas nos vel Juſticiarios noſtros talibus die & loco evidenter, diſtinctè & apertè per literas tuas & ſub Sigillis quatuor militum prædictorum. §.6. Cum autem convincatur quòd mulier prægnans non fuerit, vel ſi fuerit, non tamen de viro ſuo mortuo, tunc fiat vero hæredi ſeiſina ſuæ hæreditatis per tale breve: Rex tali Domino capitali ſalutem. Sciatis quod A. quæ fuit uxor B. dedit nobis & concilio noſtro intelligi quod prægnans erat de prædicto B.viro ſuo,& quoniam hoc dicebat ad exhæredationem C. fratris & hæredis ipſius B.ſi prædicta A.prolem ab ipſo B. non haberet, ut idem C. dicebat, nos ad querelam ipſius C. fecimus eam teneri ſub cuſtodia quouſque ſciri poſſet ſecundum debitum naturæ utrum prægnans eſſet, necne, & poſt multas inquiſitiones tandem didiſcimus per confeſſionem ipſius A. vel per legales & diſcretos homines & mulieres à quibus viſa fuit per præceptum noſtrum quod non fuit prægnans, & ideò vobis mandamus propter illam deceptionem non omittatis quin capiatis homagium prædicti C. qui in curia noſtra pronunciatur hæres præ-

dict

dicti B. legitimus, & secundùm regni nostri consuetudinem seisinam de hæreditate sua, quam de nobis tenere debet, sine dilatione haberi faciatis. §. 7. Et si hæres legitimus in custodia alicujus domini capitalis decesserit, cujus loco ipse dominus alium occultè suppofuerit, tunc ad clamorem veri hæredis provisum est tale remedium, quod Rex præcipiet Vicecomiti quod ipse præcipiat A. & B. uxori ejus quod justè, &c. reddant tali querenti tantam terram cum pertinentiis in N. quam clamat ut escaetam suam, & quæ ad ipsum ut escaeta sua reverti debet, eo quod C. filia & hæres B. qui de ipso tenuit, obiit sine hærede, & in quam prædict' A. & B. non habent ingressum nisi per hoc quod prædictus A. prædictam B. duxit in uxorem postquam falsò & ad exhæredationem prædicti querentis supposuit prædictam B. loco prædictæ C. quæ mortua est, & facit eam nominari C. & nutriri acsi esset filia & hæres prædicti A. quæ nec est filia nec hæres ejus, sed filia talis ut dicitur.

De Actionibus Criminalibus. CAP. 16.

PErsonalium injuriarum quædam sunt Criminales & quædam Civiles; Criminalium quædam sententialiter mortem inducunt, quædam verò minimè; & de prioribus prius. §. 2. Actio nihil aliud est quàm jus prosequendi in judicio quod alicui debetur, & quod nascitur ex maleficio, vel quasi quod provenit ex delicto vel injuria. §. 3. Actiones autem criminales in curia Regis terminari debent, ex libertate tamen in curia Baronum ex antiqua regum permissione vel concessione usitata permittuntur terminari, sed impropriè, eò quod vitæ & membra hominum ad tuitionem vel ad pœnam cum deliquerint, in potestate Regum sunt; aliorum verò minimè nisi impropriè, ut in partibus quibus breve Regis non currit sed dominorum; ipsorum etiam qui libertatibus de infongenthef & outfongenthef, ut infra usi fuerint. §. 4. In curia tamen regis tantum & ad coronam suam pertinet mero jure ut capitula coronæ distinctè & apertè terminentur, ut cuilibet delinquenti pœna infligatur secundum suorum exigentiam demeritorum: nam pœnæ ad correptionem hominum sunt inventæ, & quos divinus timor à malo non revocat, temporalis saltem pœna coerceat à peccato, juxta illud,

Oderunt peccare boni virtutis amore,
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

§. 5. Genera autem pœnarum quibus torquentur malefactores sunt plura; sed hæc respicienda sunt, causa, persona, locus, tempus, qualitas, quantitas & eventus. Causa dico, ut filius per castigationem parentum vel magistri, verberatus felonia cordis non adjecta: Persona, nam magis delinquit qui patrem vel matrem vel dominum suum interficit. §. 6. Locus verò facit ut idem sit furtum vel sacrilegium: Tempus autem discernit prædonem à fure & à Burgatore, furémque diurnum à nocturno: Quantitas discernit furem ab ambigio, plus enim peccat qui gregem surripuerit quam qui ovem. §. 7. Eventus, ad differentiam feloniæ excogitatæ, & secundum hoc felonia vel infortunium judicari; & in quibusdam præmissorum sequitur rigor cum gravi augmento, in quibusdam verò misericordia cum pœnæ lenimento,

mento, & quandoque cum recordo, quandoque per confessionem, quandoque per cognitionem, & quandoque per disrationationem, & unico malefactori plura poterunt infligi tormenta, prout meruerit; sicut contigit de *David* Principe *Walliæ*, cum per Recordum vestrum quinque judiciis mortalibus torquebatur, suis namque meritis exigentibus detractus, suspensus, decollatus, dismembratus fuit & combustus, cujus caput principali civitati, quatuorque quarteria ad quatuor partes regni in odium traditorum deferebantur suspendenda. §. 8. Est etiam quædam pœna quæ dicitur pecuniaria, quæ auget & minuit secundùm modum delinquentium, quæ etiam licet minima corporali minor reputetur; avari autem hanc fore discernunt carditam passionem.

De Justiciariis substituendis. CAP. 17.

ACtiones in judicio proponendæ sunt & probandæ; Est autem judicium trinus actus trium personarum ad minus, Actoris, Judicis, & Rei, sine quibus legitimè consistere non possunt; nec potest aliquis judicare in temporalibus, nisi solus Rex vel subdelegatus: Ipse namque ex virtute sacramenti ad hoc specialiter obligatur, & ideò coronâ insignitur, ut per judicia populum regat sibi subjectum. §. 2. Nec à regnando dicitur, sed à benè regendo nomen assumitur; Rex verò dum benè regit, tyrannus dum populum suâ violatâ opprimitur dominatione. §. 3. Ad hoc namque electus est ut justitiam pariter universis sibi subditis faciat exhiberi, nullius personam acceptando, ut in eo dominus sedeat, & per ipsum sua judicia discernat, cujus interest quod justè fuerit judicatum defendere & sustinere, quia si non esset qui justitiam faceret, pax de facili posset exterminari. Habet enim Rex in manu sua omnia jura quæ ad coronam & laicalem pertinent potestatem, & materialem gladium qui pertinet ad Regni gubernaculum; habet etiam judicium & justitiam quæ sunt jurisdictiones, ex quibus tanquam Dei vicarius & minister astringitur unicuique tribuere quod suum fuerit. §. 4. Habet etiam ea quæ sunt pacis, ut populus sibi creditus in pace sileat & quiescat, & nè quis alium verberet, vulneret vel malè contrectet, nè quis etiam rem per vim & roberiam auferat & asportet, vel alium mahemiat vel occidat: Habet etiam cohertionem, ut delinquentes puniat & coerceat, & habet in potestate sua ut leges & consuetudines & assisas in regno suo provisas & approbatas & juratas faciat à seipso & subditis suis universis firmiter observari. §. 5. Supervacuum namque esset leges condere vel judiciis uti, nisi esset qui leges tueretur; & hanc jurisdictionem habet Rex in manu sua. §. 6. Potentiâ itaque omnes in regno suo præcellere debet, quia parem hebere non debet, nec multo fortiùs superiorem in justitia exhibenda, ut dicatur de eo *magnus Dominus noster & magna virtus ejus*, ita tamen ut minimo de regno suo in justitia suscipienda si parcat comparetur. §. 7. Et licet omnes potentiâ præcellat, cor tamen ipsius in manu Dei esse debet; & nè potentia sua manet irrefrænata, frænum apponat temperantiæ & lora moderantiæ, nè trahatur ad injuriam, qui nihil aliud potest in terra nisi id quod de jure potest: Nec obstat quod dicitur quod Principi placet

placet legis habet potestatem, quia sequitur cum lege regia quæ de ejus imperio lata est, quod est, non quicquid de voluntate regis tantopere præsumptum est, sed quod magnatum suorum consilio rege autoritate præstante, & habita super hoc deliberatione & tractatu rectè fuerit diffinitum. § 8. Potestas itaque sua juris est, qui cum auctor sit juris, non debet inde nasci injuriarum occasio, unde jura nascuntur. Et etiam quod ex officio suo aliis prohibere necesse habet, id in persona propria committere non debet; potestas enim juris solius est Dei, injuriæ vero diaboli; & cujus opera fecerit, ejus & minister erit. § 9. Cum igitur provisum sit quod quilibet in sui juris prosecutione potius judicio quàm viribus utatur, & oportet læsos regem adire, ut ostensis sibi injuriis illatis, celerem justitiam petentibus faciat exhiberi, qui si noluerit de seipso vel de alio, ex tunc Deum expectent conquerentes ultorem: Nemo enim de facto Regis præsumat disputare, nec contra factum suum venire; verumtamen in populo regendo superiores habet, ut legem, per quam factus est Rex, & curiam suam, videlicet Comites & Barones: Comitis enim à comitiva dicuntur, qui cum viderint regem sine fræno, frænum sibi apponere tenentur, nè clament subditi, *Domine Jesu Christe in chamo & fræno maxillas eorum constringe*; ad quos Dominus; *Vocabo super eos gentem robustam, longinquam & ignotam, cujus linguam ignorabunt, & destruet eos, & evellet radices eorum de terra, & à talibus judicabuntur, quia noluerunt subditos justè judicare; & in fine ligatis pedibus & manibus, mittent eos in caminum ignis, &c.* § 10. Caveant igitur sibi Reges & Judices nè conquerentes repellant, vel preversè judicent, ob quod in judicium justi Judicis Filii Dei corruant, ubi Judex terribiliter discretus, & intolerabiliter severus, immoderatè offensus, & vehementer iratus, cujus sententia incommutabilis, carcer irremeabilis, tormenta sine fine, &c. § 11. Quis igitur non timet examen illud in quo Dominus erit accusator, Advocatus & Judex; à sententia autem sua poterit provocari, quia Pater omne judicium dedit Filio, qui claudit & nemo aperit, aperit & nemo claudid: O quàm districtum judicium, quod non solùm de actibus, verum etiam de omni verbo ocioso quodcunque locuti fuerimus reddituri sumus rationem! Temperent igitur Reges potentiam suam per legem, quæ frænum est potentiæ, quod secundùm leges vivant, quia hoc sanxit lex humana, quod leges suum ligent latorem, & alibi digna vox ex majestate regnantis est, legibus alligatum se Principem profiteri; præterea nihil tam proprium imperio quam legibus vivere, & majus est imperio legibus submittere principatum: & cum non semper oportet Regem esse armatum armis, sed legibus, addiscat Rex sapientiam, ut conservet justitiam, & cum illam invenerit, beatus erit si tenuerit illam, cum sit honor & gloria in sermone sensati, & lingua imprudentis subversio ipsius, & principatus sensati stabilis, & Rex sapiens judicabit populum suum; si autem fuerit insipiens perdet illum, quia capite corrupto descendit corruptio membris, & si sensus & vires non vigeant in capite, sequitur quod cætera membra non poterunt officium suum exercere; et non solùm autem esse debet sapiens, sed misericors, & cum sapientia misericorditer justus, & licet tutius sit reddere rationem pro mise-

ricordia quàm pro judicio, tutissimum tamen est, ut palpebræ ejus præcedant gressus suos, quod judicium non vacillet per impudentiam, nec misericordiam decipiat per incircumspectionem, misericordia siquidem injusta est cum incorrigibili, & non est in eos liberalitatis augusta referenda humanitas, qui impunitatem veteris admissi consutudini potius quàm emendationi deputarunt; & cum indulget Judex indigno, nonne ad prolapsionis contagium provocat universos? sic ergo misereatur indigno ut semper homini condoleat; nec pauperis miseratus quis in judicio misericordiæ vel remissionis, cui tam misericordia compassionis est, sed & omnibus miserendi eum doceant merita & demerita personarum. § 12. Debet enim Rex in coronatione sua, præstito Sacramento in nomine Jesu Christi, populo sibi subdito promittere se pro viribus opem esse impensurum, & præcepturum ut ecclesiæ Dei,& omni populo Christiano vera pax omni suo tempore observetur. § 13. Item ut rapacitates omnesque iniquitates omnibus suis gradibus interdicere. § 14. Item ut in omnibus judiciis æquitatem & misericordiam fieri faciat, ut per justitiam suam firma pace congaudeant universi: Ad hæc autem creatus est Rex & electus, ut justitiam faciat universis, & ut in eo dominus sedeat, & per ipsum sua judicia discernat; judicia enim non sunt hominis sed Dei, & tenetur justa judicia defendere & sustinere, nè pax per negligentiam suam possit exterminari: & cum sit Dei vicarius, jus ab injuria, & æquum ab iniquo tenetur seperare, ut sui subditi honestè vivant, nè nullus alium lædat, & quod unicuique quod suum fuerit debita contributione reddatur. §15. Et caveat sibi nè in sede judicandi, quæ est quasi thronus Dei,quenquam loco suo substituat insipientem & indoctum, corruptibilem vel severum, nè pro luce ponat tenebras, & manu indocta modo furioso gladio feriat innocentes, culpabilésque prece vel precio vitetur illegitimè reddere quietos, nè per malitiam, vel ejusdem substituti imperitiam, simul cum ipso æterni luctus mœstitiam sibi comparet. § 16. Cum igitur non sit possibile quod solus ad omnia terminanda sufficeret, per Justitiarios & Comites & alios ministros, viros sapientes, Deúmque timentes,in quibus consistit veritas eloquiorum, ut partito onere levior sit eis labor, quibus plenam exhibeat jurisdictionem, de necissitate oportebit eum subveniri, quibus quæstiones super dubiis quærimoniæque super injuriis terminaturæ referantur,qui cum ad hoc fuerint deputati imprimis jurent, quòd fidele concilium Regi præstabunt quotiens viderint profuturum. § 17. Item quod concilium Regium nemini revelabunt, cui non fuerit revelandum, & præcipuè cum credant damnum posse evenire. Item quod nihil consentient alienari de hiis quæ pertinent ad antiquum dominicum Coronæ Regis: Item quod procurabunt quod justitia fiat omnibus tam divitibus quam pauperibus, magnatibus pariter & parvis secundùm rectas consuetudines & leges in regno usitatas: Item quod liberè permittant de seipsis consanguineis & amicis suis justitiam fieri cuicunque petenti, nec per eos impediri justitiam prece vel precio, favore vel odio, sed bona fide procurabunt, & quòd magnus judicetur sicut parvus secundùm regni consuetudinem, nec sustentabunt vel defendent injuriantes

jurantes in injuriis suis opere vel servitio. § 18. Item quòd à nullo quem sciverint habere aliquod negotium in curia expediendum, aliquod donum vel servitium recipiant, per se vel per alium quocunque modo vel qualitercunque arte, occasione hujusmodi, exceptis esculentis & poculentis pro uno die & non ultra. § 19. Item si alicui pro certo innotuerit, vel à fide digno audierit, aliquem alium conciliarium donum aliquod recepisse illicitum, hoc deferetur in publicam notitiam totius concilii: Et si quis inde convictus fuerit, imperpetuum à concilio Regis concludatur, terrásque, res, redditus, & proventus bonorum suorum amittat per unum annum, qui si hujusmodi proventus non habuerit, puniatur per discretionem, decretum regni & conciliariorum Regis. § 20. Illud etiam sacramentum quoad illum articulum jurabunt Barones de Scaccario, Justiciarii itinerantes, & omnes alii Ministri & ballivi Regis, exceptis Vicecomitibus quibus inferius dicetur. § 21. Et quod dicitur de munerum captoribus ab extraneis & ignotis, intelligatur consimiliter de privatis, videlicet ut de eisdem conciliariis munera capientibus à conciliario negotiante. § 22. Item jurabunt quod malos Officiales vel Milites Ballivos in Officiis vel Balliviis Reg' poni non procurabunt; & si tales positi fuerint per Regem, amoveantur sine mora, & alii boni & fideles substituantur. § 23. Jurabunt etiam quod nullam personam de illegat' suspectam in familiam Regis admitti procurabunt § 24. Item quod nullum de concilio vel cum Rege existentem procurare versus Regem rogabunt quod sibi det quod ipsi possunt sibi retinere, quod ad coronam retinuerunt; quod si Rex ex propria concesserit lenitate, lenitatem sic receptam restituant, & in centum libras nihilominus amercientur, à concilio vel hospitio Regis penitus excludantur, & si delictum aliam pœnam exigerit, graviùs puniantur. § 25. Item quod nullum breve, libertates, privilegia seu quæcunque alia continens, per quæ injuria vel præjudicium oriri possit consuetudinibus Angliæ, sigillari consentiant sine assensu Regio & præsentia majorum de concilio Regi. § 26. Jurabunt enim Vicecomites sic quod non accipient munera ab aliquo pro injuria alicui facienda, vel justitiam deferendo, vel pro jure Reg', vel alterius permittendo vel impediendo. § 27. Item quod non quærent occasiones illicitas vel injuriosas pro aliquo gravando. § 28. Item quod non amercient aliquem nisi secundùm formam cartæ libertatum. § 29. Item quod nihil dabunt alicui de curialibus vel ministris Reg' pro eis defendendis vel manutenendis contra alios, nec aliquid dabunt pro negotiis suis promovendis nisi Domino Reg', vel ad opus ipsius Regis, & hoc palàm & non in occulto. § 30. Et caveant sibi incauti nè volare præsumant antequam pennas habeant; quod si fecerint, ex alto se noverint corruituros. § 13. Nec ad exemplum talibus exhibere judiciandi potestatem quàm in manu ponere gladium furiosi, quorum jurisdictio per mortem delegantis vel delegati, vel cum delegans jurisdictionem revocaverit, vel lata sententia aliter quam finem capit & revocatur: Nullus autem subdelegatus alium potest sibi subdelegare ut Recordum possit præsentare.

De Coronatoribus. CAP. 18.

QUaliter autem Coronatores eligi debeant in provinciis, patet per constituionem, quæ talis est, Quia Juvenes & minus prudentes communiter electi temporibus retroactis extiterunt ad officium Coronatorum, ac necesse est quod milites circumspecti inde se intromittant; provisum est quod in singulis comitatibus sufficientes eligantur Coronatores de probioribus & fide dignioribus militibus totius comitatus, qui melius sciant, possint & velint ad hujusmodi officium intendere, qui cum fuerint ad hoc vocati & electi, fideliter attachiari præcipiant Appellaque & Capitula Coronæ in Comit' præsentent, contra quos vic' loci habeat contrarotulum tam de Appellis & Inquisitionibus, quam aliis officium illud tangentibus, quibus inhibitum est nequaquam capiant pro officio suo faciendo sub pœna gravis forisfacturæ bonorum. §. 2. Qualiter autem convinci poterit fraus & malitia Coronatorum patet per constitutionem Oxon', quæ talis est: Provisum est quod Inquisitores ad subscripta facienda constituendi warrantis suis vic' loci quo fuerint accessur' scire faciant, quod venire fac' coram eis ad certos diem & locum in mandato suo expressos A. de B. Coronator' homines & hundredarios servientes & bedellos, qui in balliva ipsius Coronatoris sunt commorantes, vel fuerint tempore quo idem A. primo fuit Coronator Regis, sive infra libertatem sive extra, omnesque clericos suos cum omnibus rotulis & adminiculis de toto tempore quo Coronator Regis extiterit. §. 3. Cum autem ipsi Inquisitores venerint & Rotulos prædictos faciant consignari, & eos sic sigillatos præfato Coronatori reddant indilatè, usque iter Justic' salvo custodiendos, nisi per warrantum Regii mandati aliud interim fuerit ordinatum: Et quod dicitur de Coronatore, de ejus hærede intelligatur id idem qui de tempore patris sui Coronatoris oneretur; Et hoc fiat, ne idem Coronator vel ejus hæres vel clericus in hujusmodi rotulis contra iter prædictum quicquam possit fabricare. §. 4. Jurentque postea ballivi servientes & bedelli prædicti, quod bene fideliterque ea facient, quæ prædicti Inquisitores eis ex parte Regis injungent, & arcana concelabunt, qui cum juraverint, oneretur quilibit ballivus hundred' & libertatis separatim per se, quibus injungatur quod habeant coram eis certis die & loco omnia nomina villarum & hamelettorum in suis ballivis existentium prædictis Inquisitoribus inscriptis redacta distinctè liberatura; & quod tunc venire fac' coram eis de qualibet villa, octo homines; de dimidia villa, sex homines; & de quolibet hameletto, quatuor de melioribus & legalioribus, exceptis dominis hujusmodi villarum et hamelettorum, per quos ipsi Inquisitores principalem accipiant inquisitionem de duodecim primis Juratoribus de quolibet hundred', libertate & villa respondente per duodecim infra jurisdictionem prædicti Coronatoris existentibus; & quod quilibet prædictorum octo, sex & quatuor proprium habeat sigillum; & si defectus in prædictis villis, dimid' villis & hamelettis inveniatur, quo minus inquisitiones de liberis tantùm sufficienter fieri possint, tunc de discretioribus & legalioribus villanis sigilla habentibus junguntur eisdem: Cum autem Inquisitores dictis die & loco venerint,

nerint, & præmissa facta fuerint, tunc eligant ipsi Inquisitor' per dominum Regem assignati de prædictis octo, sex, & quatuor, duos de melioribus & legalioribus secundum suas discretiones, qui sic jurent, sic auditis C. & D. Inquisitores per dominum Regem assignati, quod veritatem dicam, nullamque veritatem celabo, nec quantum in me est celari permittam coram vobis vel murdrai occasione promissionis, doni, favoris, odii, amoris, vel affinitatis; nec per alicujus abettum vel procurationem vel aliquo modo amittam, quin veritatem dicam; vel vobis præsentem super hiis quæ mihi injungetis vel onerabitis in hac inquisitione ex parte Regis, sicut me Deus adjuvet & hæc sancta, &c. de hiis præcipuè quæ scio vel inquirere potero: Hoc idem Sacramentum facient villatæ & illi de hameletti separatim; & per idem Sacramentum onerabuntur duodecim: postea verò tradent ipsi Inquisitores, & deliberabunt singulis juratis villarum dimidiarum & hamelettorum, hundredorum & wapentak', & libertatum in jurisdictione prædicta existentium, et similiter forin'; sed necesse sit capitula subscripta ut ipsos inde reddant certiores ex parte Regis, liberis firmiter injungendo sub pœna exhæredationis, ac servis sub pœna prisonæ perpetuæ, ne quicquam concelent veritatis, sed plenè, prout hic fuerit inventum, præsentent; Quorum præsentationes fiant duplicatæ, in modum cyrographorum indentatæ, quarum partes sigillis suis appensis dictis Inquisitoribus liberentur; quarum pars una penes eos Inquisitores remanebit, et alia duodecim Juratoribus liberetur, ut super articulis in eadem contentis plenius certiorentur cum ad hoc fuerint convocati. § 5. Inprimis fideliter præsentent de omnibus murdris, homicidiis, feloniis, per quem, quando, et ubi, in terra videlicet vel in aqua, bosco, placio, vel marisco, vel in villa, vel extra, vel qualiter fuerint perpetratæ per totum tempus, quo talis A. fuit Coronator Regis in partibus illis, si ipse Coronator personaliter accesserit ibidem pro officio suo faciendo, vel, si alium forte loco suo substituerit, quotiens, et quis fuit ejus substitutus. § 6. Item si ipse Coronator gratis et sine dilatione ad fortunas emersas accesserit, quotiens ad hoc erit requisitus; vel si aliquid petiit, vel clericus ejus receperit ut celerius officium suum faceret, id quod sine mercede facere tenebatur; vel si dilationem quæsivit, ut per sic pecuniam extorqueret sic, quotiens, & quantum, & per quorum manus hujusmodi pecuniam receperit. § 7. Item si catalla felonum tam per amicos suos, quàm alios legaliter fuerint appreciata & villatæ liberata custodienda, vel absque pretio fuerint in Rotulo Coronator' imbreviata. § 8. Item de muneribus datis Coronatori pro eo quod falsam & procuratam caperet Inquisitionem pro jure alicujus murdriendo, vel pro catallis alicujus appreciandis ad minus quàm ad verum valorem; vel si de rebus prius inquisitis coram eo & irrotulatis, aliter irrotulari fecerit, quam in forma præsentata, vel si falsò rotulos suos innovaverit, tunc in quo, & erga quem, & quantum proinde sibi & clerico suo fuit attributum. § 9. Item si ipse vel clericus suus aliquid de catallis felonum detinuerint post appreciationem eorum vel ante, vel si levius pretium apponi procuraverit, ut per idem pretium illud haberet, vel si pretium appositum per juratores in rotulo suo minoravit de re, quam penes se retinuerit, ut perinde

minus



minus itinere Justic' oneretur; tunc Inquisitores certificent de rerum qualitate & quantitate. §. 10. Item si appella aliqua falsò fecerit irrotulari, vel passus murdriri, vel de rotulis suis extrahi, vel forte ad paupertatem, vel malam voluntatem prosequentis, vel favore, occasione doni vel promissionis, vel ob timorem vel affinitatem alicujus appellati admittere vel irrotulari supersederit vel retraxerit; tunc quotiens, & quantum proinde receperit, & per quorum manus. §. 11. Item si aliquid receperit de villatis in quibus fieri fecit adjurationes, ac visus & inquisitiones, tunc quotiens, & quantum, & per quorum manus. §. 12. Item si aliquis de suis in suis visibus ac inquisitionibus de corporibus mortuorum aliquid ceperit & asportaverit, tunc quantum & quotiens, & qui hæc fecerint. §. 13. Item si omnia attachiamenta fieri fecit debito modo nec ne. §. 14. Item si aliquem attachiari fecit injustè ut ipsum gravaret, & de suo sic extorqueret pro ipso culpabili qui idem nomen habuerit, tunc per cujus procurationem & abettum, & quantum recepit à tali gravato vel apertè hoc procurante. §. 15. Item si officium suum in omnibus sine dilatione & sponte fecerit nihil capiendo ab aliquo secundum tenorem statuti. §. 16. Item si in aliquo com' concelaverit de articulis appelli, vel concelari fecerit vel procuraverit in gravamen appellantis vel appellati vel alterius, occasione doni, timoris, affinitatis, promissi, amoris, vel alicujus procuramenti, tunc de modo, & per quos, pro qua mercede, qua occasione, quotiens, & in quibus casibus. §. 17. Item si omnia attachiamenta officio appendentia prout debuit pro Rege vel pro querente prosecutus fuerit, vel prosequi fecit cum rigore. §. 18. Item si catalla fugitivorum de villa in quibus morabantur pro suspitione mali de eis habita subtractorum fideliter fecit arrestare, ipsaque per bonas Inquisitiones integrè irrotulari, & villatis in quibus inventa fuerint usque ad iter Justic' salvo custodienda liberantur nec ne; quod si non fecerit in toto vel in parte, tunc, cui ea liberavit, & quantum. §. 19. Item si aliquod appellum, aliquamve querelam subtraxerit, vel subtrahi fecerit, vel permiserit, vel adnihilari, tunc per cujus procuramentum, & per quantum id fecerit, & quotiens. §. 20. Item de Thesauro invento tempore balliviæ suæ, qui illud invenerint, & quantum, & ad quorum manus devenerit. §. 21. Inquisitores enim de Wapentakio in Wapentakium ad præmissa distinctè inquirenda accedere debent, & de hundredo in hundredum, tam infra libertatem quam extra, & de villa in villam respondentem per duodecim homines. Receptis itaque præsentationibus Juratorum cum omnibus sigillis suis, statim venire fac' coram eis duodecim meliores, ditiores & discretiores, & onerantur tactis sacrosanctis super capitulis prædictis fideliter veritatem præsentare. §. 22. Et si Inquisitores super aliquo concelamento dubitaverint, liceat eis per viginti quatuor Juratores de toto corpore com' electos per prædicta capitula oneratos omnes vel quosdam committere celantes veritatem præmissorum. §. 23. Si quis verò coronator, clericus, jurator, vel ballivus coram eis convinci contigerit in prædictis, vicecom' liberentur, qui ipsos custodiat donec manucapti fuerint per sufficientes manucaptores de satisfaciendo Regi de fraude, perjurio & fallitate, cum Rex inde loqui voluerit, quibus Rex gra-

gravem pœnam non expressam imò voluntariam infligere permittat. Datum Oxon', &c.

De Processu coram Justiciariis itinerantibus. CAP. 19.

Constitutis siquidem subdelegatis, ut de processu in itineribus Justitiariorum ad omnia placita aliquid exempli causa dicatur, directoq;brevi vic' de generali summonitione, præmuniantur omnes de comitatu quod sint coram talib' Justiciariis ad certos diem & locum, quæ præmunitio tempus quadraginta dierum contineat, & mandetur Justic' de Banco quod omnia brevia omnesque loquelas coram ipsis pendentes de comitatu tali coram talibus Justiciariis destinare protinus non omittant: Partibus præsentibus inde legitimè præmonitis, qui cum advenerint statim liberatis rotulis coronator' à tempore ultimi itineris sub sigillis Justiciariorum, statim retrodantur eisdem, de die in diem parati inde reddere rationem. §. 2. Imprimis igitur lectis brevibus warrantis suis publicè & auditis, major eorum à parte proponat causam sui adventus, & itinerationis utilitatem. §. 3. Ipsi igitur qui libertates aliquas infra præcinctum comitatus habere clamant, eas primo die imbreviatas ostendant, alioquin præcipiatur vic', quod non permittat quenquam deinde congaudere, sed eas capiat in manus Regis, nomine districtionis, quousque comparerent, & quo warranto eas clamaverint vel occupaverint, legitimè velint respondere. §. 4. Si quis ergo sit Dominus qui returnum brevium habere clamat,statim warrantum ostendat, quo pro sufficienti cognito, licentiati sint omnes de libertate illa domibus suis redire, donec de adventu Justiciariorum legitimè fuerint præmuniti. Domini etiam qui com', hundred', vel alios clamant habere balneos in feodo, acceptis virgis in manibus, suis locis petant substitutos deputare, quibus juratis, gratis admittantur, virgæque liberentur eisdem convocatis ballivis de qualibet ballivia quatuor milites eligant & fide dignos, quorum nomina faciant imbreviari, quibus statim venientibus jurent de qualibet ballivia duodecim de melioribus illico præsentare,de his præcipuè qui neminem appellant, nec ab aliquo sunt appellati, quorum sacramentum tale sit. §. 5. Hoc auditis Justiciariis quod veritatem dicam de hoc quod à me interrogabitis ex parte Regis, & fideliter faciam, &c. §.6. Et cum omnes homines juraverint, statim deliberentur eis capitula Coronæ, quibus onerentur ad omnia fideliter, distinctè & apertè respondere. §. 7. Et inhibetur omnibus clericis omnium Justiciariorum, ne aliquid capient ab aliquo pro capitulis liberandis, juratoribus; præterquam itinere justiciariorum, ubi quilibet jurator de hundred', wapentakio vel villa respondent' per duodecim vel per sex homines duos solidos tantum tribuat. §. 8. Si quis enim clericus magis ceperit,& inde convincatur, reddet triplum querenti,& servitium domini sui perdet per annum. Et cum iter suum compleverint in comitatu, accedere debent ad libertates in comitat', & officium suum ibidem omninò renovare.

De

De Capitulis Coronæ & Itineris. CAP. 20.

DE crimine læsæ majestatis vel seductione personæ Regis vel regni, vel exercitus sui. §.2. De crimine falsi ut de falsar' sigilli Reg', vel monetæ suæ illicitè fabricantibus, vel eam retondentibus, & eorum fautoribus; de illicitis cambiatoribus monetæ suæ, & de inventoribus thesauri occultati inventi, hæc quidem graviora sunt & majora, eò quod personam Regis tangunt principaliter. §. 3. Sunt etiam crimina aliquantulum minora, eo quod & quamvis ipsum Regem in parte tangunt propter pacem suam infractam, privatas etiam tangunt personas in parte; contra quas delinquitur, sicut hæc. §.4. De homicidiis causalibus & voluntariis. §. 5. De burgatoribus, latronibus, robbatoribus, & eorum receptatoribus. §. 6. De verberatoribus, vulneratoribus contumeliosis & paci rebellis. §. 7. De incendiariis nocturnis vel diurnis & concussionibus tempore pacis nequiter perpetratis. §. 8. De virginum & sanctimonialium & matronarum honestè viventium raptoribus & abductoribus. §. 9. De prisonatoribus & prisonam habentibus vel facientibus. §. 10. De utlagatis & eorum receptatoribus. §. 11. De wrecco maris. §. 12. De evasionibus latronum, & gaolarum fractoribus, & eorum fautoribus. §. 13. De veteribus articulis alias Regi vel ejus Justic' præsentatis per duodecim Juratos nondum terminatis. §. 14. De puellis vel valettis qui sunt vel esse debent in custodia Regis, si sint maritati, vel maritandi, & cujus ætatis fuerint; & si sint maritati, tunc quibus, & per quem, quantum terræ eorum valeant per annum. §. 15. De viduis quarum domini obierunt seisiti de tenementis quæ tenuerunt de Rege si sunt maritatæ vel non, quæ si sint maritatæ, tunc quibus, & quantum terræ virorum & suarum uxorum valeant per annum. §. 16. De Ecclesiis in illo comitatu tam Cathedralibus parochialibus quàm religiosis quæ sunt de advocatione Regis, & quæ esse debent & non sunt, & qualiter, & per quos sunt subtractæ. §.17. De escaetis Regis tam felonum quam sine hærede mortuorum quis eas teneat, & de quo, & quantum valeant per annum; & similiter de Serjantiis. §.18. De purpræsturis super Regem factis in terra, in mari & in aqua dulci, infra libertatem vel extra. §. 19. De mensuris Regis in regno constitutis, qui sunt conceptores, & alias substituentes. §. 20. De Clerico Reg', de mensur', & aliis custod'earum si mercedem ab aliquo ceperint ut per unam emerint, per aliâmque minorem venderent, seu quod aliquam fraudem facere permitterent & sustinerent. §.21. De venditoribus pannorum rectam assisam non habentium. §. 22. De custodibus hujusmodi assisarum, si mercedem ceperint per quod hujusmodi pannos impunos vendi sustinerent. §. 23. De vinorum contra rectam assisam venditoribus, & quot doleata. §. 24. De tributa recipientibus à latronibus, & bursarum cissoribus nè caperentur. §. 25. De tributa vel quasi redditum vel munera recipientibus, de hospitantibus extraneos contra formam inhibitam, ut infra. §. 26. De convictis & non amerciatis, vel si amerciatis vel finientibus, nihil tamen solventibus. §. 27. De hiis qui placita coronæ tenuerunt præter coronatores

tores vel Jufticiar'. § 28. De ufurariis Chriftianis qui fuerint, & fi qui mortui fuerint, qui catalla eorum habuerint, & quantum. § 29. De mercatis levatis, vel ab uno die vel loco in alium remotis. § 30. De novis confuetudinibus levatis in terra, vel in aqua, quis eas levavit, & ubi. § 31. De mercedes capientibus pro bladis, vel victualibus dimittendis, ne caperentur ad opus Regis, vel ad munitionem caftrorum. § 32. De prifis factis per Vicecomites, conftabularios, vel alios contra voluntates eorum quorum catalla illa fuerunt. § 33. De non comparentibus primo die feffionis. § 34. De duella inter probatorem & latronem fe cognofcentem, & appellatum tenentibus, & gaolam deliberantibus. § 35. De malefactoribus in parcis & vivariis. § 36. De columbas alienas per retia & laqueos capientibus invitis dominis. § 37. De hiis qui tenent terras Normannorum, Flandrenfium, Britonum, & aliorum alienigenarum, de quorumcunque feodo fint, & quo warranto eas tenent. § 38. De hiis qui fubtraxerunt fectas fchirorum, comitatuum, hund', & auxilia, Vicecom' poft guerram motam inter Regem Henricum tertium & Barones fuos per voluntatem Vic', & Ballivorum fine regio affenfu. § 39. De hiis qui warrennas levaverunt fine warranto. § 40. De hiis qui pifcantur cum kidellis. §. 41. De coronatoribus qui denar', vel aliquam mercedem receperunt pro officio fuo exequendo, & fi catalla felonum vel fugitivorum concelaverint, vel ad opus fuum detinuerint, & quantum & ad quorum manus devenerint. De pontibus & calcetis fractis & communibus tranfitibus, quis ea reparare debeat & fuftinere. § 42. De captis & incarceratis pro aliqua fufpitione mali per vic' vel alios quofcunque qualiter deliberati fuerint. § 43. De felonibus fufpenfis & dampnatis alibi quàm coram Jufticiar' ad omnia placita, ad quorum manus catalla devenerint; & qui terras fi quas habeant & teneant, & à quo tempore, quantum valent per annum. § 44. De illis qui currunt in alienis warrennis fine licentia dominorum. § 45. Item quot & quæ maneria dominica Rex habet in manu fua in fingulis comitatibus, tam fcilicet de antiquis dominicis coronæ, quam de efcaetis & perquifitis. § 46. Quæ etiam maneria effe folent in manibus Regum Anteceflorum Reg', qui ea nunc tenent, quo warranto, & à quo tempore, & per quem & quomodo fuerint alienata. § 47. De feodis Regis & de illis ea tenentibus, & qui modò ea teneant, de ipfo in capite, & quot feoda finguli eorum teneant, & quæ feoda teneri folent de Rege in capite, & nunc tenentur per medium vel medios, & à quo tempore alienata fuerunt, & qualiter, per quos, utrum per ballivos aut alios, & per quos ballivos vel per quos alios, & à quibus alienata funt, & qualiter. § 48. Inquiratur etiam de firmis hundr' & wapentakiorum, tritingorum, civitatum, Burgorum & aliorum reditum quorum alienatis, & quorumcunque alienatis, & à quo tempore. § 49. Quot wapentakia, hundr', tritinga funt in manu Regis, & quot & quæ funt in manibus aliorum, & quo warranto, & quantum valeat quodlibet hundr' per annum. § 50. De fectis, antiquis confuetudinibus, & aliis rebus Regi, & Anteceffloribus fuis fubtractis, qui ea fubftraxerint, & à quo tempore, & qui hujufmodi fectas, confutudines, et

servitia & alia ad Regem pertinentia & consueta sibi ipsis appropriaverint, & à quo tempore, & quo warranto. § 51. Qui etiam clamant à Rege, habere returnum vel extracta brevium. § 52. Et qui clamant wreckum maris, & quo warranto, & alias libertates regias, & furtas & Assisas panis & cervisiæ; & alia quæ ad coronam pertinent, & à quo tempore. § 53. De hiis qui habent libertates à Rege concessas, si eis aliter usi fuerint quàm facere debuissent, & à quo tempore, & quomodo. §. 54. De libertatibus concessis quæ impediunt communem justitiam, & regiam potestatem subvertunt, & à quo concessæ fuerint. § 55. Qui etiam appropriaverint sibi liberas chacias vel warrennas sine warranto, & qui ab antiquo hujusmodi chacias vel warrennas ex concessione Regum habuerunt, & fines & metas excesserint. § 56. Qui etiam domini aut eorum senescalli, vel ballivi quicunque, seu etiam ministri Regis non sustinuerint executiones mandatorum Regis fieri, aut ea facere contempserunt, vel aliquo alio modo impediverint. § 57. De feodis militaribus cujuscunque feodi, & terris aut tenementis datis vel venditis religiosis aut aliis in præjudicium Regis, per quos, & à quo tempore. § 58. Qui ceperint mandatum Regis ut ejus debita solverent, & à creditoribus aliquam portionem ceperint, ut eis residuum solverent, & nihilominus totum sibi allocari fecerint in scaccario vel alibi. § 59. Qui receperint debita Regis vel partem debiti, & debita illa non acquietaverint tam de tempore Regis E. patris Regis, quam de tempore præsenti. § 60. De escaetoribus & subescaetoribus in seisina Reg' facientibus vastum vel destructionem in boscis, parcis, vivariis & warrennis quantum; & de quibus. § 61. Item, de eisdem si occasione hujusmodi seisinarum ceperint bona defunctorum vel hæredum in manum Regis injustè, donec redimerentur ab eisdem, & quid, & quantum ita ceperint pro hujousmodi redemptione, & quid ad opus suum detinuerint, & à quo tempore. § 62. Item, de eisdem qui minus sufficienter extenderunt terras alicujus in favorem ejusdem vel alterius qui custodiam terrarum illarum vendi vel concedi debuerat in deceptionem Regis, & ubi, & quomodo, & quid inde ceperint, & quantum. § 63. Item, de eisdem qui prece, precio vel favore consenserint, vel consulerint custodias Reg' vendi pro minore precio quàm vendi debuerint secundum verum valorem vel maritagia hæred' tenentium de Rege in capite, vel maritagia viduarum maritatarum sine licentia Regis; & quid propter hoc ceperint, & quantum. § 64. Item, de eisdem qui consentierunt, & procuraverunt quod Juratores inquisitionum factarum de ætate hæredum dicerent ipsos hæredes fuisse plenæ ætatis cum non essent, unde Rex amitteret custodias vel maritagia hujusmodi hæredum. § 65. Item, de eisdem qui reservaverunt ad opus suum proprium custodias vel maritagia hujusmodi hæredum pro levi precio, pro concelamento facto in curia Regis, & cujusmodi dampnum Rex inde habuerit. § 66. Item, cujusmodi terras seiserunt, & per quantum tempus eas in manu Regis tenuerunt. § 67. Item, de terris captis in manu Regis quæ non deberent capi, & postea restitutis per præceptum; & cum præceptum fuerit utrum percepta restit' ad mandata Regis, aut non. § 68. De magnatibus

tibus & aliis venientibus hospitandi ad domos religiosorum, cum non essent requisiti per gubernatores eorundem religiosorum, vel ad custus proprios contra voluntatem eorundem religiosorum. § 69. Item, si qui occasione cujuscunque affinitatis, vel alia ratione quacunque fugaverint in parcis, vel piscati fuerint in vivariis aliorum, vel ingressi fuerint maneria prælatorum vel aliorum ad comedend' vel pernoctand' sine licentia & voluntate dominorum, vel ballivorum eorundem maneriorum ad custum eorundem dominorum vel ad custum proprium: & similiter de hiis qui seruras, fenestras, ostia, vel consimilia fregerint seu aperierunt, seu victualia vel alia bona inventa in eisdem maneriis ceperunt sub colore emptionis, vel aliter. § 70. Item, de hiis qui tritutari vel capi fecerunt blada, victualia, vel alia bona Prælatorum religiosorum, vel aliorum sub colore emptionis, vel aliter contra voluntatem eorum quorum ipsa fuerunt. § 71. Et si de voluntate, de hiis qui non satisfecerunt de conventione inter eos facta. § 72. Item, de hiis qui vindictas fecerunt, quibuscunque qui escas vel hospitia eis nevagerunt. § 73. Item, de his qui vindictam fecerint, eò quòd si aliqui super prædictis gravaminibus in curia Reg' conquesti fuerint. § 74. Item, de hiis qui miserint ad domos, vel ad maneria religiosorum, vel aliorum homines, equos, vel canes perhendinantes ad custum alienum. § 75. Item, de hiis qui latronum vel felonum levaverint escapium, antequam adjudicatum fuerit per Justic' itinerantes. § 76. Item, de hiis qui sub colore de wrecko maris, bona quorumcunque sibi appropriaverint, cum ea dici wreckum non debeant, nec ad eos pertineant. § 77. Item, de hiis qui amerciati fuerint sine rationabili causa, & non secundùm quantitatem delicti, nec per pares suos, per quem amerciati fuerint. § 78. Item, de prisis constàbulariorum castrorum factis, de bonis aliorum quàm eorum qui sunt de villis, ubi castra sita sunt; & si de bonis eorum qui sunt de eisdem villis, si non satisfactum fuerit infra quadraginta dies, exceptis antiquis prisis debitis & consuetis, per quem hujusmodi prisæ factæ fuerint, & quando. § 79. Item, de hiis qui ad mandatum vic' & aliorum ballivorum Regis, vel ad clamorem patriæ sequi vel arrestari non fecerint felones conversantes tam infra libertatem quam extra. § 80. Si quis rapuerit domicellas infra ætatem existentes sponte, vel ipsis invitis, seu etiam alias mulieres contra voluntatem earum. § 81. Item, de ministris Regis, qui manutenuerint per se vel per alios aliquas loquelas vel negotia in curia Regis existentia de terris & ten' vel aliis rebus ut habeant inde partem, vel aliquod proficuum per conventionem inde inter eos factam; & aliter de vic' & aliis ministris Regis capientibus munera pro officiis suis exercendis. § 82. Item, de clericis Justic', Escaetorum, Inquisitorum, capientibus denar' pro capitulis liberandis, nisi fuerint clerici Justic' in itinere, & de illis si plus ceperint, quàm duos solidos de wapentakio, vel de hundr', vel de aliis respondentibus per duodecim vel per sex. § 83. Item, de hiis qui capiunt superflua, vel indebita theolonia in civitatibus, burgis, vel alibi contra communem usum regni. § 84. Item, de civibus & burgensibus capientibus muragia sibi à Rege concessa aliter quam facere deberent, secundum concessionem inde

 factam

factam. § 85. Item, de hiis qui recceperint plures equos vel carectas ad cariagia Regis facienda aliter quàm necesse fuerit, & si qui munera ceperint pro eisdem dimittendis, tunc quid, & quantum, & à quibus. § 86. De magnatibus & eorum ballivis, & similiter de aliis, exceptis ministris Regis, quibus specialis datur ad hoc authoritas, ad instantiam cujuscunque, vel authoritate propriâ attachiaverint quoscunque vel eorum bona transeuntia per eorum potestates, compellendo per hæc ipsos ad respondend' coram eis de contractibus, conventionibus, & transgressionibus extra posse & jurisdictionem suam factis, cum nihil teneant de ipsis, nec infra libertates suas morantur. § 87. De vic' & aliis ballivis qui non permiserint aliquem, ut de suo proprio averia sua capta & imparcata pascere, & quid ceperint pro custodiâ eorundem; cum illi quorum averia fuerint, hoc facere parati fuerint. § 88. De districtionibus factis postquam Rex inhibuit, per averia ad waynagium deputata, vel etiam per bidentes pro debito domini Reg', vel aliorum, seu alia quacunque occasione, vel per quemcunque cum alia sufficiens districtio inventa fuerit, quis sic distrinxit, & similiter de superfluis districtionibus. § 89. Item, de averiis captis pro debito Regis, vel alia occasione per quemcunque & vendit' infra quindecim dies post captionem. §. 90. De hiis qui capiunt mercedem de aliquibus pro advocatione habenda, cum non sint tenentes nec residentes in tenur' suis. § 91. De hiis qui alienant terr' & tenementa per fraudem ab alio---- contra adventum Justic', nè ponerentur in assisis vel in juratis, qui fuerint illi, & per quorum procurationem talia facta fuerint. § 92. De resistentibus ballivis Reg' in summonitionibus & districtionibus faciend' vel attachiamentis. § 93. De ballivis mercedem capientibus pro quibusdam recognitoribus de juratis Assisis & inquisitionibus amovendis & aliis substituendis. § 94. De vic' & ballivis fines capientibus. De vallettis feod' mil' tenentibus, vel viginti libras terræ habentibus, nè milites fierent ad mandatum Regis. § 95. De Barone vel alio placitante placitum, de vetito namii sine brevi Regis. § 96. De excessibus vic' vel aliorum, si aliquam litem versus aliquem injustè suscitaverint occasione extorquendi quicquam ab eis, vel propter quod justitia vel petitio alterius impediretur. § 97. De irreplegiabilium dimissionibus per plevinam. § 98. De plegiabiles injustè detinentibus, de fines capientibus, de indictatis vel al' nè imprisonarentur. 99. De vic' & aliis pluries unicum amerciamentum levantibus. § 100. De distringentibus & plures misericordias recipientibus, de pluribus unum nomen habentibus cum non fuerit nisi unicum amerciamentum. § 101. De plus recipientibus quàm in extractis scaccarii continebatur. § 102. De ballivis per cervisias colligentibus à sectatoribus, & subjectis suis. § 103. De ballivis blada petentibus, & alia prætextu balliviæ suæ, per quod pauperes & meticulosi gravantur & molestantur. § 104. De vic' capientibus munera, & si consenserint ad conceland' felonias factas in balliviis suis: & qui negligentes fuerint ad hujusmodi felones attachiandos cujuscunque favore, tam infra libertatem quàm extra: Simili modo de clericis & aliis ballivis, vic', coronator', & eorum clericis & ballivis quibuscunque. § 105. De vicecom' & ballivis quibuscunque

quibuscunque qui amerciaverint illos qui summoniti fuerint ad inquisitiones faciendas per præceptum Reg' pro defalta, cum per eandem summonitionem personæ venerint sufficientes ad hujusmodi inquisit' faciend',& quantum ceperint, & à quibus occasione prædictâ. §. 106. Cum vic' non debeant facere turnum suum nisi bis in anno; qui turnum pluries fecerint. §. 107. Cum fines de redisseisinis & purpræsturis factis per terram vel per aquam, & pro inventione thesauri, & aliis hujusmodi ad Regem pertineant, & ad vicecom' hujusmodi attachiare, qui ceperint hujusmodi fines, & à quibus, & quantum. §. 108. De vic' qui tradiderint ballivis extorsoribus populum gravantibus supra modum, hundreda, wapentakia, tritinga, & alias firmas, ut sic suas firmas levarent, & qui fuerint illi ballivi, & quibus fuerint hujusmodi dampna illata. §. 109. Item qui habuerint robbatores imprisonatos, & eos fecerunt appellare fideles & innocentes causâ lucri, & quandoque impedierint nè culpabiles appellarent, & per quorum procurationem talia facta facta fuerint. §. 110. Item, qui habuerint felones imprisonatos, & pro pecunia eos à prisona evadere permiserint. §. 111. Et qui pecuniam receperint, pro prisonis dimittendis per plevinam cum replegiabiles non fuerint. §. 112. Qui dona vel alia lucra receperint pro officiis suis exercend' vel non exercend', vel aliter executi fuerint seu excesserint fines mandatorum Regis, aliter quàm ad officium suum pertinuit. §. 113. Et omnia ista inquirantur tam de vic', coronator', & eorum clericis, & ballivis quibuscunque, quàm de dominis, & ballivis libertatum quarumcunque. §. 114. Item qui vic' vel custodes castrorum vel maneriorum Regis, de operationibus suis quibuscunque vel etiam visores hujusmodi operationum ubicunque factarum per præceptum Reg' magis computaverint vel testificati fuerint in eisdem, quàm rationabiliter posuerint, & super hoc falsas allocationes sibi fieri procuraverint; & similiter qui petram, vel maeremium, vel alia ad hujusmodi operationis empta seu provisa ad opus suum amoverint seu detinuerint, quot & quantum dampnum Rex inde habuit; de vic' & ballivis convenientibus juratores per semetipsos ad inquirend' de placitis coronæ, si amerciamenta ceperint pro defaltis vel pro hutesio levato & non secuto. §. 115. Cum vic' & alii ballivi cujuslibet libertatis fecerint non debito modo summonitiones, secundùm formam brevis Regis, vel alias fraudulenter, sed minus executi fuerint præcepta Regis prece, precio vel favore, & à quo tempore. §. 116. Item de vicecomitibus venientibus hospitandi in balliviis suis cum pluribus quàm quinque vel sex equis, vel qui per frequentes adventus ultra modum quoscunque oneraverint. §. 117. Item, de vicecom', coronator' & aliis ballivis conversantibus, tam infra libertatem, quam extra, qui prece, precio vel favore, vel quacunque affinitate concelaverint, vel concelari procuraverint felonias factas in balliviis suis, vel se subtraxerint ad hujusmodi malefactores capiendos. §. 118. Item, de hiis qui ceperint averia eorum, vel capi fecerint in uno comitatu, & ea fugaverint extra illum comitatum: & similiter de hiis qui ceperint averia, vel districtiones extra feodum suum. §. 119. Item, de hiis qui fugaverint averia ad castra vel forcelletta, & ea ibi detinuerint contra vadium & plegios cum

per

per vic' vel ballivum Regis petita fuerit eorum deliberatio. §. 120. De vic' & aliis ballivis qui receperint debita Regis de summonitione scaccarii, & debitores inde non acquietaverint, de eorum hæredibus qui modo sunt superstites, & quantum receperint, & à quibus. Item de malefactoribus parcorum, vivariorum, & etiam de hiis qui veniendo, morando & redeundo quamcunque robberiam fecerint. §. 121. Item, de hiis qui fecerint districtiones in civitatibus, burgis, nundinis, vel mercatis super homines forinsecos de regno isto pro debito alicujus, nisi fuerint debitores vel plegii. §. 122. De retonsoribus monetæ. §. 123. De hiis qui tradiderint denar' suos retonsoribus, pro habendo lucro tonsuræ. §. 124. De vic' & constabular', & aliis ballivis Reg', vel alterius qui sub se habuerint in custod' & infra ballivias suas Judæos quoscunque. §. 125. Et qui consenserint eisdem gratis, & permiserint facere tonsuram pro certa mercede, & per certam conventionem capiendam. §. 126. De vic', constabulariis vel aliis qui retonsores ceperint, vel attachiaverint cum re tonsura cruda, vel cum platis seisitos, & qui pro mercede eos deliberaverint, & attachiamentum illud concelaverint. §. 127. De hiis qui emerint per seipsos vel per alios tonsuram, vel platas, scientes ipsas esse retonsuræ. §. 128. De hiis qui cambiaverint bonam monetam scienter cum retonsoribus pro majori numero habendo: De moneta retonsa, & hoc frequenter quasi mercatores de die in diem. §. 129. Item, de aliis hujusmodi cambiatoribus qui aliquando & raro hoc fecerint. §. 130. Item, de hiis qui emerint platas tonsuræ non affinatas, licet non de retonsoribus. §. 131. Item, de hiis qui aliis tradiderint denar' suos cambiatoribus prædictis qui frequenter cambiaverint, ut supra pro habendo partem lucri inde provenientis. §. 132. De fundatoribus qui retonsuram vel platas ejusdem affinaverint. §. 133. De vic', constabular' & ballivis quibuscunque qui mercedem ceperint per sic, quod pacerent & fingerent attachiare suspectos, vel qui eos attachiaverint, sive Christianos sive Judæos pro levi suspitione quos non invenerint seisitos cum retonsura, & ipsos pro mercede deliberaverint. §. 134. Item, de Justic' & Inquisitoribus habentibus potestatem per brevia Regis ad inquirend' de retonsor', & pro mercede simulaverint facere officium suum, & quid, & quantum ceperint, & à quibus. §. 135. De fugitivis qui occasione tonsuræ & transgressionum prædictarum subtraxerint se ubi devenerint, & de catallis eorum & terr' & tenem' si quæ habuerint. §. 136. De hiis qui viderint & manifestè perceperint qui fuerint retonsores & ipsos non accusaverint Regi vel ballivis suis, cum quilibet de populo ad hoc tenetur, licet expressè non consentiret. §. 137. Hoc quidem augmentum recipiunt & diminutionem. §. 138. Ex capitulis de veteribus coronæ placitis aliàs præsentatis, & nondum terminatis solet exceptio quibusdam indictatis oriri, quod de novo indictamento de facto ante ultimum iter præteritum imposito non teneretur respondere, & si non sit allocabilis, sequitur quod Jurat' hundr' puniendi de concelamento, vel de perjurio convincendi. §. 139. Cum igitur alicui competant actiones criminales una vel plures contra unum vel plures, illa quæ major est, primò debet intentari, ne extinguatur pœna, vel malefica remaneant impunita,

punita, nam crimen furti suspendi debet donec in persona inde appellati terminetur actio super crimen læsæ Majestatis, una enim exigit pœnas cum morte, altera verò mortem tantùm, qui si prius per minorem actionem condemnaretur, sic extinguerentur pœnæ in crimine majori. §. 140. Si quis igitur in criminali appellatus fuerit actione oritur ei inde exceptio versus omnes contra ipsum agentes civiliter, quod respondere non tenetur ad civilia, donec se defenderit in criminali.

De Crimine læsæ Majestatis. C A P. 21.

SI quis autem mortem Regis ausu temerario machinatus fuerit, vel — ad seductionem ejus vel exercitus sui procuraverit, vel egerit, vel auxilium præbuerit, vel consensum; quamvis voluntatem non produxerit ad effectum, & sit aliquis de populo qui sibi imponat, dum tamen non criminosus, qui ab omni debet merito accusatione repelli, admitti debet absque plegiorum inventione de prosequendo, ne se abstineant alii in consimili quicunque fuerit accusator, nisi etiam fuerit conspirator, & crimini aliquo consentiens; vel si nullus apparet accusator, sed sola oriatur infamia apud bonos & graves, diffamatus vel accusatus attachiabitur per corpus, & captus remanebit donec se inde legitimè acquietaverit, qui si culpabilis inveniatur, ultimum supplicium sustinebit cum pœnæ aggravatione corporalis, omniumque bonorum amissione, & hæredum suorum exhæredatione perpetua, & vix est permissibile quod hæredes vivere permittantur. §. 2. Si autem appareat accusatus, in Curia proponat appellans appellum suum: Dicere enim debet de certo loco certisque die & hora interfuisse, vidisse, & scivisse ipsum accusatum, præloquutum fuisse mortem Regis, vel ejus seductionem, vel exercitus sui, vel consensisse, consilium, auxilium præstitisse vel authoritatem; hoc quoque ipso juxta considerationem curiæ disrationare parato, accusato etiam è contra per ordinem negante, sic poterit per duellum terminari, nec erit locus concordiæ, nisi Regis interveniat assensus, §. 3. Defendere se debet inprimis sic, omnem feloniam defendit, omnemque seductionem Regis, Regni, vel sui exercitus, & quicquid fuit contra pacem suam, & omnes articulos sibi impositos in appello negare debet seriatim de verbo ad verbum. §. 4. Et quia non decet regem vel curiam suam aliquem de vita & membris in verbis redarguere tantum sed rationibus, sufficit si communiter se defenderit, dum tamen de causa; appellans enim magis quam accusatus necesse habet verba suæ propositionis distinctè per ordinem debitum eructare. §. 5. Et si vitium in appello inveniatur per omissionem verborum vel inordinationem & hujusmodi, & ex hoc oritur accusato appellum ratio declinandi. §. 6. Item dicere potest quod appellans est latro confessus de se, & pro latrocinio captus fuit, & imprisonatus fuit apud N. vel fregit prisonam regis & evasit, vel quod utlagatus fuit apud N. Ita quod nihil restat de eo nisi suspensionis vel decollationis executio, & petere poterit judicium si convicto ante judicii executionem debeat respondere. §. 7. Ad hoc etiam quod accusans dicit, quod prælocutio facta fuit in præsentia talium, respondere poterit quod nunquam cum prædictis talibus colloquium habuit; quod si poterit verificari, quietus recedet.

recedet. §. 8. Item videtur quod audiri non debet appellando, nam ex quo talem ſcivit ſeditionem eſſe prælocutam tanquam traditor & inimicus reg', & feloniæ conſentiens ſubticuit per tantum tempus, infra quod ob ſui defectum poſſit regi periculum eveniſſe, ſi ſic eſſet quod ſtatim & ſine mora alicui facienda hoc regi debuit oſtendiſſe; & petere poterit judicium, ſi inimico reg' teneatur aliquis reſpondere. §. 9. Et niſi appellans ad hujuſmodi exceptiones ſufficienter reſpondeat, declinabitur appellum in perſona ſua. §. 10. Cum autem non declinetur appellum, tunc examinanda eſt cauſa, utrum felonia fuerit vel tranſgreſſio, quæ ſi felonia fuerit & accuſatus per corpus ſuum ſe defendere petat, jungatur duellum; quod ſi declinetur, tunc committendus eſt appellans gaolæ. §. 11. Et cum accuſatus, propterea non ſit dimittendus; quæri poterit ubi terminari debet hujuſmodi culpa; non enim coram rege, cum non deceat ipſum in amiſſione vitæ vel membrorum actorem eſſe & judicem; nec etiam coram Juſtic', cum perſonam regis in judicio præſentent: Sed revera diſtinguendum eſt, nam ſi ſit felonia vel tranſgreſſio gravis proxima exhæredationem quæque redemptionem ad minus inducat, tunc coram curia & paribus procedere debet judicium; & ſi tranſgreſſio levis ſit, liceat Juſticiar' duntaxat judicare.

De Crimine falſi. CAP. 22.

CRimen verò falſi dicitur, cum quis accuſatus fuerit quod ſigillum regis, vel appellatus quod ſigillum Domini ſui de cujus familia fuerit, falſaverit, & brevia inde conſignaverit, vel chartam aliquam vel literam ad exhæredationem Domini vel alterius damnum ſic ſigillaverit; & quibus caſibus ſi quis inde convictus fuerit, detractari meruit & ſuſpendi: Et quod de hujuſmodi falſar' dicitur, de ſigilla adulterina chartis & literis apponentibus dicatur id idem: Et eodem modo ſi ſeiſitus inveniatur, niſi warrantizetur. §. 2. Si autem warrantum vocaverit, ſtatim committatur gaolæ, & interim mandetur viceomiti loci in quo warrantus moram traxerit; & ſi talis benè notus ſit in tali comitatu, & ſe retraxerit, exigatur donec utlagetur; qui ſi non noſcatur, in voluntate regis erit extunc, vel quod ſua perpetuò in gaola permaneat, vel quod poſſit ſe principaliter inde acquietare per patriam; ſed hoc ex maximâ gratiâ eveniret ſi ſeiſitus inveniretur: Si autem warrantus venerit, & warrantizare contradicat, ſic de facili poterit inter eos duellum pervenire. §. 3. Item crimen falſi dicitur, cum quis illicitus, cui non fuerit ad hoc data authoritas, de ſigillo Regis rapto vel invento brevia cartaſve conſignaverit. §. 4. Item crimen falſi dicitur, quum quis falſam fabricaverit monetam, vel de non reproba reprobam fecerit; ſicut tonſores monetæ, qui ſocios, coadjutores & miniſtros frequenter habent in hoc opere; quos ſi appellare voluerint, debent audiri; hoc quidem crimen ultimum inducit ſupplicium. §. 5. Sunt enim fabricatores cuneorum, & ſunt factores bonæ monetæ & pravæ per eadem cunea. §. 6. Sunt etiam fabricatores falſæ monetæ ſine cuneo, & ſunt monetarii regis qui ultra aſſiſam licitam argento lacum imponunt, quidam autem debitum pondus libræ non apponunt, & quidam falſam monetam fabricant in toto; & quidam ſunt monetæ tonſores,

res,

res, qui omnes habent fortè socios & fautores, unde omnes agentes & consentientes tractari & suspendi debent, & fœminæ concremari; dum tamen de aliqua felonia ipsum regem, vel regnum, vel exercitum suum vel sigillum, vel monetam tangentem convincatur, & nihilominus ab initio in majori excommunicationis sententia sunt involuti, nec per simplicem capellanum inde poterunt absolvi. § 7. Cambiatores autem monetæ non ad hoc authorizati, nec non & usurarii Christiani omnia sua catalla eo ipso regi forisfaciunt: In remedium autem periculorum & dampnorum in regno Angliæ subortorum & forè oriundorum monetam Angl' contingent' inhibetur, ne quis aliam monetam quam de cuneo regis Angliæ, Hiberniæ & Scotiæ fabricatam recipere vel expendere præsumat. § 8. Inhibetur etiam ne quis alicubi in regno cum aliqua pecunia, nisi cum expensis suis tantùm applicet, præterquam in portubus Doveriæ, Sandwici, Southampton, Sancti Botulphi London, & aliis communibus & magis usitatis, nisi invitus ob maris temporis inquietudinem. § 9. Et cum quis applicuerit, ibidem provisum est quod fideliter ostendat pecuniam, si quam habeat illis qui ex parte regis ad denariorum examinationem fuerint deputati sine ullo concelamento super forisfactura corporis atque bonorum. § 10. Inhibetur etiam super eadem pœna ne quis occultare præsumat aliquam pecuniam in pannis, fardellis, balis, & alibi in loco suspecto; Et si contingat aliquam pecuniam inveniri sic repositam, tunc de qualibet libra sic inventa habeat accusator quatuo denar'. § 11. Provisum est etiam, quod si quis denar' inveniat retonsum, vel de alio cuneo quàm de cuneis communibus Angliæ, Hiberniæ, & Scotiæ, statim illum faciat preforari & restitui; inhibetur sub gravi forisfactura ne quis contra hoc repugnet, vel reclamet facto vel sermone: Si quis autem falsum invenerit denarium, illum statim frangi faciat, sed illum non restituat; & si talis suspectus habeatur, tunc arrestetur, & salvò custodiatur donec warrantizatus fuerit. § 12. Et ut de pondere cujuslibet denarii sciatur legitimum pondus, concessum est, quod licebit cuilibet pecuniam recipere & liberare particulatim per pondus quinque solidorum ad hoc provisum, & quod fuerit inferius per tumberellum per custodem Cambii regis signatum.

De Homicidio. CAP. 23.

HOmicidium est hominis occisio ab homine nequiter facta, & potest quis corporaliter occidi facto, & lingua: facto, justitia, necessitate, casu, & voluntate; lingua, præcepto, consilio, defensione. § 2. Justitiâ enim judex occidit cum justè dampnat, nisi intentionem habeat corruptam, cum judicium proveniat ex livore vel voluptate effundendi humanum sanguinem; & quo casu licet justè occidatur, homicidium est, & mortale peccatum contrahit. § 3. Secus verò si hoc fecerit ex amore justitiæ cum intrinseca pietate, nec etiam peccat in præcipiendo ministro ut occidat, nec per consequens minister qui missus à Judice occidit condempnatum. § 4. Necessitate poterit quis dupliciter interfici, nam si necessitas evitabilis fuerit, absque occasione, reus est homicidii, qui si fuerit inevitabilis, ad pœnam homicidii non tenebitur, eò quod felonicè non occidit; sed metu & animi

passione seipsum deliberando cum aliter mortem propriam evadere non potuit. § 5. Casu, sicuti per infortunium cum quis arborem sciderit, quæ cadendo transeuntem oppresserit; vel cum venator hominem telo pro fera percusserit: Verumtamen si quis operam rei dederit illicitæ, ut cum quis boves velociter fugaverit, quorum unus H. obviando hominem cornu occiderit, fugatori imputabitur, quia diligentiam quam potuit non adhibuit. § 6. Voluntate, ut si quis animo corrupto in assultu præmeditato irâ vel odio, vel causa lucri nequiter & in felonia aliquem interfecerit; quod si occultè fiat, pro murdro habebitur. § 7. Præcepto, consilio, & hujusmodi, ut si plures inter se rixati fuerint in aliquo conflictu, ac unus sit inter eos occisus per aliquos qui percusserint, & aliquos qui præceperint, aliquos qui tenuerint, & aliquos qui ipsum à coadjutoribus defenderint: omnes sunt homicidæ, nec non & illi qui advenerint occidendi voluntate quamvis nihil mali fecerint. § 8. Et illi etiam qui advenerint, ut consilium præbuerint occisoribus & auxilium, licet non percusserint, nec occidendi habuerint voluntatem; nec refert, etsi eorum violentia repellatur, ita quod nequitiam excogitatam ad effectum non perduxerint. § 9. Item non solum tenetur ille qui percutit & occidit, verum etiam ille qui occisum à morte non liberavit cum potuit. § 10. Qui etiam mulierem prægnantem oppresserit, vel venenum dederit vel percusserit ut faciat abortivum, vel non concipiat, si fœtus erat jam formatus & animatus, rectè homicida est. § 11. Et similiter qui dederit vel acceperit venenum sub hac intentione ne fiat generatio vel conceptio. § 12. Item facit homicidium mulier quæ puerum animatum per potationem & hujusmodi in ventre devastaverit. § 13. Item occisor in bello injusto & similiter justo, dum tamen mente corruptâ. § 14. Quicunque enim ferem nocturnum interfecerit, non teneatur, & qui invasorem domus suæ, se ipsum & hospitium suum saltem illa hora defendendo interfecerit, justè interficit: Et eodem modo qui alium interficit seipsum à morte liberando. § 15. Inhibetur tamen ne breve exeat à curia ad inquirend' si quis alium interfecerit per infortunium vel defendendo, vel alio modo quam per feloniam; sed si talis in prisona existens coram Justic' se ponat in patriam de bono & malo, & convincatur per patriam quod id fecit per infortunium vel se defendendo, tunc remittatur gaolæ; & cum regi super facti veritate certioretur, gratiosè dispensabit cum tali, salvo jure cujuslibet.

De Pacis conservatione. CAP. 24.

UT firmâ autem pace gaudeant universi, provisum est quod omnes sint prompti ad mandatum vic' & ad clamorem patriæ ad sequendum & arrestandum felones cum opus fuerit, tam in libertatibus quam extra; & qui non fecerit, rex ad eum graviter capiet. § 2. Et si defects inveniatur in Domino libertatis, rex capiet libertatem in manum suam, & si defectus sit in ballivo, puniatur per prisonam unius anni & postea graviter redimatur si habeat unde; sin autem, puniatur per prisonam duorum Annorum: Et si vicecomes vel ballivus in libertate vel extra prece vel precio celaverit vel procuraverit celari felonias factas in balliviis suis, & fingunt arrestare malefactores,

-res, vel aliter fictè faciant officium suum aliquo modo in favorem malefactorum, & inde convinci poss', habeant prisonam unius anni, & postea redimantur, si habeant unde, sin autem habeant prisonam trium annorum. § 3. Item provisum fuit apud Winton, quod in omnibus com', hundred', feriis mercatis, & locis debitis totius regni publicè & solemniter proclametur, quod statim videlicet post robberias & felonias perpetratas de villa in villam & patria in patriam recens secta & inquisitiones fiant quotiescunque opus fuerit, in villis per illos qui villis præsunt eisdem, & sic continuè in hundred', libertatibus, comitat', & aliquando in duobus tribus vel quatuor com' contiguis, cum felonias aut robberias in confinibus com' fieri contigerit, ut sic malefactores capi possint facilius & convinci. Ita quod si patria de malefactoribus hujusmodi non respondeat, subsequens pœna sequitur, viz. quod homines in patria commorantes de damnis & robberiis illatis respondebunt: Ita quod totum hundred', in quo facta fuerit hujusmodi felonia, simul cum libertatibus infra præcinctum ejusdem hundredi de prænominatis robberiis respondebit; Et si felonia fiat in duobus hundred' contiguis, ambo hundred' cum libertatibus in eisdem infra illum dimidium annum respondeant & satisfaciant de prædictis, vel de corporibus malefactorum respondeant. § 4. Et ad majorem securitatem fovendam, ordinavit insuper & præcepit, quod portæ civitatum & magnorum burgorum in regno à solis occasu usque ad solis ortum sint clausæ; & quod nullus extraneus in forinsecum capitis villæ aut in suburbio hospitetur, nisi hospes ejus pro eo voluerit respondere, & hoc de die claro. § 5. Adjicitur etiam quod qualibet septimana vel saltem quindena faciant ministri & ballivi villarum hujusmodi inquisitiones de hujusmodi extraneis sic hospitatis, & de eorum receptatoribus, & quod inde faciendi debitam justitiam liberam habeant facultatem § 6. Item quod vigiliæ fiant singulis noctibus per sex homines ad quamlibet portam in singulis civitatibus, & per duodecim homines in singulis burgis, & per sex homines vel quatuor in singulis villis campestribus, juxta villarum quantitatem à Festo Ascentionis Domini usque Festum Sancti Nicholai: Ità quod quotiens aliquis extraneus ignotus per vigilatores inventus fuerit, custodiatur usque mane, ita quod si tunc in aliquo suspectus habeatur, viceccomiti ejusdem loci liberetur, qui eum sine difficultate recipiat & salvò custodiat, quousque per legem terræ deliberatus existat. § 7. Et si non habeatur de tali arrestato suspicio, arrestatus recedat quietus; & si transeuntes hujusmodi de nocte se non permiserint arrestari, tunc vigilatores cum villatis vicinis ipsos quousque capiantur & vic' deliberentur cum clamore & hutesio insequantur; ita quod ipsa vigilatores pro hujusmodi arrestamento non occasionentur seu in aliquo graventur. § 8. Item quod viæ regales à villis mercatoriis usque ad villas mercatorias se extendentes elargentur, tam in dominicis terris reg' quam alibi in regno, nec non & mundentur, ita viz. quod in latitudine ducentorum pedum ex utraque parte viarum hujusmodi non sint hayæ, fossati, subboscus aut dumeta, in quibus malefactores viatoribus insidiantes poterint latitare; quod quidem statutum ad grossas quercus & arbores, dummodo subtus clarum fuerit, nullatenus se extendit.

 § 9. Et

§ 9. Et si per defectum Domini qui fossatum subboscumque seu dumeta prosternere noluerit, perpetrentur malitiæ, tunc idem Dominus respondeat de robberiis factis ibidem, & nihilominus idem Dominus pro voluntate regis redimatur; Et si hujusmodi Domini ad hujusmodi subboscum non sufficiant prosternend', tunc sit patria eis in auxilium ad hoc faciend'. § 10. Et eodem modo elargentur viæ in dominicis terris & boscis regis tam infra forestas quam extra. § 11. Et si parcus viæ regiæ existat contiguus, tunc oportebit quod Dominus eundem parcum prædictum ex parte illa faciat minorari, quousque ducentorum pedum inter stratam & parcum illum fuerit latitudo, vel quod inter stratam & parcum fiat talis ad minus fossatum vel haya, quod malefactoribus non pateat ultra transitus ullo modo. § 12. Item quod quilibet inter quindecim annorum & sexaginta ætatem in domo sua habeat arma secundum quantitatem terræ suæ aut catallorum suorum, & quod ad hoc sint omnes liberi hujusmodi ætatis in patria morantes jurati, videlicet ad quindecim libratas terræ, vel catalla ad valentiam quadraginta marcarum, unam loricam, capellum ferreum, unum gladium, cultellum & equum; & ad decem libratas terræ, vel catalla viginti marcarum, haubergettum, capellum ferreum, gladium & cultellum; & ad centum solidat' terræ, gambisonem, capellum ferreum, gladium & cultellum; & ad quadraginta solidat' terræ, & ad plus usque ad centum, gladium, arcum, sagittas & cultellum; & qui minus habuerit quàm quadraginta solidat' redit' tunc ad falces, gisarma, cultellos, & alia arma minuta. § 13. Et qui minus in catallis habuerit quàm viginti marcatas ad gladios, cultellos & alia arma minuta sint jurati; & omnes illi qui hoc sufficiunt, habeant extra forestam arcus & sagittas, & infra forestam arcus & pila. § 14. Et visus armorum fiat bis per annum coram duobus Constabulariis in quolibet hundr' & qualibet libertate ad hoc electis, qui quidem Constabularii defectus tam armorum quàm vigilantium & clamorem non sequentium, & hujusmodi coram Justic' ad hoc eligend' cum venerint, præsentabunt, qui quidem Justic' prædictos defectus Domino Regi in suis Parliamentis præsentabunt, ut ipse inde disponat voluntatem suam; nec excipiantur vic' ballivi libertatum, nec forestarii qui ballivias suas in feodo habent suis perpetuis, quin defectus eorum, si quos fecerint in præmissis, sicut de aliis, præsententur.

De officio Coronatoris. CAP. 25.

CUm autem homicidium perpetratum fuerit, vel hujusmodi casus evenerit, vicini hoc statim nuncient loci Vic' & proximo Coronatori, qui cum mandatum habuerit, accedere debent ad vulneratum vel submersum, vel subitò mortuum, vel ad locum ubi dicitur thesaurum fuisse inventum; sed prius mandare debent ballivi loci quod quatuor villatas circumadjacentes, vel plures convenire fac' coram eis certis die & loco, per quos, quod suum fuerit, exequi possit. § 2. Articuli sui sunt isti, utrum talis occisus fuerit extra domum vel infra, ad tabernam vel ad luctum vel ad aliam congregationem; & qui interfuerint occisioni, masculus vel fœmina, major vel minor, & qui illorum fuerint culpabiles de facto, & qui de forcia, consilio, auxilio

xilio

xilio, vel præcepto, vel qui fuerint in aliqua causa illius facti, & unde venerunt malefactores, & quò devenerunt. §. 3. Et facta Inquisitione semel vel pluries, quotquot indictaverint, statim capiantur si inveniri possunt, augere enim poterit quilibet Coronator suas irrotulationes, minuere autem nequaquam; pro rasura autem in rotulo suo inventâ suspectus haberi poterit, & per consequens imprisonari, & redimi, & eodem modo si juratores apposuerit prece unius partis, sive per calumniam unius vel utriusque amoverit. §. 4. Omnes etiam qui tunc in domo aderant vel in congregatione, licet de aliquo malo non sint indictati, sicut de imprisonatis cum ipsam frangi contigerit, attachiari debent usque ad adventum Justic', & nomina eorum imbreviari tam in rotulo vic' quàm coronatoris. §. 5. Indictati autem de facto irreplegiabiles remaneant; subvenitur eis tamen quandoque per breve de odio & acia, quod gratis debet concedi secundum magnæ chartæ constitutionem, nisi fuerint inde per aliquem appellati; per hoc tamen breve non debet inquiri, nisi querens in prisona extiterit, tam videlicet tempore impetrationis brevis, quàm tempore captionis Inquisitionis. §. 6. Si autem in campis vel boscis inveniatur occisus, tunc primò attachientur inventores, sive masculi fuerint vel fœminæ cujuscunque fuerint ætatis, licet alibi fuerit occisus, quod perpendi poterit per præsumptiones ut per sanguinis effusionem si plagas habuerit: Et si hoc aliquo modo perpendi poterit per vestigia carectæ vel hujusmodi, tunc inquiratur utrum ille interfectus notus fuerit vel ignotus, & ubi illa nocte hospitatus fuerit, & secundùm hoc quod inquiri contigerit, attachientur hospites & omnes tunc in domo hospitati, replegiabiles tamen sint inventores, consulentes, & illi de focia. §. 7. Si quis verò indictatus sentiens se culpabilem, vel tantùm indictatum effugerit, de quo habeatur vehemens præsumptio suspicióque quod culpabilis inde sit, statim accedant vic' & coronator ad domum talis, ut diligenter inquirant per vicinos, si pro morte talis interfecti, unde rectatus est, fugam fecerit, necne: & si fecerit, tunc dicant Juratores quæ catalla habuerit, quamvis villanus fuerit; & si liber fuerit, tunc extendantur terræ ejus, & catalla sua apprecientur, quæ omnia toti villatæ per precium appositum & irrotulatum liberentur coram Justic' proximò itineraturis responsuræ, salvo semper Domino feodi servitio sibi debito & consueto. §. 8. Hiis igitur inquisitis sepeliantur corpora, quæ si prius sepulta fuerint, villata in gravi misericordia remanebit. §. 9. De submersis autem, subitò mortuis, oppressis, vel per infortunium vel alio modo extinctis, videnda sunt copora nuda, ut sciri poterit qualiter sunt mortua per feloniam, vel per infortunium: Et super articulis prædictis fieri debet Inquisitio & attachiamenta; & si infortunium adjudicetur, tunc inquirendum est ulterius de modo, ut si de molendino ceciderit vel carecta, vel de batello quamvis carcatis, dum tamen in aqua dulci, secus quia in salsa: hujusmodi autem quæ pro mortis causa reputantur, ut batellus cum onere & omni attillamento, carecta cum onere & equis, & quicquid mobile sit in molendino, & hujusmodi, appreciari debent, & secundum precium villatæ liberari: Ex hiis autem provisum est quod pro animabus Antecessorum Regis omniúmque fidelium defunctorum tanquam

precium

precium sanguinis distribuantur, & ideo Deodanda vocantur. §. 10. Si autem in puteo submersus fuerit, Dominus putei coram Justiciar' amerciabitur, & præcipietur quod ad sumptus proprios litores impleatur. §. 11. Si autem Coronator & Vic' pro thesauro invento conveniantur, inquirere debent diligenter de inventoribus ejusdem, & quid & quantum, & per quos aliquid inde deletum fuerit, & qualiter se habuerint inventores; an statim vicinias & villatas per hutesium & clamorem convenerint, nec ne: Et omnes quotquot indictatos invenerint, attachientur, & per bonos dimittantur manucaptores usque ad adventum Justiciar', nisi prius inde fuerit aliud ordinatum. §. 12. Si autem appellum fiat in Com', & appellans pleg' invenerit vic' de prosequendo, primus dies quasi pro nullo habebitur, sed tantùm ut audiatur appellum & recenter irrotuletur tam in rotulo Vic' quàm Coronatoris de verbo ad verbum quemadmodum fuerit intimatum. §. 13. Si autem appellum factum fuerit de morte patris vel alterius parentis vel Domini, sufficit Coronatoris & Vic' visus corporis nudi cum inquisitione, ut indicia & signa inventa in rotulis suis inserentur. §. 14. autem de raptu mulieris & maximè virginis appelletur, tunc inquirend' de signis & indiciis bidem subortis, ut si hutesium recenter erat levatum si vestimenta habuerit irupta vel sanguine tincta, quæ cum aliis præsumptionibus inventis distinctè irrotulentur, & omnes indictati tanquam pro morte hominis capiantur, & appellatus de facto irreplegiabilis remaneat. §. 15. Si autem de plaga mortali vel alia, imprimis videre debent plagam, ejusdemque longitudinem, latitudinem, & profunditatem; & omnes inde indictati attachientur, de quibus principales irreplegiabiles remaneant, donec constiterit an vulneratus inde convalescere poterit nec ne; qui si inde moriatur, per pleg' non sunt dimittendi: Et quamvis inde non mori debant, attachiabiles sunt tamen appellati, sed replegiabiles per sufficientes pleg', duos, quatuor, vel plures, secundùm quod plaga major fuerit vel minor, ut si mahemium fiat.

De prisonis. CAP. 26.

OMnes autem attachiabiles licet vic' in prisona custodire, donec per sufficientes homines sub districtu vic' commorantes legitimè fuerint replegiati, non tamen ad puniend' sed ad custodiend'; nec debent aliqui imprisonati antequam per judicium solemniter consideretur de terr' suis vel ten' disseisiri, nec de rebus suis quibuscunque spoliari; sed dum fuerint in prisona; de rebus propriis bebent sustentari donec deliberati fuerint vel condempnati; nam ante judicium non debet quis exhæredari, quamvis obierit in prisona, nec jacturam sustinere bonorum, quia hoc habetur ex hac constitutione in magna charta. §. 2. Provisum est etiam quod nullus captus de terr', ten' vel catallis suis disseiseitur, quousque convictus fuerint de felonia sibi imposita, sed quàm citò captus fuerit, per visum custodum placitorum Coronæ & legalium hominum de vicineto apprecientur catalla capti & imbrevientur, & salvò custodiantur per ballivos ipsius capti qui bonam inveniant securitatem de respondendo inde, cum per Regem vel suos Justic' exigantur, salvis tamen eidem capto & familiæ suæ necessariis, & quamdiu fuerit

erit in prisona rationabilibus estoveriis suis: Et si idem captus fuerit coram Justiciar' convictus de felonia unde rettatus fuerit, tunc totum residuum catallorum illorum ultra estoverium illud Regi remaneat, simul cum termino anni & diei, qui cum se legittime purgaverit, tunc catalla sibi remaneant, nisi de fuga convincatur. §. 3. Et cum plures imprisonati immunes sint à culpis sibi impositis & innocentes, ac durum esset si tales injustè gaolâ detinerentur: Provisum est quod talibus subveniatur, si per inquisitionem per Vic' captam & Coronatorem in pleno com' per breve de odio & acia & causâ odii vel aciæ exprimatur in inquisitione Regi vel suo Cancellar' remittenda; & si per examinationem inveniatur quod causa sit manifesta & non colorata per vic', qui quandoque favore ductus prætendit non causam ut causam, tunc fiet breve; quod si talis in gaola detentus invenerit doudecim sufficientes pleg' ad stand' recto quotiens Rex vel alius de morte talis versus ipsum loqui voluerit, quod tunc prædictis, duodecim manucaptoribus talem balliat' vel per ball' dimittat à prisona prædicta, dum tamen secta non interveniat nisi Regis tantùm; si autèm causâ odii insufficiens fuerit, breve dimissionis non habebit: quod si propter alicujus libertatem immediatè facere non possit, faciat retorn' ball' libertatis, qui cum facere subsederit, ac si vic' breve prædictum non remiserit, tunc scribetur vic' sicut alias, & in fine brevis addatur in clausulâ, vel causam nobis significes quare mandatum nostrum prius inde tibi directum non executus fuisti vel non potuisti: Et unde si Regi constiterit per return' vic' quod præcepit ballivo libertatis talis, qui nihil inde fecit, tunc mandabitur vic' quod non omittat propter libertatem talem, quin eam ingrediatur, & plenam mandati faciat executionem: Et cum talis liberatus fuerit & per ballium dimissus, actionem habeat versus omnes, qui eum ultra adventum primi mandati reg' in prisona detinuerint, de imprisonamento & pace Regis infracta. §. 4. Si autem pro evasione latronum conveniatur, & pro gaola fracta, non solùm teneantur fractores vel vinculorum raptores, verum etiam omnes alii in gaola inventi, quamvis ab omni culpa fuerint immunes, nisi sit aliquis qui conspirationem eorum detexerit, vel clamaverit, vel alio modo pro posse impedimentum adhibuerit: Et quo casu diligenter est inquirend' si aggravatio pœnæ sicut detentio ubi suspensio corporis per pedes, scissura unguium, onus ferri, & hujusmodi tormenta sint causa evasionis, & quo casu tenend' sunt custodes tanquam homicidæ. §. 5. Custodes verò gaolarum pœnam sibi commissis non augeant, nec prisones quicquam judicium excedendo torqueant vel redimant, sed, omni sævitiâ remotâ pietatéque adhibitâ, judicia in ipsos promulgata debitè exequantur; verò cum decesserint, antequam per Coronatorem videantur, & de morte talium diligenter inquiratur, non debent sepeliri; contingit enim quandoque hujusmodi imprisonatos per pœnam injustam mori potiùs quàm morte naturali, & quo casu custodes tortores homicidæ sunt & tenendi, & quorum domini meritò debent amerciari si custodias hujusmodi habuerint in feodo, non tamen ut com' vel Baron', sed tanquam servientes, eo quod talis custodia pro quadam Serjantia debet reputari.

De

De Fugitivis. CAP. 27.

CUm autem feloniæ perpetrentur, vel hujusmodi infortunia emerserint, statim levetur clamor per hutesios in visneto: Et si hujusmodi felones capi possint, statim arrestentur; qui si fugerint, insequantur donec fuerint comprehensi, vel saltem cum clamore usque ad locum in quo tenentur placita Comitatus: Secus verò si infortunium evenerit vel murdrum, & quo casu sufficit clamor tantum quamvis non sequatur, & ad proximum Comitatum per villatam unam vel plures, prout acciderit, distinctè præsentetur, quam Coronatores apertè faciant irrotulari. §. 2. Inquirere etiam debent vincini in cujus decena tales fugitivi fuerint, & ubi in Frichborgo, ut coram Justic' non titubant in responsis, villata namque talem receptans qui in franco pleg' non fuerit, in misericordia meritò remanebit, nisi fuerit mil', vel clericus, vel aliquis qui foris famulaverit, & quo casu amerciandus est ille de cujus fuerit manupastu, nisi talem post feloniam reddat; & si non de alicujus familia sed de decena, quamvis per alium prisonæ fuerit liberatus, decena sua erit in misericordia, eo quod talem non habuit ad standum recto cum necesse fuit. §. 3. Archiepiscopi autem, Episcopi, Comites, Barones, & hujusmodi Magnates, Milites, Servientes, Dapiferos, Pincernas, Camerarios, Coquos & Pistores sub suis frichbordis existentes, illique suos armigeros & alios servientes magnos & parvos ad stand' recto & paci cum necesse fuerit promptos habere debent, pro quibus Domini, cum tales non sufficerint, respondebunt in forisfacturis; quos si non habuerint, meritò poterint amerciari. §. 4. Omnis enim duodecim annos habens & ultra, in alicujus frichborgo esse debet, & in decena, Sacramentùmque Regi & Hæredibus suis facere fidelitatis, & quod nec latro erit, nec latrocinio consentiet; quod cum fecerit extunc à decena pro voluntate sua se retrahere non poterit, nec à suo frichborgo invitus expelli, nec debet quis manupastum suum habere, quem per tres noctes ad minus fuerit hospitatus. §. 5. Cum autem quis pro felonia sua vel sibi imposita se subtraxerit qui ab aliquo prosequatur per appellum in Com' vel alibi, concessum est de Principis beneficio, quod per quatuor Cur' Coronator & Vic' in Com' solemniter vocetur, & veniat responsur' & stand' recto versus eum loquenti, dum tamen ejus intersit appellare, alioquin non erit appellum admittendum, nam dies prima quasi pro nulla habebitur, sed dies proxima debet computari, nisi per breve Regis fuerit appellatus, tertia pro secunda & quarta poterit impunè per aliquem manucapi, qui nisi venerit in quintâ pro exlege tenebitur; & similiter in quarta nisi fuerit manucaptus, cum Regi non obediat neque legi, & sic utlagabitur & omni lege privabitur: In omni tamen Cur' Comit' tenetur appellans suum appellum proponere in omibus verbis ac si præsens esset fugitivus: & si plures fuerint appellantes, propinquior parens præferri debet, extraneus verò admitti non debet in appello, nisi docere poterit quod ejus intersit appellare per homag', vel aliter ratione dominii, ex cujus manupastu fuerit vel familia qui dicat se plagam in ipsa interfectione recepisse vel jacturam: Si autem appellans perfectam ætatem appellum suum probandi per corpus

corpus suum non attigerit, & prosequatur, non minus admitti debet, sed si comparuerit appellatus, expectabitur ætas appellantis, nec habebit locum contra ipsum exceptio de secta minus ritè facta, quin tunc procedat. § 6. Fœmina autem nisi in tribus casibus admitti debet. § 7. Nullus etiam per Attornatum potest appellum prósequi, dum tamen potens sit sui, sine autoritate alterius parentis vel amici secta pro eo erit admittenda, nec erit esson' alterius allocand'. § 8. Sine secta autem certæ personæ non erit quis statim interrogandus, sed tunc demum cum Justiciarii venerint itinerantes, coram quibus talis indictatus fuerit, per præsentationem Juratorum. § 9. Et cum ad sectam Regis per inquisitionem invenerit quod pro tali felonia vel tali indictamento fugerit, contemnens se legi submittere, considerand' erit quod catalla sua amittat propter fugam, quamvis à juratoribus; vel si appellum præcesserit, exigendus erit semel itinere, quod pro uno com' reputabitur licet per triennium duraverit, & secundo in com' prox' post iter, & sic de com' in com' donec utlagetur, videlicet tertio com' vel quarto si prius fuerit mancupatus interrogatus. § 10. Si autem quis in comit' maturius, vel tardius, vel sine brevi, vel præcepto Justic', vel secta alicujus appellantis utlagatus fuerit, eo ipsius amerciandus fuerit totus comitatus. § 11. Utlagari autem poterit omnis masculus duodecim annos habens & ultra, non autem si infra, quia prius in lege decenæ non debet admitti. § 12. Fœmina vero utlagari propriè non potest, quia in nullius decena debet contineri; sed si appelletur vel exigatur, weyviari poterit, & pro derelicta haberi nisi compareat. § 13. Est enim weyvium quod nullus advocat, & utlagariæ æquipollet quoad pœnam; utlagatus & weyviata capita gerunt lupina, quæ ab omnibus impunè poterunt amputari; merito enim sine lege perire debent, qui secundum legem vivere recusant; Secus autem si se rediddérent vel capiantur. § 14. Et cum appellatus ante utlagationem comparuerit, & se legitimè defenderit, restituendæ sunt sibi suæ possessiones, mobilia tamen amittit si de fuga confingatur. § 15. Si autem per negligentiam appellans non continuè fuerit prosecutus, amerciandi sunt pleg' sui de prosequendo cum ipso coram Justiciar', & corpus appellantis gaolæ committendum erit, quia non disrationavit id ad quod se obligavit: secus verò si morte præcludatur quod sequi non possit; appellatus tamen non est per hoc omnino de infamia quietus, donec ad sectam alicujus appellantis vel Regis se inde legitimè probaverit innocentem. § 16. Si autem appellatus comparuerit in comitatu, & appellans non, statim dimittendus erit eo ipso appellatus per legem usque ad primum iter Regis vel Justiciariorum itinerantium in illo com', & eo modo si appellans ante utlagationem ab appello suo retraxerit se, quamvis appellatus non comparuerit, suspendenda erit loquela, quia sine secta non debet com' quenquam utlagare. § 17. Inquirend' est tamen si redierit, an replegiabilis sit vel non; qui si culpabilis inveniatur de aliquo recto super quo non fuerit replegiabilis, non erit dimittendus. § 18. Et quod de facto dicitur, id de appellatis de forcia & de aliis accidentalibus intelligatur, cum ab initio fugam ceperint universi, hoc tamen adjecto, quod principales judicium utlagariæ vel aliud prius debent

sustinere, & interim suspendendæ sunt exigendæ erga hujusmodi secundarios, eo quod replegiabiles sunt per tale breve: Rex vic' salutem, cum talis appellet in com' tuo tales de morte fratris sui, & talem & talem de consilio & præcepto, & hii qui de hujusmodi præcepto & consensu appellati sunt, replegiabiles sunt secundùm leges & consuetudines regni nostri, nec teneat hujusmodi appellum antequam ipse qui de facto hujusmodi appellatus est, convictus fuerit; tibi præcipimus, quod si prædicti appellati de hujusmodi præcepto & consensu sint, & non de facto, & ipsi tibi invenerint sufficientem manucaptionem ad stand' inde recto coram Justic' nostris ad primam assisam cum ad partes illas venerint, vel alias ad mandatum nostrum, tunc præfatos tales per prædictam manucaptionem replegiari permittas. § 19. Et habeas ibi nomina manucaptorum, & hoc breve. Et cum principalis se acquietaverit, ulterius non est necesse quod illi de forcia respondeant, sed tunc primo exigantur cum principales condempnati fuerint vel utlagati; & quod exigendæ respectuari debent in accessorio donec principale factum convincatur, habetis ex hoc Statuto; nullus autem de præcepto, forcia, vel auxilio vel receptamento appellatus vel indictatus utlagetur, quousque factum principale, in persona principali convincatur; appella tamen non minus attachientur versus eos ad primum com', sed exigendæ talium remaneant in suspenso donec appellati de facto per utlagariam vel alio modo convincantur.

De Utlagariis. CAP. 28.

UTlagaria autem vacua est cum contra legem fuerit promulgata, ut sine secta vel præcepto, vel non in com', vel de homine mortuo ante utlagationem, vel si ille qui interfici debuit vivus appareat ante utlagationem, vel post, vel si appellatus se prisonæ reddiderit in uno com', & pro eodem facto utlagatus fuerit in alio, ipso in prisona existente, cum in utroque fuerit appellatus; vel cum quis tuitionem petens Ecclesiæ, regnum petierit abjurare, cum non sit posteà in com' interrogandus; vel si appellatus fuerit infra ætatem duodecim annorum, vel si nimis maturè, & in primo com' vel secundo, & quo casu vacuum erit, vel quasi si in carta pardonationis contineatur, quod Rex talem utlagariam remisit vel pardonavit, quod enim non est, pardonare vacuum est: prodest tamen carta quamvis necesse non esset, abundans enim cautela non nocet. § 2. Pronunciari tamen debet talis error in civitatibus, burgis, mercatis, & alibi in congregationibus, & utlagaria ipso jure nulla fuisse per brevia clausa, & ideo omnia sunt ei restituenda: Secus vero si secundùm legem ritè processum fuisset, quamvis nulla causa subfuisset, & quo casu pardonare potuisset Rex quod suum fuerit, hoc est, pacem suam quam amiserit, salvo jure cujuslibet; quod autem alienum est, sine injuria dare non potest. Et quamvis quis pro contumucia & fuga utlagetur, non propter hoc convincitur de facto principali. § 3. Ritè vero utlagati ab omni juris beneficio privantur; per tale enim judicium sine judiciali inquisitione peribunt, nec alios appellare poterunt, nec aliquis eis tenetur, sed ipsi omnibus quibus obligantur satisfacere tenentur, nè sint melioris con-

conditionis propter utlagariam, cum potius deterioris esse debeant. § 4. Et forisfaciunt hæreditates, & tenementa, & homagia, & fidelitates dissolvantur, & omnia alia quæ mutua voluntate sunt contracta à se & hæredibus suis propinquis & remotis, & non solum excluduntur hær' de hæred' paterna, sed materna, & ab omni eo quod de testiculo felonis generantur & sanguine, dum tamen post feloniam perpetratam fuerint progeniti: si autem ante, ab hæreditat' felonis excludantur tantum, & omnes donationes & alienationes factæ, non solum à tempore judicii, verum etiam à tempore feloniæ perpetratæ, revocentur; & ubi post convictionem cujuslibet feloniæ retrotrahitur tempus ad tempus feloniæ perpetratæ. Quia dicit lex quod post capitale crimen contractum donationes factæ valent, nisi condemnatio sit secuta, quod autem ritè factum est, ante crimen contractum irritari non debet. Et quia non potest quis utlagari in alicujus curia nisi in curia Regis, concessum est quod ejus sint catalla utlagatorum & fugitivorum. § 5. Si autem utlagati, vel alii felonia convicti terram liberam habuerint, illa statim capienda est in manu Regis, & per unum annum & unum diem tenenda, ad capitales Dominos post terminum illum reversura. § 6. Et hoc habetur ex statuto magnæ chartæ, quod tale est: Nos non tenebimus terras illorum qui convicti fuerint de felonia, nisi per unum annum & unum diem, & tunc reddantur terræ illæ Dominis feodorum; causa verò talis termini Regis est, quia in signum feloniæ olim provisum fuit, quod ædificia talium prosternerentur in terram, extirparentur gardina, ararentur prata, & truncarentur bosci; & quoniam hujusmodi vertebantur in grave dampnum dominorum feodorum, pro communi utilitate provisum fuit, quod hujusmodi dura & gravia cessarent, & quod Rex propterea per unum annum & diem totius terræ commoditatem perciperet: secus autem si terra non esset eschaeta dominorum post quidem term' Dominus proprietariis integrè absque vasto vel destructione rever'. § 7. Cum autem utlagatus uxorem & familiam reliquerit in suo tenemento, qui postea inlagatus ten' illud de quo non exivit, resumpserit, quamvis capitalis Dominus negligens fuerit, poterit tamen ten' illud quotiescunque voluerit capere & seisire, nec talis per assisæ novæ disseisinæ recuperabit, cum à Domino fuerit ejectus. § 8. Cum autem finitis die & anno non fuerit capitali Domino terra restituta, eo forte quod nondum constiterit Regi de termino præterito, ad instantiam petentis fiat breve vic' quod per sacramentum proborum hominum diligenter inquirat, si terra quæ fuerit illius utlagati vel suspensi in tali villa pro morte hominis, vel pro tali alia felonia, extiterit in manu sua per unum annum & unum diem; & de quo prædictus talis terram illam tenuit, & inquisitionem illam sibi remittat, per quam si Regi constiterit de termino suo præterito, & quod petens Dominus sit ad quem mero jure pertinet terræ reversio, ut escaeta sua, tunc præcipiet Rex vic' quod seisinam terræ prædictæ tali petenti habere fac', dum tamen aliqua felonia convictus fuerit, nè suspensus vel utlagatus, vel si feloniam cognoverit & regnum abjuraverit, vel si consocius criminis timens suspensionem aliamve pœnam seipsum interfecerit, suspenderit vel submerserit, & quo casu hæreditas talis erit escaeta dominorum: secus verò si per furorem vel

infortunium. §. 9. Esto quod filius & hæres propinquior in vita patris feloniam fecerit, & patrem supervixerit, & convictus cum jus merum ei descenderit, sive seisinam habuerit de hæreditate sive non, forisfacit sibi & hæredibus suis successionem; sed cum discesserit vivente patre, sive convictus fuerit sive non, statim incipit postnatus frater esse hæres propinquior patri, cum antenatus non expectavit quod aliquid jus ei descendit, & omnino habendus erit quasi natus non fuisset. §. 10. Et quamvis antenatus post abjurationem vel utlagariam in ipsum promulgatam pardonationem Regis adquisierit, non tamen ad hæreditatem admittetur Antecessoris, etiamsi appellantem duello devicisset, vel per patriam inde se acquietasset, dum tamen post pardonationem, uxor autem felonis disseisiri non debet, quæ tamen si fuerit ejecta non recuperabit sola cum sit conjuncta viro, licet habeatur pro quasi mortuo. §. 11. Cum à duobus teneatur tenementum in communi, & alter eorum feloniam fecerit, nihil accrescit Domino capitali; sed si mater cum filio ipso, quo convicto pro felone accrescit, sed reservatur actio matri ad petendam dotem suam versus dominum capitalem tenentem, sicut reservatur in personis ipsorum qui actionem habuissent versus felonem, qui si vixisset per brevia novæ disseisinæ & hujusmodi, nullus enim jus alienum forisfacere potest. §. 12. Clericus autem privilegium allegans clericare, in laicali foro convinci non potest; constitutum tamen est sic, Clericus pro felonia captus ordinar' petenti liberetur sub periculo consueto, nec suo ordinario liberari debet priusquam in præsentia sua pro quasi convicto habeatur per inquisitionem, cum omnino convinci non poterit nisi privilegium omittens in inquisitionem vel duellum se gratis posuerit. §. 13. Si autem in foro sæculari habeatur pro quasi convicto, & liberatus custodiæ clericali se probaverit immunem de culpa sibi imposita, tunc ad instantiam Episcopi loci tenetur Rex tali purgato restituere possessiones & facultates. Si autem talis clericus ab Episcopo loci, vel ejus vero procuratore in judicio non petatur, & pro quasi convicto habeatur, & nulla secta interveniat nisi Regis & Justic', per cautelam talem abire permittat quamvis sine judicio, sic exclusus erit clericus imperpetuum à petitione suarum possessionum & facultatum; receptatores vero & alii accessorii occasione purgationis in foro clericali non magis habeantur quieti. §. 14. Cum autem utlagati extra legem positi fuerint, ad legem gratia principis concomitante restitui possunt & inlagari, dum tamen causa utlagariæ nulla fuerit, vel nimis mature, & hujusmodi promulgata vel per examinationem si factum criminosum inveniatur; sed cum fuerit criminale & feloniam contineat, ad legem admitti non debent, nè ex facilitate veniæ aliis tribuatur materia delinquendi, sed qualitercunque inlagetur ex facto, omnibus tamen qui versus eum loqui voluerint de præteritis tenetur respondere & judicia sustinere, & provisum est quod ista ratio in carta Reg' sibi confecta de pardonatione contineatur, & tales inlagati semper habent necesse, quod hujusmodi cartas secum deferant quocunque ierint, nè qui ignorantes ipsos gratiam pardonationis fuisse adeptos, tanquam utlagatos interficiant, qui cum ritè fuerint utlagati, quamvis postea inlagati, ad aliqua quæ prius sua fuerint restitui non debent, per inlagationem enim

enim facti sunt quasi de novo essent creati. § 15. Hiis etiam quos de homicidio indictari contigerit, dum tamen felonia non intervenerit, per malitiam excogitatam, sed per infortunium vel se defendendo; cum alias mortem propriam evitasse non poterunt, & cum voluntas & propositum distinguant maleficia. Hiis etiam qui per metum indictamenti de aliquo homicidio vel per minas vel hujusmodi, fugerint ad ecclesiam,& tanquam innocentes cognoverunt talem interfecisse, qui postmodo vivus appareat, qui regnum abjuraverint tenetur Rex de jure quod suum fuerit pardonare, & possessionum facere restitutionem. § 16. Cum autem loqui voluerit quis versus utlagatum, imponens ei feloniam ante utlagariam factam, non sufficit petere judicium de secta ritè ad utlagariam factam, sed oportet appellum per eadem verba quæ prius renovari; & quia appellans ritè versus eum secutus fuerit appellatus inlagatus suas per utlagariam amittere exceptiones & ejectiones; sed vix conceditur quòd dicere possit causam esse nullam per exhibitionem ejus qui interfici debuit, sed quod per patriam se defendat, cum per corpus se defendere inhibetur in odium fugæ & utlagariæ; & si patriam recusaverit, pro convicto habebitur, vel per perpetuæ prisonæ commendandus nè fiat injuria appellanti.

De Abjurationibus. C A P.

SUnt nonnulli felones qui, cum capi debeant, fugiunt ad ecclesiam vel alibi in loco sacro, qui extrahi non debent nec reexpelli, nè laici extrahentes excommunicationis sententiam, vel clerici expellentes vicium irregularitatis ausu temerario incurrant: Constitutum enim est quod ecclesia Anglicana sua habeat jura libertatesque suas illæsas. Item, quòd pax ecclesiæ & terræ inviolabiliter observetur, ita & quod communis justitia singulis pariter exhibeatur. § 2. Expedit ergo quod tales pacem habeant in ecclesia, ad quos statim accedere debent coronatores, nec ulterius erit medium, nisi quod veniant extra locum dedicatum ad stand' recto, si quis versus eos loqui voluerit, vel quod maleficium cognoscant propter quod ecclesiæ petunt tuitionem. Et concessum est & provisum quod hujusmodi fugitivi ultra XL. dies in ecclesia non morentur, quod si fecerint, extunc denegentur eis cibaria ut gratis exeant & petant quod prius contemptibiliter recusarunt, & quo casu à beneficio abjurationis repellantur; & qui talibus extunc cibaria ministraverit, tanquam inimicus Regis & præsumptor contra pacem habeatur & merito censeatur. § 3. Cum autem exire petat quis infra XL. dies, accedant coronatores, coram quibus confiteri palam debet maleficiū suum, & petere, ut regnum pro felonia sua valeat abjurare, recognitoq; maleficio juret sic: Hoc auditis coronatores & alii, quod ego talis pro tali facto quod nequiter perpetravi, exibo regnum Angliæ, & illuc iterum non revertar, nisi de licentia Regis vel hæredum suorum, sic me Deus, &c. § 4. Et electo sibi portu vel transitu, computentur ei certæ dietæ majores vel minores, prout corporis sui vigor poposcerit, vel debilitas, quæ in cedula sibi liberentur, vel jurare poterit sic & melius quod alicubi non faciet moram per duas noctes, & quod à recta via non se divertet donec regnum exierit. § 5. Et tunc interdicatur ei nè viam regiam exeat

exeat donec transitum invenerit, & discinctus & discalceatus, capite discooperto, in pura tunica tanquam in patibulo suspendendus, accepta cruce in manibus, recedat; qui cum mare advenerit, ingredi debet usque ad collum, si transitum non invenerit, & hutesio levato in litore quiescere donec transitum invenerit, qui si quicquam nocte vel die à strata se diverterit, vel sine licentia redierit impunè poterit decollari, nisi captus fuerit; & quo casu in gaolam debet committi, & similiter si extra ecclesiam capi possit ultra 50 dies, ulterius enim merito præcludetur ei gratia abjurationis. § 6. Sunt autem quidam meticulosi, qui tuitionem Ecclesiæ petunt quamvis feloniam non commiserint; & quo casu consulendi sunt quod cognoscant aliquem occidisse, quod postea valeant producere vivum & sanum, ut sic gratiam regis consequi valeant cum ipsam requisierint. Ideoque diligens examinatio est necessaria in abjurationibus & recognitionibus gratuitis feloniarum, nè metus interveniat vel desperatio vitæ. § 7. Committentes autem sacrilegium per Ecclesiam tueri non debent, sed per clerum judicandi & degradandi: Et hoc idem dicitur de Clericis Apostatis, quibus convictis, per clerum statim degradentur, deindeque per manum comburentur clericalem.

De Murdro. CAP. 30.

Est autem murdrum occulta hominum occisio à manibus hominum nequiter perpetrata, quæ nullo sciente vel vidente facta est, præter solum interfectorem & suos coadjutores & fautores, ita quod non statim assequatur clamor popularis. Et dicitur murdrum, quia interfectus pro alienigena reputabitur, nisi de eo fuerit Anglesch'a præsentata, ubi sciri possit quod Anglicus erat per præsentiam parentum; & quotiescunque in patria murdrum inveniri contigerit, amerciabitur Comitatus per Justic' itinerantes, nisi excusationes intervenerint; Et si corpus alicujus sic mortui per felonem vel infortunium sepultum fuerit antequam de coronatoribus visum fuerit, & per decenas & villatas adjacentes in illo com' de circumstantiis suæ mortis inquisitum, villata in misericordia regis remanebit. § 2. Excusari namque poterit patria à pœna murdri multipliciter, ut si interfector cognitus fuerit, ita quod talis judicium subeat pro delicto suo: Convicta autem felonia nullum sequitur murdrum. Item si vulneratus post læsionem vivat, ita quòd detegere possit malefactores, vel facere se notum. Item nullum erit murdrum cum interfector ad ecclesiam confugerit, feloniámque cognoverit, regnúmque abjuraverit. Item de hiis qui mortui sunt per infortunium nullum erit murdrum. Item nullum erit murdrum de submersis in mari vel in aqua salsa, ubi locus in nullis bonis esse dicitur nisi regis tantum; secus, si in loco universitatis, Anglescheria autem in inquisitione & visu coronatoris copore non sepulto debet præsentari, & licitum est cuilibet patriæ sua uti consuetudine in hac parte, dum tamen præsententur, ut per duos masculos ex parte patris, & per duas fœminas ex parte matris de propinquioribus parentibus interfecti, vel per unum masculum ex parte patris, & unam fœminam ex parte matris, vel per unum masculum ex parte patris tantum, vel per unam fœminam ex parte matris tantum, & si corpore

fœm'

fœm' per duas fœminas Anglescheriam præsentare. Quibus verò præsentatis statim irrotulentur coram Justc' cum venerint præsentanda, ut sciri possit de tali an Anglicus fuerit vel non: Pro Anglico verò cum pro certo constare possit per parentes quod Anglicus extiterit, non dabitur murdrum; & nisi Angescheria ritè sit præsentata, ut si alia nomina habuerint quàm in rotulo coronatoris fuerint inventa, vel quod non sunt parentes illius mortui, vel saltem non ex parte tali, prout per visnetum fuerint præsentati, vel cum producantur ex parte non debita vel utriusque, cum non nisi de una præsentare debuisset, vel cum plures quum rectum esset & per consuetudinem habitam in patria inveniatur, quod in aliquo erratum fuerit in præmissis, pro murdro reappellabitur non obstante tali præsentatione.

De Appellis homicidii. CAP. 31.

CUm autem capti in judicio produci debeant, non producantur armati, sed ut judicium recepturi; nec ligati, nè videantur respondere coacti: Et si tales gratis felonias sibi impositas cognoverint, planum est judicium. Et inhibetur nè in appello de morte hominis allocetur alicui parti essonium. §. 2. Si autem negaverint verba appelli si quod fuerit debitè defendendo, in electione defensoris erit, an ponere se super patriam quod non sit inde culpabilis, vel defendendi se per corpus suum, nisi aliqua violenta præsumptio faciat contra ipsum quæ probationem non admittat in contrarium, ut si recenter captus fuit cum cultello cruentato super interfectum, & quo casu non est opus alia probatione: Vel cum quis inveniatur in domo jacens in qua interfectus inventus fuerit super facto recenti: Et similiter si duo vel plures in domo tali extiterint, dum tamen hutes' non levaverint, nec plagam ab aliis interfectoribus, si qui fuerint, cum interfectores docere non possunt, tales aute' mortem dedicere non poterunt, & ideò corporalem non habebunt defensionem pro facto existente tam occulto, & pro magnitudine presumptionis. §. 3. Item nec per patriam se defendere debet quis in appello de veneno dato, sed tantum per corpus suum, eo quod initium facti non fuit tam publicum quod sciri poterit à patria, nisi per discretionem & æquitatem; hoc fiat quandoque pro inconvenienti quod contingere possit inter debilem & potentem, & una via electa alteram habere non poterit, sed antequam jungatur duellum, examinandum est factum an sit felonia, infortunium, vel transgressio. §. 4. Homicidium autem casuale quod non est nequiter perpetratum, non est homicidium, & videri poterit per ejus diffinitionem; casuale autem multipliciter accidit, ut si quis talem in fœmina mittere volens, vel cum socius cum socio, amicus ludat cum amico, & jocosa levitate percusserit, vel cum longius steterit cum traxerit, vel cum lapidem projecerit, & hominem quem non viderit percusserit, vel cum quis ludens cum pila manum barbitonsoris percutiens quod non viderit, ob quod gulam barbati præciderit: In istis autem casibus & similibus non debet reputari felonia, eo quod occidendi animo præmissa facta non fuerint, sed omnino sunt de juris æquitate absolvend', quia crimen non contrahitur, nisi voluntas nocendi interveniat, secundum quod dici poterit insuper de infante

& furioso

& furioso cum unus innocentia consilii teneatur, & alterum infælicitas facti excusat. In malitiis autem spectari debet voluntas & non exitus; Et nihil interest an occidat quis, an causam mortis probat; voluntas enim & propositum distinguunt maleficia; furtum vero non committitur sine affectu furandi. §. 5. Quibus examinatis, & factum in appello contentum felonia inveniatur, tunc examinandus erit processus appelli, nec sit variatio coram Justic' & coram Coronator' inventa, vel quod non ritè ac continuè, sed per interruptionem fuerit prosecutum. §. 6. Verba itaque appelli de morte hominis sunt hujusmodi: *A.* appellat *B.* de morte *C.* patris sui, quòd sicut ipse *A.* & *C.* frater suus essent in pace Dei & Regis *E.* nunc apud *N.* in tali com' in tali loco expresso faciendo quid tale vel transeundo à tali loco usque ad talem, tali die, tali anno & tali hora venit idem *B.* cum tali & tali,& nequiter in felonia & in assultu præmeditato, & contra pacem Regis ei datam fecit idem *B.* prædicto *C.* fratri suo unam plagam mortalem in capite quodam gladio, vel aliquo genere alio armorum emolitorum, ita quod de plaga illa infra triduum expiravit. Et quod hoc fecit nequiter, & in felonia, & contra pacem Regis, offert disrationare versus eum per corpus suum, sic ut curia Regis consideraverit quod facere debet, & si de eo malè contigerit per corpus talis fratris vel alterius parentis ejusdem *C.* qui similiter hoc offert disrationare sicut cur' consideraverit. §.7. Item *A.* appellat *D.* quod cum ipse & frater ejus essent in pace, ut supra, venit idem *D.* cum supradicto *B.* appellato cum tali & tali si velit nequiter & in felonia, ut sup' fecit, eidem *C.* fratri suo unam plagam mortalē in tali loco coporis de quadam bisacuta, & si mortuus non esset de prima morte, de secunda evadere non potuit, sed infra triduum decessit, & quod hoc fecit nequiter, ut supra. §.8. Appellati de forcia, consilio, præcepto, auxilio vel receptamento, donec principales convincantur de facto, respondere non debent etiam ipsis hoc volentibus, cum judicia procederent incontraria & inhonesta, & præcederet caruca boves; sed tunc demum cum convicti fuerint principales, poterunt illi de forcia & alii sic appellari: *A.* appellat *E.* quod ipse & *C.* frater ejus, ut supra, venit idem *E.* cum prædicto *B.* appellato de facto simul cum tali & tali,& tenuit eundum C. fratrem suum dum idem *B.* eum interfecit, vel juvit, vel fuit in auxilio vel consilio qualicunque modo, vel præcepto, vel mandato, quo majus ipse fuit interfectus, & quod hoc fecit nequiter, & in felonia, út supra. §. 9. Et cum plures unum appellant, vel plures de morte unius, propinquior præsens præferri debet, & plura oportet fieri appella, si omnibus permissum sit appellare, quod fieri poterit propter pluralitatem plagarum: Et si unus plures appellaverit de morte unius, & primus appellum declinaverit, recedet quietus per judicium quantum ad sectam appellantis, dum tamen de facto principiali fuerit appellatus, & per consequens alii. §.10. Alii qui in longiore gradu appellati extiterint, sed non illi qui de fac' cum principali fuerint appellati, quibus expedit ut vicissim se defendant non obstante acquietantia unius, & appellans gaolæ committetur, tanquam calumniator puniendus, sed nec vitam amittet neq; membra propter pacem quam secutus est, nec alii timentes pœnam talionis in hujusmodi sectis faciendis se subtraxerint.

De

De defensione Appelli CAP. 34.

APpellatus de facto venit & defendit omnem feloniam, & pacem Regis infractam & mortem C. & quicquam est contra pacem Regis, & omnia in appello contenta de verbo in verbum secundum quod versus eum fuerint proposita. §. 2. Verùm quia exceptiones loco actionum sunt, eo quod unum alterum impugnat, & sicut actores armantur actionibus & accinguntur quasi gladiis, ita rei è contra muniantur exceptionibus & defenduntur quasi gladiis; ideo excipere poterit & dicere quod secta non fuit benè facta, eo quod statim hutesios non levavit; & si levavit, illud tamen non ad villas vicinas & propinquiores non manifestavit, nec scelus illud Coronatoribus vel aliis ballivis Regis statim ostendit, sed inde subticuit per duos annos vel hujusmodi: Ita quod ad proximum Comitatum vel in crastino non appellavit, nec feloniam revelavit quod fecit, aliter autem appellavit quam modo, unde petit judicium de secta indebita, vel de variatione suæ intentionis, vel de omissione, si inveniantur: Nam si de pace et plagis fieri debet appellum, oportet quod appellans exprimat quales plagæ fuerint recentes vel cicatries, & in quo loco, & cujus longitudinis & latitudinis & profunditatis. §. 3. Item de robberia, de quibus rebus, propriis vel alienis; si de pecunia numerata, numerum & genus; si massa rudis, valorem; si formata, quantitatem & pretium; si vestis, colorem & pretium; si pannus, colorem & precium & numerum ulnarum. §. 4. Si animal, genus, pilum, & precium; si de pace & imprisonamento, tunc si in carcere vel de simplici detentio, vel in vinculis, vel sine, vel in ferro, vel in ligno, vel utroque; si de combustione, an de nocte vel de die, & de aliis circumstantiis; si de raptu, de scissione vestimentorum & sanguinis effusione per corruptionem; & si de viro suo interfecto, tunc quod inter sua brachia, vel si de animato puero tunc in ventre. Oportet etiam quod annum & diem exprimat, locum, & horam, & genus armorum: Et quamvis per examinationem processus inveniatur additio, non nocet; sed si variatio fuerit, cadit appellum per exceptionem. §. 5. Cum autem per insufficientem sectam, vel per omissionem, vel per variationem non possit appellum declinari, adhuc excipere poterit contra appellum, & dicere, quod alias appellatus fuit de eodem facto, unde per judicium quietus recessit; & quia nulla exceptio tenet non probata magis quam actio, si partes hoc expectaverint, vocare poterit recordum inde rotulorum Justic' ad warrantum. §. 6. Item dicere poterit quod Justic' itineraverint in illo Com' post tempus in appello contentum, ubi nulla fuit mentio quod secus esset, si quicquam inde tunc fuit incept' licet non terminatum. §. 7. Cadit autem appellum inter dominum & tenentem durante homagio. §. 8. Cadit appellum si ipsum interfecerit tanquam furem nocturnum, vel utlagatum fugientem, vel cum aliter parcere ei non potuit sine suo periculo, vel cum defendens domum suam invasorem volentem invito ipso domino ingredi, tanquam in Sahomsokne, dum tamen aliàs proprium periculum evitare non potuit. §. 9. Cadit appellum cum appellans convictus fuerit de aliqua felonia cum tales contra felones vocem habere non debent. §. 10. Cadit appellum ubi infra annum & diem recenter post factum non fuit inceptum.

§. 11. Cadit appellum pro parvitate rei, ut si minoris fuerit precii xii. denariorum. §. 12. Ita si non fuerit felonia sed simplex transgressio. §. 13. Item cadet appellum coram Justic' cum non fuit in Com' inceptum, nisi recens fuerit factum, & quasi præsentibus Justic' perpetratu'. §. 14. Item si defensor probare se poterit illo die extra regnu', vel non in tali loco fuisse. §. 15. Ite' si erratu' fuerit in nominibus vel cognō inibus, vel si in modo appelli qualitercunque fuerit variatu'. §. 16. Ite' si appellans se semel retraxerit de appello q' it'm rec'averit, vel cum præsens fuerit & non loquutus fuerit versus appellatu'. Sed si non fuerit prosequutus, vel defaltam fecerit, non propter hoc cadit appellu' sed breve tantu', eo quod per aliud breve poterit resuscitari. §. 17. Ite' cadit appellu' in minore causa pendente appello in majori versus eum prosequuto. §. 18. Ite' per morte' appellati. §. 19. Item per morte' reg'. §. 20. Ite' si non fiat mentio de pace regis infracta. §. 21. Ite' si non fiat mentio de felonia. §. 22. Ite' si de rebus alienis, nisi causa adjiciatur. §. 23. Item pro minore ætate appellantis. §. 24. Item pro minore ætate appellati, ad tempus tamen. §. 25. Quatuor sunt autem casus qui imponunt homini necessitatem quod per patriam se defendat, ut quod per inculpatum defertur, per attornatum pronuncietur: Juratores enim loco attornatorum ponuntur, regia dignitas cum p[illegible]t am habeat pro campione, fœmineus sexus, vicium mahemii, ætas sexaginta annorum & ultra. §. 26. Duellum, singularis pugna inter duos ad probandum veritatem litis, & qui vicerit probasse intelligitur, & quamvis judicium Dei epectetur ibidem, quicunque tamen monomachiam & singularem pugnam sponte susceperit vel obtulerit, homicida est, & mortale contrahit peccatum. Et eodem modo Judex qui autoritate defert vel præstat, omnésque assessores consulentes, faventes & auxiliantes, necnon & Sacerdos qui dat benedictionem. §. 27. Cum autem appellatus ab initio nullam proposuit exceptionem, vel cum proposuerit, nullam tamen habuerit competentem qua se tueri possit, tunc electionem habebit ponendi se super patriam, vel defendendi se per corpus suum, exceptis quatuor casibus superioribus. §. 28. Et si per corpus petit defendi, quamvis de mala secta & hujusmodi excipere omiserit, quia tamen cum levitate non est ad duellum procedendum si aliàs evitari poterit, tenetur Judex super articulis malæ sectæ, variationis, erroris, & hujusmodi processum diligenter examinare. Et cum omnia ritè concurrant, ita quod appellum declinari non possit, detur dies partibus quod veniant armatæ ad duellum percutiendum, & interim custodiatur appellatus. Ad quem diem defensor statim det primo vadium defendendi, & appellator postea vadiu' det disrationandi, & primò juret per verba negativa, sic; Hoc audis, homo quem per manum teneo, qui A. te facis appellari per nomen baptismi tui, quòd ego C. fratem tuum, vel alium parentem vel dominum non occidi, vel plagam ei feci ullo genere armorum per quod remotior esse debuit à vita & morti propinquior, sic me Deus adjuvet & hæc Sancta: & fiat mentio in Sacramento de anno, die & loco, secundùm formam appelli. §. 29. Postea juret appellans per verba affimativa, sic; Hoc audis, homo quem per manum teneo, qui te R. facis appellari per nomen baptismi tui, quod tu es perjurus, & ideo perjurus, quia tali anno, tali die, tali hora, & tali loco nequiter & in felonia occidisti C. fratrem meum tali

genere

genere armorum, unde obiit infra triduum, sic me Deus, &c. § 30. Facto autem Sacramento statim committatur defensor duobus militibus vel aliis probis hominibus qui ipsum ducant in campum, & locum ad hoc deputatum, & appellans eodem modo, quibus inhibeatur nè commendatos cum aliis colloquium habere permittant ante duelli percussionem; qui cum in campo venerint, jurare debent in hac forma: Hoc auditis Justic', quod ego talis non concedi, nec aliquis per me, nec pro me, propter quod lex deprimi debeat, léxque diaboli exaltari; sic me Deus, &c. § 31. Et facto Sacramento utriusque, statim fiat ban' regis sub voce præcon' facta silentia per hæc verba: Præc' R. & Justic' hoc est quod nullus sit ita ausus quod se moveat vel verba proferat quicquid videat vel audiat, quod si quis fecerit prisonam unius anni & die & ulterius pro voluntate regis habebit. Quibus expeditis procedat defensor ad arma, simúlque congrediantur & pugnent. § 32. Si autem appellans victus fuerit, vel ante apparitionem stellarum in crepusculo appellatum non devicerit, & defensor judicium petat de appellante qui se obligavit probasse quod non potuit, considerandum erit quod appellatus de facto, omnésque de forcia & circumstantiis accessorii appellati quieti recedant versus appellantem & omnes alios appellantes, dum tamen de uno facto appellaverit; secus verò si de diversis appellans committendus est gaolæ, sed plegii ejus de prosequendo in misericordia non erunt, & quia pugnavit pro pace mitigand' erit cum eod': si appellans vero se retraxerrit, tunc erunt ipse & plegii sui in misericordia Regis & insuper com'ittetur gaolæ: si quide' appellatus victus fuerit, ultimo punietur supplicio cum exhæred' suoru' hæredu', ammissione suaru' facultatu'. § 33. Si autem appellatus nihil respo'dere velit, vel si patria' loci in appello contenti refutaverit, quamvis alia habere petierit, vel si dicat quod omnem feloniam defendit, & quod non est culpabilis de sibi impositis, paratus se defendere sicut cur' consideraverit, vel sic per copus vel patriam sicut cur' consideraverit; quia verò per curiam non debet quis ad aliquam defensionem arctari nec instrui, ideo si aliud nolit dicere pro defensione; & appellans inde petierit judicium, indefensus remanebit, morti tamen non condemnabitur, sed gaolæ committetur sub dieta salvo custodiendus, donec instructus petat inde se legitimè acquietare: Consideratio verò erit talis, quod unico indumento indutus & discalceatus in nuda terra quadrantalem panem hordeaceum tantùm pro duobus diebus habeat ad victum, non tamen quod quolibet die comedat, sed altero tantùm, nec quòd singulis diebus bibat, sed die quo non comederit aquam bibet tantùm, & hæc dieta omnibus legem refutantibus injungatur donec petant quod prius contempserint, exceptis clericis qui in foro clericali pro libertate Ecclesiæ petant judicari, qui & se gratis judicio laicali submiserint; quia verò nefandum esset tales ante degradationem morti condemnare, pro contemptu faciend' sanctæ Ecclesiæ libertati, ideo liberandi sunt clerici condempnati ad degradationem, qui si postea extra ecclesiam inveniantur, capitale judicium subeant, nisi abjuratio regni gratiosè concedatur eisdem. § 34. Bigami verò & sacrilegi ab omni privilegio clericali sunt interdicti, non obstante in consilio Lugdun' ejusdem constitutionis revocatione.

§ 34. Et cum aliquis prædictorum petierit respondere, & venerit in judicio, defendere debet omnem feloniam, & verba per ordinem dedicere, secundùm quod in appello fuerint versus eum proposita: & tunc dicat, Et quod inde non sum culpabilis pono me super patriam de bono & malo, & tunc remittatur gaolæ, & appellans sequatur breve vic', quod venire faciat tot & tales de tali visneto, quod sint ad certum diem ad recognoscendum. § 35. Ad quem diem appellans & appellatus amovere poterunt Juratores legitimè suspectos; nec sufficiet in aliqua Jurata calumniam apponere sine causa, quam si verificare non poterit per non calumniatos, calumniator jurare compellatur. Calumniare enim poterit multiplici', ut per capitales inimicitias inter eos habitas, vel quia Jurat' aliàs convictus fuit de perjurio, vel quia excommunicatus, quod docere oportebit per literas diocesan', vel quia judicium subivit pillorare, vel hujusmodi, vel quia villanus, vel quia infra ætatem, vel ultra. § 36. Qui cum juraverint & non fuerint concordes, extunc separari debent ab invicem, & Justic' quemlibet per se debent examinare, quorum suspecti, qui nequiter propter cupiditatem eschaetæ terræ defensoris vel hujusmodi inculpatum damnare intendunt, penitus amoveantur, vel si omnes per unum instruantur qui non fuerit ex Juratoribus, vel cum omnes à villatis fuerint instructi, villatæque ab aliquo domino vel ballivo vel alio qui innocentem damnari affectaverit, puniatur talis conspirator, & novi eligantur Juratores, qui primis conjungantur Juratoribus, nisi primi fuerint omnes suspecti, & sic fiat donec veredictum unanimiter proferatur, & non per dietam vel prisonæ exactionem, nisi in casu ubi inculpatus in alios se ponere noluerit. § 37. Qui cum in dubio fuerint, nec veritatem sciverint, non ad damnationem erit recurrendum, immò potius ad salvationem; & ideo quia actor suam non probaberit actionem, per quod considerandum erit quod appellatus quietus recedet, & appellans gaolæ committetur. § 38. Cum autem appellans aliquo modo de probatione sua defecerit, dum tamen non per inquisitionem patriæ, nihilominus subesse poterit felonia, quæ quidem si non convincatur, sic remaneret impunita, qd. esse non debet: Procedat igitur Rex ex suo officio pro pace sua infracta ad inquisitionem propter præsumptionem appelli vel indictamenti cum nullus appellaverit qui culpabiles inveniantur, tales per patriam in quam se posuerint, quamvis appellatores per duellum devicerint, vel appellum declinaverint, vel quamvis appellatores mortui sunt, condemnabuntur tamen, quemadmodum appellum processisset. § 39. Et quod dicitur de appellis, dici poterit de indictamentis, dum tamen indictamentum fiat apud bonos & graves, qui hujusmodi indictamento sigilla sua apposuerint, eo quod vox populi frequenter vana invenitur, tum propter cupidiatem eschaetæ, tum propter odium & malam voluntatem. § 40. Et valdè necessarium in omni præsumptione in Inquisitione de vita & membris Juratores diligenter examinare, vel à quibus rationem proferendam didicerint, per quorum responsionem continget fortè fraudem inveniri vel iniquitatem. § 41. Dicit enim fortè unus vel plures, quòd hoc didicerit à tali conjuratore suo & ille interrogatus, ab alio tali; & sic descendere poterit interrogatio & responsio de

de persona in personam usque ad aliquam vilem & abjectam personam, vel talem cui non est fides aliquatenus adhibenda, & hoc faciet quilibet bonus Judex, ut gloria sua & laudis suæ titulus cumuletur, nè ob ejus negligentiam crucifigatur Jesus, Barabbasque dimittatur. §. 42. Si autem plures unum appellaverint, vel plures de diversis plagis, ictibus & factis, statim post convictionem unius procedat appellum alterius. §. 43. Et tunc demum cum ipsi de facto appellati convicti fuerint, procedatur contra ipsos de forcia & præcepto: Et secundum quod se defenderint, detur alius dies: Ad quem vero si appellatus convictus fuerit, consimilem pœnam sustineat, sicuti principalis de facto sustinuerit: consentientes enim & agentes pari pœnâ puniendi sunt. § 44. Si autem appellatus legitimè se defenderit, dum tamen appellans convictus non fuerit, alii de forcia propterea non deliberentur cum diversa sint facta, diversæ personæ, diversæ causæ, & diversa appella, ut si unus præceperit, alius tenuerit, tertius percusserit, quartus malefactoribus liberum aditum præbuerit & regressum, & quintus insidiaverit nè quis veniret, omnes enim prædicti tenentur quilibet de suo facto proprio respondere. Appellum autem tale est: A. appellat B. quod idem B. fuit consentiens morti talis, vel in auxilio, & ita quod ille qui convictus est de facto exivit de domo talis appellati ad factum illud faciendum, & illuc post factum rediit, & præsens fuit in com' ubi præd' B. minatus fuit eidem fratri suo, in quo pax Regis erat petita & ibidem data & quod nequiter, &c. offert, &c. §. 45. Plegii autem inventi de pace conservanda, quam plegiatus postmodum infringit, retinendi sunt in prisona, nisi corpus plegiati prisonæ reddiderint, cum fuerint inde requisiti. §. 46. Inhibetur autem nè quis falso & per malitiam alium appellet, constituitur enim sic, quod postquam appellatus per malitiam de felonia sibi imposita acquietaverit, puniatur appellator per prisonam unius anni, & restituat appellato damna quæ sustinuit, habito respectu tam ad infamiam quam ad damna; & versus Regem graviter redimatur. §. 27. Et cum appellator non sufficiat, inquiratur de abettatoribus ad instantiam appellati, qui distringantur per brevia judicialia, non tamen ad utlagariam, qui cum inde convicti fuerint, eandem pœnam quam appellator incurret condemnetur. §. 28. Hæc tamen constitutio si perseverat, placita Coronæ declinabit, & sectatores appellorum feloniæ vehementer repellet; Juratores enim interdum corrumpi possunt.

De Appello Fœminæ. CAP. 35.

FOemina autem de morte viri sui inter brachia sua & non aliter interfecti, & de puero suo animato in ventre suo nequiter impresso, vel per ictū nequiter occiso, & etiam de raptu & violentia copori suo illata, poterit appellare: Et sic fiant appella; A. quæ fuit uxor B. appellat C. quòd cum ipse B. vir suus esset tali loco, &c. occidit ipsum B. virum suum inter brachia sua, & hoc fecit nequiter, &c. offert, &c. §. 2. Eadem A. appellat E quod eodem loco, &c. venit E. cum præd' C. & nequiter, &c. tenuit præd' B. virum suum, dum idem C. eum occidit inter brachia sua, & quod hoc fecit nequiter &c. §. 3. Item eadem A. appellat B. quod ipsa fuit in tali loco, &c. idem B. in eam manus violentas injecit, ipsamque quodam baculo in ventre percussit,

cussit, vel nequiter & in felonia ipsam sic oppressit, quod infra triduum parturiit, per tres septimanas vel amplius maturius quàm debuit; ex cujus ictibus & oppressione idem partus obiit infra triduum, & quod hoc fecit nequiter, &c. § 4. Defensores autem per exceptiones superiores hic & ibi poterint subveniri, sed propter sexum appellantis per corpora sua non poterunt defendi; nam fœmina ad duellum adjudicari non debet, oportet igitur quod per patriam convincantur vel acquietentur; si autem conceperit hora in appello contenta, cadit appellum, eo quod sine assensu concipere non potuit. § 5. Item eadem A. appellat F. quod ipsa fuerit, &c. venit idem F. cum vi sua vel solus nequiter & in felonia, & contra pacem Regis concubuit cum ea contra suam voluntatem, & quod hoc fecit nequiter, &c.

De Infortuniis. CAP. 36.

SIcut autem quis feloniam facere poterit, interficiendo alium, ita & seipsum, nam si conscius criminis qui recenter hominem interfecerit, vel hujusmodi, ubi oriuntur feloniæ metu judicii seipsum interfecerit quoquo modo, ejus bona remanebunt fisco, nec hæredem habere debet nisi dominum feodi: Sed si quis tædio vitæ vel impatientia doloris alicujus hoc fecerit, filium hæredem habere debet, sed bona ejus mobilia confiscentur: ex alto etiam præcipitati & submersi similiter hæredes habebunt, & ubi non committitur felonia; & similiter furiosi, frenetici, infantuli, & mente capti, & in acuta febri laborantes, quamvis seipsos interfecerint, non tamen feloniam committunt, nec hæreditates forisfaciunt nec catalla, eo quod sensu carent & ratione; uxor' tamen talium dotes debent obtinere.

De Combustione Domorum. CAP. 37.

SI quis ædes alienas nequiter ob inimicitiam vel prædæ causa tempore pacis combusserit, & inde convictus fuerit per appellum vel sine, capitali debet sententià puniri. § 2. Christiani autem Apostatæ, Sortilegii & hujusmodi detractari debent & comburi. § 3. Contrahentes vero cum Judæis vel Judæabus pecorantes & Sodomitæ in terra vivi confodiantur, dum tamen man' oper' capti per testimonium legale vel publicè convicti. § 4. Traditores autem qui dominum dominámve interfecerint, vel qui cum uxoribus dominorum suorum vel filiabus, vel nutricibus dominorum concubuerint, vel sigilla dominorum suorum falsaverint, vel qui alicui occultè venenum præbuerint unde expiravit, & inde convincantur, detractentur & suspendentur, & si mulieres fuerint, concremantur.

De Furto. CAP. 38.

ESt autem furtum, contractatio rei alienæ fraudulenta cum animo furandi invito Domino, cujus res illa fuerit; & est autem furtum manifestum & secretum: Furtum enim manifestum est, ubi aliquis latro deprehensus seisitus de aliquo latrocinio haud habbinde & backberynde, & insecutus fuerit per aliquem cujus res illa fuerit quæ dicitur sacborgh, & tunc licet

cet insecutori rem suam petere criminaliter ut furatam, & quo casu præsente coronatore qui recordum hàbet cum furtum dedicere non poterit, morti debet condemnari, nisi inde possit warrantizare: Secus vero si sine secta & latrocinio, vel sine eorum altero non fuerit deprehensus. Et poterit rem suam petere civiliter ut addisratam, quamvis furatam, & tunc non reputabitur nisi pro transgressione; sed cum criminaliter inceperit, ad transgressionem descendere non poterit. § 2. Cum autem insecutus manifestè rem illam suam propriam advocaverit, oportet quod insecutor suam intentionem per verba legis versus eum proponat, si criminaliter eum petat, tunc opus quod insecutor dicat, quod ille re sua seisitus latro est aut latronem inde sic nominare. § 3. Et quòd in felonia & latrocinio furtivè & contra pacem Regis rem illam cepit, & nequiter abduxit, offert probare per corpus suum versus eum sicut cur', &c. & si eligat per corpus suum defendi, sic jungi poterit duellum; sed in omni cur' in qua debet homo condempnari, præsentia coronatoris vel alterius qui Recordum habeat, est necessaria. § 4. Excipere tamen poterit multipliciter, ut supra, & poterit dicere rem illam sibi fuisse venditam ab aliquo vel donatam, & tunc vocare poterit illum ad warrantum; si autem warrantus præsens fuerit, vel si habere possit eum ad certum diem, habeat eum ut inter eos tunc procedatur de warrantia; si autem eum habere non possit, tunc mandabitur vic' quod faciat eum venire ad warrantizand' vel dedicend', ita quod habeat corpus, &c. Qui si retornaverit quod talis non est inventus in balliva sua, tunc præcipietur vic' quod exigi fac' talem de com' in com' donec comparuerit vel utlagetur; qui si utlagatur, tunc habet insecutus necesse ponere se super patriam. § 5. Si autem venerit, aut statim warrantizat' aut warrantizare contradicat, per cujus contradictionem & probationem vocantis pervenire poterunt ad duellum; si autem warrantizatus fuerit, statim liberetur res warranto, & sic liberetur ille qui vocavit, & tunc proferat insecuto appellum suum versus warrantum prout fecit versus warrantizatum, & ille warrantus vocare poterit ulterius. § 6. Et si rei vendicatio facta fuerit in cur' Baron', & seisitus aliquem vocaverit ad warrantum qui extra districtionem domini moram fecerit, statim mittendus est ad gaolam Regis, nec liceat alicui domino ultra noctem captum pro felonia retinere. § 7. Si quis autem latrocinium emerit quod crederit esse legale, & insecutus fuerit ab aliquo qui rem vendicaverit, & talis emptor rem illam publicè emerit in foro vel in nundinis coram ballivis & fide dignis qui inde sibi legale testimonium perhibuerint, & quod tolnetum diderit & consuetudinem; considerandum erit, quod emptor quietus recedat, & quòd rem vero Domino petenti restituat, & quod proinde pacaverit amittat; qui si non testificetur prout dictum est, nec warrantum habuerit, in periculo erit vitæ amissionis. § 8. Intrat enim interdum in warrantiam, & defensionem aliquis malitiosè & per fraudem, sicut campio conductivus pro mercede, quod quidem si fuerit coram Justic' detectum, non procederetur ulteriùs ad duellum, sed per patriam inquiretur veritas, si talis mercedem receperit vel non pro defensione facienda, & si constiterit quod sic, pedem amittere debet & pugnum. § 9. Et eodem modo si clericus mercedem caperet ut

ipsum

ipsum warrantizaret, si clericus postquam talem per warrantizationem liberavit se defendere noluerit, ut foro sæculari, nec ulteriùs respondere propter privilegium suum clericale, pro non warrantizato habebitur liberatus, & revocabitur judicium suæ acquietationis, dum tamen fraus hujusmodi convincatur, & opertebit quod principaliter se defendat, clericusque gaolæ pro malitia committetur & redimatur. § 10. Est enim furtum de re magna & re parva, pro minimo tamen latrocinio duodecim denariorum & infra nullus morti condempnetur; pro hujusmodi modicis delictis inventa fuerunt judicialia pilloralia, & deformitates corporum, ut scissio auricularum & hujusmodi; ex pluralitate tamen & cumulo modicorum delictorum poterit capitalis sententia generari. § 11. Scissores autem bursarum multipliciter delinquunt, pro bursa vero sola quam furtivè scindunt civiliter delinquunt, & sequitur pœna pilloralis per unam horam diei, ut sint pro talibus noti, & poterunt læsi querelas suas versus tales criminaliter intententare; si autem bursam absciderent cum catall' infra duodecim denar', non adhuc crimen committunt, sed injuriam atrocem propter quam auriculam amittere merentur; & cum iterum in consimili injuria vel majori deliquerint, capitale judicium subeunt; si autem ab initio bursam absciderint cum valore duodecim denar' & ultra, non solùm tenendi sunt pro bursæ scissura, verumetiam pro latrocinio catalli morti debent condempnari. § 12. Uxor autem furis non teneatur pro delicto viri, pœna enim suos tenere debet auctores; uxor autem virum accusare non debet, nec feloniæ suæ consentire; impedire tamen tenetur in quantum potest, si furtum tamen sub clavibus uxoris inveniatur, simul cum viro tenebitur; & sola teneri debet, cum furtum in manu sua inveniri contigerit; vir vero nequaquam, nisi ei expressè consenserit, vel cum à viro fuerit inde warrantizata. § 13. Et nisi aliter alterius nequitiam evitaverit, manifestè præsumi poterit consensus mali de utroque, poterit enim vir tenere & uxor sponte, & non coacta occidere, & è converso; & ideo cum participes sint in crimine, participes debent esse in pœna, & sic teneri debet uterque, cum de communi assensu fuerint convicti. § 14. De concubina vero vel famula non est sicut de uxore, ipso vero accusare tenetur vel à servitio recedere, alioquin videtur consentire. § 15. Mulier autem cum fuerit pro maleficio condempnata aliquando prægnans, & quo casu defertur executio judicii redditi donec peperit. Et ad hoc facit lex imperatoria, prægnantes mulieres dampnari pœna defertur, nec torqueantur quamdiu prægnantes fuerint. § 16. Utlagati autem & illi qui regnum abjuraverint, & de felonia convicti ab omni appello & libera voce sint interdicti, eò quod judicia sua secum deferunt sicut sententialiter condempnati, & igitur frangitur talium baculus; secus est de feloniam confitentibus qui nondum propter conjugationes sunt condempnati, quibus Rex mitigare poterit per sic quod socios suos accusent, & eorum receptatores appellant, & patriam ab hujusmodi malefactoribus deliberent, qui cum mendaces inveniantur, condempnentur, & similiter si se de appellis retraxerint, dum tamen sua cognitio propriæ feloniæ & proferum probandi per coronatores vel alios quibus data fuerit recordi authoritas, sint recordata: Si autem proferum

rum quod coram coronatoribus & vic' fecerint advocaverint coram Justic', tunc oportet ad hoc quod mitigationem principis consequi debeant quod obligent se ad tot convincend' quot appellaverint, per patriam scilicet, vel per corpus, vel per fugam, vel per recordum; Et solet fieri Justiciar' tale breve: Rex talibus Justic' salutem. Sciat' quod concedimus vobis potestatem concedendi tali vitam & membra, qui coram nobis probator devenit, & latrocinium vel aliam feloniam cognovit per sic, quod convincat per duellum vel alio modo tot quot coram vobis felones probare se obtulit & obligavit. Et tunc præcipietur vic', quod omnes appellatos statim capi faciat, & coram talibus Justiciar' duci; si autem aliquos appellaverit qui in alio com' fuerint vagantes vel commorantes, statim usque Newgate destinentur, quia omnes vic' regni mandato Justic' de Newgate in London inclinant, & si aliquis appellatus se subtraxerit, accepto brevi pro warranto, ipsum fac' vic' exigi, & ni venerit ad sectam Regis tantùm utlagari. §. 17. Qui quidem cum venerit, & prisonæ se reddiderit ante utlagationem, tunc ad deliberationem gaolæ coram Justic' proponat probator intentionem suam in hunc modum: Ego talis appello B. de socieate latrocinii mei vel robberiæ, quod nos simul furati fuimus talem rem, apud talem locum, talibus die & anno; ita quod ipse B. habuit ad partem suam tantum: vel sic, obviaverunt cuidam tali, quem robberaverunt & interfecerunt, & quod ad hoc & ad alia fuerunt socii, & de latrocinio & robberia participes & capaces, vel latrocinii sui receptator offert probare versus eum per corpus suum, &c. Et oportebit probatorem rem certam exprimere, & omnes circumstantias sine variatione, & quod cognoscat personam appellati cum fuerit in judicium productus; eodem modo probare poterit receptamentum & consensum. §. 18. Si autem appellati defendi per corpus suum elegerint, tunc dent vadia hinc & inde, & dies duelli assignetur, & armati percutiant duellum, nec sufficiet sola victoria, nisi verbum recreantisæ à victo exprimatur, vel quod tantundem valeat, & societatem & maleficium cognoscat. Et si probator victus fuerit, propter famam tamen versus Regem oportet quod victor se per patriam acquietet. §. 19. Ex gratia tamen Justic' poterunt hujusmodi appellati vincentes usque ad iter Justic' per plegios dimitti, vel per manucaptores imperpetuum ad stand' recto, si quis versus eos loqui voluerit, dum tamen boni & laudabilis sint testimonii. §. 20. Et cum unus ex pluribus appelletur vel plures ab uno, per diversos tamen dies vicissim sua faciant duella. §. 21. Sed si appellatus excipiendo responderit sic: Et B. venit & defendit, &c. & petit judicium si tali qui est latro cognoscens debeat respondere desicut ipse homo fidelis est, & in franco pleg' tali vel de manupastu talis versus quem latro vocem babere non debet, & quo casu hoc comperto, recedet inde appellatus omnino quietus, dum tamen à suo visneto non fuerit malecreditus, sed ipso habito suspecto respondebit ulterius. Et eodem modo si aliàs rettatus extitit de malo vel appellatus. §. 22. Cum autem probator compleverit quod promisit, teneatur ei conventio quoad vitam scilicet & membra, vel quod in prisona suo perpetuo remaneat, vel quod regnum abjuret. §. 23. Appellati autem post. mortem probatoris ipsos appellantis

castratus fuerit, & talis pro mahemiato poterit adjudicari. § 2. Amissio autem dentium molarium vel auriculæ potius dici debent deformitates quàm mahemia, eò quod vires propterea non diminuuntur. § 3. In mahemio autem loca habent appella & defensiones, per corpus tamen probari non debet; necesse est ergo quod defensor per patriam se defendat, si appellum non possit declinare. § 4. Qui cum inde convictus fuerit, membrum amittere pro membro, nisi satisfacere possit parti meritò debet condemnari, & insuper gaolæ committi pro pace Regis infracta; solet enim Justiciar' pro quolibet mahemio ad amissionom testiculorum vel oculorum convictum condemnare, sed non sine errore, eò quod id judicium nisi in corruptione virginum tantùm competebat; nam pro virginitatis corruptione solebant abscidi & meritò judicari, ut sic pro membro quod abstulit, membrum per quod deliquit amitteret, viz. testiculos, qui calorem stupri induxerunt, oculos etiam amitteret propter aspectum decoris quo virginem concupivit; sed istæ causæ non possunt in amissione unius dentis assignari, vel in aliis mahemiis; convenit igitur ut mahemiator membrum amittat pro simili quod abstulit.

De Plagis & Plagatis. C A P. 41.

FIt autem appellum de plagis sic: A. appellat B. &c. venit idem B. cum vi sua, & contra pacem Regis in felonia & in assultu præmeditato fecit ei insultum, & quandam plagam ei fecit in tali loco corporis de tali longitudine, tali latitudine, & tali profunditate, tali genere armorum; & quod hoc fecit nequiter, & in felonia, offert probare versus eum per corpus suum, sicut curia consideraverit. § 2. Et B. venit & defendit pacem Regis infractam, & feloniam, & plagam, & quicquid est contra pacem Regis, & totum de verbo in verbum quicquid ei imponitur; & petit judicium de secta indistinctè facta, de variatione & omissione, & de superioribus exceptionibus. § 3. Item de parvitate plagæ, ut si non fuerit nisi russura, & quo casu potius denotari debet transgressio quàm felonia, vel si de baculo vel lapide facta fuerit, peti poterit judicium, desicut hujusmodi arma non faciunt plagas, licet horribiles faciunt ictus, & quibus casibus jungi non debet duellum. § 4. Si autem de necessitate ulterius respondere debeat, & per corpus suum se defenderit, tunc dabitur dies partibus ut tunc veniant armatæ ad duellum percutiend', ad quem diem unico essonio poterint essoniari; sed si appellans defaltam fecerit, vel si præsens se retraxerit, appellatus quietus recedet, & appellans & plegii ejus de prosequendo in misericordia: Et si utrique defaltam fecerint, pro eo quod concordati fuerint sine licentia curiæ, uterque committatur gaolæ, & omnes plegii in misericordia. § 5. Si autem appellatus non inveniatur, quamvis non fugerit, præcipietur tunc vic', quod ipsum exigi faciat de com' in com', donec venerit vel utlagetur; & si primo die venerit, & in patriam se posuerit de bono & malo, vel per corpus suum defendi petierit, & diem receperit, & forte manucaptus sit per fide dignos, & ad diem sibi datum non venerit; capiendi sunt manucaptores, & tenendi donec appealltus venerit vel utlagetur. § 6. Et quamvis venerit,

amittit tamen catalla propter fugam, & manucaptores tenentur reddere damna dilationis appellanti per Justic' taxationem, & nihilominus finem fac' extra prisonam, & capiatur veredictum juratorum, & secundum quod præsentaverint, condemnetur vel acquietetur. § 7. Si autem contemptu & sua inobedientia utlagetur, tunc redimendi sunt manucaptores: Dicunt autem quidam quòd manucaptores tantùm debent amerciari si ad diem sibi datum non habuerint manucaptum, & in odium defaltæ habebitur pro indefenso, & præcipietur vic' quod exigi fac' eum donec comparuerit vel utlagetur; qui si comparuerit, ob omni exceptione, calumnia & responsione fere merito debet suspendi, & capto veredicto patriæ liberetur vel condemnetur.

De Prisonis. CAP. 42.

DE imprisonamento poterit fieri appellum, in casu scilicet ubi liber homo captus fuerit & imprisonatus contra pacem Regis: Est enim imprisonamentum duplex delictum; injusta captio, & injusta detentio, in vinculis vel sine, in cippo vel alia pœna majori vel minori. § 2. Appellum autem tale est: A. appellat B. quod sicut fuit &c. venit idem B. cum vi sua &c. & ipsum nequiter cepit, & apud talem locum duxit, & ibidem detinuit, & imprisonavit, & in cippo posuit, vel in ferris, vel vinculis, vel hujusmodi; & taliter detinuit à tali die usque talem, contra vadium & pleg', vel donec idem A. tantùm ei dedit pro redemptione sua, vel donec liberatus fuit per breve Regis, & quod hoc fecit nequiter & in felonia, offert probare per corpus suum, secundum quod cur' Regis consideraverit. § 3. Et eodem modo appellare poterit alium de præcepto, & alium de forcia. § 4. Et B. venit & defendit vim, & injuriam, & omnem feloniam, & pacem Regis infractam, & captionem, & imprisonamentum, & redemptionem, & quicquid ei imponitur, & secundum verba appelli defendat se per corpus suum, si voluerit cum electionem habeat, nisi exceptiones habeat, & defensiones per quas appellum possit declinare. § 5. Si autem dicat, quod ipsum cepit & in cippo posuit, eò quod nativus suus & in servitiis & consuetudinibus suis faciend' contrarius extitit & rebellis; quod si negaverit appellans, clamans ipsum liberum, necesse est appellato parentes habere appellantis qui palam ejus villanos esse cognoverint; & quo casu justa est captio & detentio, nisi appellatus docere valeat ipsum esse quoquo modo à servitute liberatum. § 6. In istis autem appellis de mahemio, de plaga, & imprisonamento, agere licebit conquerenti, civiliter conquerendo de injuria per breve de transgressione, vel criminaliter. § 7. Judicium autem imprisonamenti injusti est imprisonamentum cum pœna vinculorum, vel hujusmodi, secundum quod querens sustinuerit; nec sequi debet deliberatio donec de damnis parti læsæ adjudicatis competenter fuerit satisfactum, & Regi de gravi redemptione.

De

De Libertatibus. CAP. 43.

EST etiam quædam species criminis quæ præsumptuosa est mali, mortem tamen non inducit, licet carceris inclusionem gravemque redemptionem quæ est inventio thesauri fraudulenter occultati; nec refert quo loco, secundum suam definitionem, quæ talis est: § 2. Thesaurus talis est quædam vetus depositio pecuniæ, vel alterius metalli, cujus non extat modo memoria quem Dominum habuit; nec aliter dici debet thesaurus, qui licet olim inventoris erat, jam de jure gentium Regis efficitur,& alia quædam quæ in nullius bonis esse dicuntur, sicut wreckum maris, balæna, sturgio & weyvium, quod est pecus vagans quod nullus petit,sequitur vel advocat: Wreckum dici poterit quasi derelictum, ut si quid in navi extra navem levandi causâ ejectum fuerit sine animo retinendi vel repetendi.

De Wrecko. CAP. 44.

ITem dicitur wreckum navis vel batellus fractus, de quibus nihil vivum evaserit: Dum tamen præmissa in littore maris inveniantur,vel secus littus quod secus esset si longius in mare invenirentur, eò quod sic essent inventoris, & de hac materia fit talis constitutio: § 2. Concordatum est quod wreckum maris non adjudicetur ubi homo, catus vel canis vivus evadit à navi; sed navis,batellus,resque in eis inventæ in manibus eorum de villa in qua hujusmodi applicaverint per visum vic' coronator', & ballivi loci usque ad iter Justic', nisi prius inde aliud fuerit ordinatum, salvo liberentur custodiendæ: Ita quod si quis infra diem & annum sequatur pro eisdem bonis habendis, illaque sua esse probaverit per certa indicia, aut à custodia sua recessisse, statim restituantur eidem, alioquin Regi remaneant vel Domino feodi, si tali gaudeat libertate: & si contingat aliquem hoc violare statutum per prisonam voluntariam, gravi punietur redemptione, & satisfaciet querenti: Si autem ballivus loci hoc fecerit qui inde non advocetur, respondeat ipse ballivus solus, nisi Dominus aliquid de hujusmodi bonis sibi attraxerit; & si ballivus non sufficiat, satisfaciat querenti, vel reddat corpus occupantis.

De Sturgione. CAP. 45.

DE Sturgione aliter observetur, quod Rex illum integrum habebit propter privilegium regale.

De Balæna. CAP. 46.

DE Balæna verò sufficit, si Rex habeat caput, & Regina caudam.

De Weyvio, & expositione diversarum libertatum, ut Infongthef, & aliis similibus. CAP. 47.

SI quis enim libertatem Weyvii habere clamans, animal vagans in feodo suo invenerit, id statim scire faciat villatis adjacentibus in nundinis & Ecclesiis parochialibus, & mercatis, non sæpe sed sæpius solemniter proclamari, quod talis tali die quoddam tale animal invenit, quod si fecerit ultra diem & annum non competit alicui actio, sed de jure gentium sit ejusdem domini; secus erit si proclamationes solemnes fieri non fecerit, & quo casu non currit tempus contra primum possessorem, sed erit locus robberiæ, si dominus feodi illud advocaverit ut proprium, & per vad' & pleg' non permittat illud legitimè replegiari, per quod merito tali libertate de cætero non gaudebit. § 2. Sunt autem quidam Baronum qui libertates habent subscriptas speciales ex antiquis Regum donationibus, per quas in cur' suis quosdam felones judicare clamant, ipsos præcipuè qui infra suas capti fuerint libertates haud habbynde & backberande qui condempnari non debent, nisi insecuti fuerint per sackborgh, nec etiam per sackborgh, nisi de rebus insecutis fuerint seisiti. Non enim pertinet in hujusmodi curia vel hundr' inquirere per patriam, utrum tales qui non fuerint aliquo latrocinio seisiti, culpabiles sint, vel non, de sibi impositis: & si sine seisina, in hujusmodi cur' jungere duella totaliter inhibeatur. § 3. Libertates verò sunt istæ, videlicet: § 4. Infangenthef, qui dicitur latro captus in terra alicujus seisitus aliquo latrocinio de suis propriis hominibus. § 5. Utfongenthef dicitur latro extraneus, veniens aliunde de terra aliena, & qui captus fuerit in terra ipsius qui tales habet libertates; sed non sequitur quod ille possit hominem suum proprium extra libertatem suam captam reducere usque in libertatem, & ibi eum judicare; reducere tamen poterit judicatum, & judicium in proprio patibulo exequi ratione libertatis, commodum tamen non video; debet enim quilibet juri subjacere ubi deliquit, proprios tamen latrones & alienos judicare possunt, dum tamen infra libertatem fuerint capti: In nulla tamen cur' præter coram Justic' Reg' possit aliquod placitum deduci, in quo fit mentio de pace Regis infracta, excepto appello coram coronator' & vic', poterunt tamen pacem Regis omittere, & pacem domini vel vic' inserere. § 6. Soke signat libertatem cur' tenentium, quam Sokam appellamus. § 7. Sake acquietantiam de secta ad com' & hundr'. § 8. Tol acquientiam theolonii ubique in regno. § 9. Them acquietantiam amerciamentorum sequelæ propriorum suorum. § 10. Frichborgh est laudabilis homo astrarius testimonii liber vel servus, per quem omnes juxta ipsum commorantes firmiori pace sustententur sub stabilitate fidejussionis ejus vel alterius per den' numerum, unde quilibet est quasi pleg' alterius, ita quod si unus feloniam fecerit, novem tenentur ipsum ad stand' recto præsentare. § 11. Lestinge quietantiam lestagii, frithsokne vel forsokne libertatem habendi visum franc' plegii. § 12. Flemenessreive vel Flemesrenthe habere catalla fugitivorum suorum tenentium. § 13. Weregelthef latronem

latronem qui redimi poteſt, Wera enim Anglicè idem eſt in Saxonis lingua vel pretium vitæ hominis appreciatum. § 14. Utlep eſcapium latronum. § 15. Forfeng quietantiam prioris priſæ deſignat. In hoc enim delinquunt Burgenſes London cum priſas ſuas ante priſas Reg' faciunt. Infeng' vel Frendwyte acquietantiam prioris priſæ ratione ſolemnitatis convivii. Ferdwyte quietantiam murdri in exercitu. Blodwyte quietantiam miſcordiæ pro ſanguinis effuſione. § 16. Wardwyte quietantiam miſericordiæ in caſu quo non invenerit hominem ad wardam faciend' in caſtro, vel alibi. § 17. Hengwyte acquietantiam miſericordiæ de latrone ſuſpenſo abſque conſideratione. § 18. Hamſokne quietantiam miſericordiæ intruſionis in alienam domum vi & injuſtè. § 19. Forſtall obtruſionem viæ vel impedimentum tranſitus & fugæ averiorum. § 20. Hudegeld quietantiam tranſgreſſionis illatæ in ſervum tranſgredientem. § 21. Burghbote quietantiam reparationis murorum civitatis vel burgi. § 22. Briggebote quietantiam reparationis pontis. § 23. Ferdfare quietantiam eund' in exercitum. § 24. Inlaghe, ſubjectum legi. § 25. Utlaghe, bannitum extra legem. § 26. Theyn liberum. § 27. Thett ſervum. § 28. Churcheſed certam menſuram bladi tritici ſignat, quam quilibet olim ſanctæ Eccleſiæ die ſancti Martini, tempore tam Britonum quam Anglorum; plures tamen magnates poſt Normannorum adventum in Angliam, illam contributionem ſecundum veterem legem Moyſi, nomine primitiarum dabant, prout in brevi Regis Knuti ad ſummum Pontificem tranſmiſſo continetur, in quibus illam contributionem appellant Church, ſed quaſi ſemen Eccleſiæ.

De fine Itineris. CAP. 48.

PRæſentationes autem Juratorum ſunt capitulis ſuperius ſibi liberatis ante receſſum Juſticiar' quanta juſtitia permiſerit, id eſt, debent terminari; quæ cum finem ceperint, ſtatim mittenda ſunt brevia, & loquelæ pendentes adjornandæ coram Juſticiar' de Banco & coram Rege & ad ſcaccarium, dum tamen Regem contingant, & ſuper hoc, ſint partes præmunitæ & adjornatæ. § 2. Quibus expeditis conſueverunt Juſticiar' imponere villatis Jurator', hundr' & toto com' concelamentum, & omnes ſeparatim amerciare quod videtur voluntar', cum de perjurio vel concelamento non fuerint convicti, ſed potius diſpenſand' eſſet cum eis, eò quod animas in ſtatera poſuerunt pro pacis conſervatione; ſed qualiter fieri debent amerciamenta declarant hæc ſtatuta: Liber homo non amercietur, niſi ſecundùm modum delicti, & hoc ſalva ſibi continentia, mercator autem ſalva ſibi mercandiſa ſua, & villanus ſalvo waynagio ſuo, cum per Juſtic' Reg' fuerint amerciati; ſecus ſi per dominos ſuos, nec apprecientur quantitates amerciamentorum niſi per Sacramentum parium ſuorum, videlicet proborum & legalium hominum de viſneto, qui facultatum ſuarum notitiam habeant pleniorem. § 3. Comites etiam & Barones per ſuos pares ſecundùm quod Baronias integras tenuerint vel defenderint, vel non; ſimiliter amercientur & ſervientes ut ſervientes per ſervientes, & perſona Eccleſiaſtica ſecundum ſuum laicum ten',

&

& non secundùm Ecclesiastici sui beneficii quantitatem. § 4. Minores vero petentes plenam non habentes ætatem non amercientur, pleg' etiam invenire non poterunt. § 5. Villatæ autem non amercientur, pro eo quod omnes ætatem duodecim annorum habentes non venerint coram vic', & coronator' ad inquisitiones suas, exceptis inquisitionibus de morte hominis, dum tamen satis sufficienter venerint ad jurat' faciend'. § 6. Murdrum de infortunio non adjudicetur, manucaptores nòn amercientur, dum tamen corpus habuerint plegiati ad diem eis assessum, quamvis tunc respondere noluerit. § 7. Et inhibetur nè aliquid capiatur pro escapio prisonum quousque escapium in itinere Justiciar' coram Justic' fuerit adjudicatum; quod si quis fecerit, quòd cepit restituat, & tantum det Regi pro fine transgressionis. § 8. Et provisum est quòd communes misericordiæ, vel fines comitatuum amerciatorum in finibus itiner' Justic', ante recessum ipsorum Justiciar' per Sacramenta militum, & aliorum proborum hominū de com' eodem assidantur super eos qui contribuere debent, unde particulæ Justic' liberentur, ut eas cum aliis extractis suis ad scaccarium liberare valeant. § 9. Provisum est etiam quod Justiciar' in itineribus suis terminum statuant certum, secundùm magnitudinem com', infra quem brevia placitanda vic' liberentur, & post quem inhibeatur vic' nè aliquod breve recipiat; & si quod post terminum illum à vic' fuerit admissum, processus ab eo habitus eo ipso sit nullus, exceptis brevibus cassatis de dote, de viris mortuis infra iter, & assisa novæ disseisinæ, ultimæ præsentationis, & quare impedit, de Ecclesiis vacantibus itinere durante. § 10. Provisum est etiam de illis qui terram habent tam in aliis com', quàm in com' in quo Justiciar' itineraverunt, si per diversa loca de terris suis implacitentur, vel timeant implacitari, quod tales generales facere possint attornatos ad sequend', pro eis in omnibus placitis in itineribus Justiciar' pro ipsis vel contra ipsos motis, & movend', per tales literas patentes. § 11. Rex omnibus ballivis & fidelibus suis ad quos præsentes literæ pervenerint salutem, quorum potestas durabit donec per dominos suos, vel per mortem tollatur eisdem; non tamen excusantur hujusmodi domini per hoc beneficium à juratis vel assisis. § 12. Nec amercientur in itineribus qui vocati fuerint ad warrantum, pro eo quod præsentes non fuerint, quamvis de eodem fuer' com', sed talibus dentur dies, quibus legitimè valeant comparere: forinsecis autem fiant summonitiones legitimè, vel usque ad bancum poterit loquela destinari. § 13. Item nullus amercietur pro defaltu alicujus summon', nisi coram Reg' vel Justiciar' tantum. § 14. Et tunc demum liberentur vic' loci & coronator' nomina exigendorum, qui de com' in com' exigantur, donec venerint vel utlagentur.

LIBER

LIBER SECUNDUS.

De Personalibus actionibus civilibus. CAP. 1.

EST autem injuria omne quod non jure fit. § 2. Injurialium autem actionum, quædam ex delicto proveniunt, & quædam ex contractu: Et illarum quæ delicto quædam atroces sunt, quædam verò leves; ex quarum quidem qualitate sequitur pœna coporalis, vel pecuniaria major vel minor, quæ ulterius tamen quam ad auctores extendi non debet, nec ulterius progredi quàm se extendit delictum. § 3. Atrocium etiam injuriarum quædam criminales, & quædam civiles. § 4. Si quis namque unum percusserit cum alterum percutere vellet in felonia, vel cum levius percussisse crediderit graviusque percusserit & occiderit, crimen committit, & atrocem injuriam & transgressionem. Transgressio autem est cum modus non servatur nec mensura; debet quilibet in suo facto modum habere & mensuram. § 5. Sunt etiam quædam atroces injuriæ quæ criminales sunt & civiles, eo quod ad utrumque poterint intentari; sicut sunt injuriæ de mahemiis, plagis, imprisonamento liberi hominis contra pacem Regis, quæ mortem tamen non ducunt; & sicut sunt injuriæ de rebus alienis invito domino rerum asportatis & detentis injustè: & hæc injuria dicitur furtum vel robberia in actione criminali, & sequitur judicium vitæ amissionis; sed si petatur tanquam adirata, sic dicitur injuria & tanquam transgressio in civili, & sequitur rei vel precii restitutio, cum satisfactione dampnorum; nulla autem actio civiliter terminata in curia Regis criminaliter poterit intentari. § 6. Atrocitas autem quandoque terminatur ex loco, ut si in cur' domini Regis vel dominorum, in nundinis de ablato ecclesia vel foro: Item ex loco vulneris, ut, si in fronte, naso, vel oculo, pede, vel manu; & quandoque ex persona, ut si dominis, magistratibus, ballivis, parentibus fiat vel patronis. § 7. Atrox etiam injuria est quæ membri exigit amissionem cum infamia turpi, sicut fit de scissoribus bursarum & aliis, quæ minuta furta infra valorem duodecim denar', socios tamen habere poterint & fautores, quos si accusari voluerint, sic civilem statum mutabunt in criminalem. § 8. Est autem atrox injuria quæ perpetuam inducit infamiam cum pœna pillorali vel tumberelli quæ quandoque fit per pistores, braciatrices, & alios qui falsis ponderibus utuntur & mensuris, & quæ etiam fit per cibaria corrupta & semicocta vendentes. § 9. Item per falsarios sigillorum, dum tamen non Regis nec Domini sui de cujus fuerit familia. § 10. Sunt etiam quædam atroces injuriæ quæ prisonam voluntariam inducunt, sicut de inventoribus malorum rumorum, unde pax possit exterminari; de hiis qui recuperant in novis desseisinis contra ballivos tenentium, contra facta propria: de hiis qui ceperint victualia Regis & non solverint,

K cum

cum pecuniam proinde receperint. §. 11. Quædam vero prisonam trium annorum, sicut de abductoribus monialium, de ballivis dimittentibus irreplegiabiles & retinentibus replegiabiles, & de vic', coronator' felones cælantibus cum non habeant unde redimantur; & quædam similiter prisonam trium annorum cum exilio perpetuo, cum pleg' non habuerint malefactores; sicut de malefactoribus in parcis & vivariis. § 12. Quædam etiam prisonam duorum annorum, sicut de abductoribus puerorum maritandorum injustè; & de ballivis non sufficientibus ad redemptionem, in quorum defectu remanserit secta ad felones. §. 13. Quædam etiam prisonam unius anni sicut de deceptoribus cur' reg' & partis de falsis' Appellatoribus, & de falsis Abettatoribus, de falso deferentibus assisas novæ disseisinæ, & de ballivis libertatum, in quorum balliviis non fit secta pro pace Regis. §. 14. Quædam in prisona dimidii anni, sicut de præsentationes injustè impedientibus cum non sufficiant ad dampna reddenda; Et quædam in prisona quadraginta dierum, sicut de capientibus theolonia injustè, & de capientibus cariagia ad opus Regis plus quam necesse esset. §. 15. Et sunt quædam injuriæ quæ restitutionem in triplo inducunt dampnorum, sicut de hiis qui vastum fecerint in alieno, de vic' & receptoribus denar' Reg' solventes eis non acquietantibus, de virgatoribus injustum feodum capientibus, de captoribus cariagii superflui, & de procurantibus placita moveri. §. 16. Quædam verò in duplo sicut de redisseisitoribus, captoribus hospitiorum & victualium contra voluntatem Dominorum, & de retinentibus replegiabiles, & dimittentibus irreplegiabiles de hiis qui vetant averia replegiari, de ministris Regis disseisitoribus sub colore officiorum suorum, de vic' & aliis ministris Reg' mercedes capientibus pro officio suo faciendo, de retinentibus partem denar' Reg' in acquietatione victualium, de distringentibus pro contractibus forinsecis, de falsas exceptiones proponentibus in assisis novæ disseisinæ, & de recuperantibus in eadem contra facta propria. §. 17. Et quædam dampna simplicia, sicut in assisis & brevibus de possessione, & de dote, & de hæred' masculis contra assensum Domini se maritantibus, & de femellis nubilibus maritos competentes refutantibus, & in omni alio casu quo quis versus alium recuperaverit de personali injuria, §. 18. Et sunt quædam injuriæ ubi Rex habebit sectam ubi læsi prosequi noluerint, sicut contra eos qui hospitantur & capiunt victualia contra voluntates Dominorum, contra malefactores in parcis & vivariis, contra raptores mulierum, contra abductores sponsarum cum bonis virorum, & contra alios plures. §. 19. Item atrox injuria est quæ omnium mobilium amissionem confert, & legem liberam aufert, & quæ locum habet in usurariis Christianis, & de perjurio convictis, & in fugitivis suspectis, & de Justiciar' de perversis judiciis convictis. §. 20. Est etiam atrox injuria quæ abjectionem inducit à servitio Domini, & laudabilis status detrimentum, sicut de consiliariis & ministris Regis vel alterius convictis de perjurio, & de inhibita facientibus & de talibus dicitur: turpis est inopia, qua de gula nascitur, & aliæ infinitæ sunt injuriæ atroces. §. 21. Leves autem injuriæ plures sunt, ut si quis alium mala pugno percutiat, disseisiat, vel alienum jus justè vel injustè detineat, vel præceptum Reg' facere supersedeat,

ſedeat, & hujuſmodi quæ criminaliter non debent intentari, etiamſi partes ad hoc ex cordium timore vellent conſentire, ſi citius namque appelletur à petito, qud ipſum felonicè diſſeiſivit, vel mala pugno percuſſerit, vel hujuſmodi, quodque per corpus ſuum probare voluerit, citius namque paratus hoc defenſione reſiſtere corporali; Judex examinata cauſa ſtatim debet pronunciare appellum eſſe nullum, cauſamque fore civilem, etſi duellum perinde per imperitam permiſſionem fuerit inter eos vadiatum: Et iſtæ civiles injuriæ cum terminantur diverſas pœnas inducunt, pecuniarias & corporales cum, redemptionibus & miſericordiis gravibus & gravioribus pro pace reg' infracta. § 22. Patitur autem quis injuriam non ſolùm per ſeipſum, verùm per ipſos quos habet in poteſtate; vir verò agere poterit de injuria facta uxori ſuæ, ſed non è converſo; defendi enim uxores à viris, non viros ab uxoribus honeſtum eſt. § 23. Item injuriam patitur quis illos quos habet in familia ſua, ſicut per ſervientes, & ſervos in contumeliam ſuam fuerint verberati, vulnerati, vel impriſonati, quatenus ſuą interfuerit operibus eorum non caruiſſe. § 24. Pœna autem injuriarum quandoque erit corporalis, & quandoque pecuniaria; & ſi fuerit pecuniaria & certa, & in judicium deducta, ſecundum quantitatem tamen à Judice erit taxanda, cum omne intereſſe ſit incertum, & quandoque augmentatur, quandoque verò minuitur ſecundum qualitatem facti, & perſonæ cui injuriatur & loci. § 25. Placita autem civilia in rem & in perſonam coram Juſticiar' poterunt intentari, & in inferioribus cur' inchoari, & ex cauſa à cur' Baron' & com' uſque ad cur' Regis poterunt transferri & poni: Apud Glouc' tamen fuit proviſum quod vic' de cætero placitent placita de trangreſſione in ſuis comit', & tunc fuit inhibitum ne breve de tranſgreſſione cuiquam concederetur coram Juſticar' habere, niſi affidat quod bona aſportata valeant quadraginta ſolidos ad minus: Et ſi queratur de bateria, tunc affidat quod querimonia ejus ſit vera, non tamen ſe extendit inhibitio ad plagas vel mahemia: Et conceſſum fuit ibidem, quod in brevibus de tranſgreſſione liceat defendentibus facere attornatos, ſed non in appellis; ita tamen quod ſi convicti fuerint de tranſgreſſione, tunc præcipiatur vic' quod tales convicti capiantur, & eandem ſubeant pœnam, quam, ſi præſentes fuiſſent quando judicium fuit redditum, ſubirent. § 26. Item proviſum fuit ibidem, quod ſi querentes in placitis de tranſgreſſione faciant ſe eſſoniari poſtquam comparuerint, eo ipſo detur dies eis in adventu Juſticiar' ad omnia placita in com' illo, & defendentes interim ſint in pace. § 27. Item proviſum fuit quod in omnibus placitis in quibus jacent attachiamenta & diſtrictiones, ſi defendentes ſe eſſon' fecerint de ſervitio Reg', & ad diem ſibi datum per eſſoniatorem ſuum non habeant warrantum ſervitii Reg', eo ipſo reddantur querenti pro cuſtag' jornatæ viginti ſolidi de bonis & catallis defendentis, vel plus, ſecundum diſcretionem Juſtic', & nihilominus ſit defendens in miſericordia Regis, vel ſi pacem Reg' infregerit, tunc committatur gaolæ, & inde redimatur ſecundum meriti qualitatem: ſed quoniam per varietatem locorum variantur placitorum perſonalium proceſſus, ideo non ſolùm de hujuſmodi actionibus civilibus, verum etiam de differentiis Juſtic' & locorum intentemus.

De Differentiis Curiarum. CAP. 2.

HAbet enim Rex cur' suam in concilio suo, in Parliamentis suis, præsentibus prælatis, com', baron', proceribus, & aliis viris peritis, ubi terminatæ sunt dubitationes judiciorum, & novis injuriis emersis nova constituuntur remedia, & unicuique justitia, prout meruit, retribuetur ibidem. § 2 Habet etiam cur' suam coram Senescallo suo in aula sua, qui jam tenet locum capitalis Justic' Regis, de quo fit mentio in communi brevi de homine replegiando, qui proprias causas Regis terminare consuevit, & falsum judicium ad veritatem revocare, & conquerentibus absque brevi justitiam exhibere, cujus vices gerit in parte idem Sen' hospitii Reg', cujus interest de omnibus actionibus contra pacem Regis infra metas hospitii continentes duodecim leucas in circuitu Regis ubicunque fuerit in Angl', quod quidem spacium dicitur virgata regia idm' quod potestas Marescalli virgam portantis recent' illatis etiam sine brevi, non obstante privilegio vel libertate alicujus legem regni expectantis: Auditis querimoniis injuriarum in aula regia audire & terminare, assumptis sibi Camer', hostiar', vel marescallo aulæ militibus, vel aliquo illorum, si omnes interesse non possint. § 3. Habet etiam curiam suam in Cancellaria sua & in diversis locis hospitii sui. § 4. Habet etiam curiam suam coram Auditoribus specialiter à latere Reg' destinatis, quorum officium non extenditur nisi ad Justiciar' & ministros Regis, & quibus non conceditur potestas audita terminare, sed Regi deferre, ut per ipsum adhibeantur pœnæ secundum meritorum qualitates. § 5. Habet etiam curiam suam, & Justiciar' suos tam milites, quàm clericos locum suum tenentes in Anglia, coram quibus & non alibi, nisi coram semetipso & concilio suo vel Auditoribus specialibus, falsa judicia & errores Justic' revertuntur & corriguntur: Ibidem etiam terminantur brevia de appellis & alia brevia super actionibus criminalibus & injuriarum contra pacem Regis illatarum impetrata, & omnia in quibus continetur ubicunque tunc fuerimus in Anglia. § 6. Habet etiam curiam suam & Justitiarios suos residentes apud Scaccarium. § 7. Item in banco apud Westm' consimiliter. § 8. Item ad gaolas deliberand' in singulis com' Assignatos. § 9. Item ad assisas, juratas, inquisitiones, certificationes, & attinctas in singulis com' deputatos; & sive hujusmodi recognitiones in com' terminatæ fuerint, sive non, prohibitum non est tamen quin inquisitiones & certificationes extra com' trahi possunt. § 10. Item justic' itinerantes ad primas assisas, ad omnia placita criminalia & civilia audienda & terminanda constitutos. § 11. Item Justic' itinerantes ad placita de forestis terminand'. § 12. Item habet curiam suam in provinciis in quolibet com', & in turnis vic', & in hundredis, & in maneriis suis tanquam Baro vel alius liber homo. § 13. Et etiam in civitatibus & Burgis, ut in Husting', London', Lincoln', Wynton', & Ebor', & alibi in libertatibus, in quibus locis Barones, Cives & Sectatores recordum habent quodammodo in hiis quæ coram eis fuerint ibidem terminata, licet non secundum legem communem, sed secundum suas consuetudines diu obtentas.

De

De placitis Aulæ Regis. CAP. 3.

SEnescallus autem ex officio sibi commisso potestatem habet omnes injurias omnesque actiones criminales & personales per inventionem pleg' de prosequendo, conquerentibus plenam justitiam exhibere nullo essonio allocato; inbreviatis autem pleg' notis pro sufficientibus per clericum Regis tenentem rotulum placitorum aulæ pro Rege, percipiatur Marescallo forinseco, quod ipsum de quo fit quæstio & clamor sine dilatione faciat attachiari; dum tamen infra metas hospitii prædictas ipsum contigerit inveniri, alioquin non erat per Mar' attachiabilis. § 2. Si autem de aliquo familiari Reg' fiat querimonia, primò summoniatur, qui si ad diem sibi præfixum non venerit, tunc considerand' erit quod attachietur, quod sit ad alium diem; qui si tunc non venerit, considerabitur quod corpus ejus capiatur, si infra virgatam summonitionem receperit personaliter, & coram Senescallo ducatur, cujus pleg' sit Mar', videlicet sub tali loco partito secundum legem & consuetudinem hospitii; quod nisi de corpore respondeat, de petitione satisfacere tenebitur, supposito quòd de corpore fuerit seisitus. § 3. Et quod dictum est de serviente Reg', dici poterit de comitibus, in tant' quandam paritatem consequuntur. § 4. Debet autem Senescallus nomine capitalis Justic', cujus vices gerit, mandare vic' loci, ubi Dominus Rex fuerit declinaturus, quod venire fac' ad certum diem, ubicunque tunc Rex fuerit in ballivia sua, omnes assisas com' sui, & omnes prisones cum suis attachiamentis, & omnibus adminiculis per tale breve: A. de B. Senescallus hospitii Domini Regis vic' tali salutem: Mandamus quod venire fac' coram nobis tali die, ubicunque Dominus Rex tunc fuerit in ballivia tua, omnes assisas novæ disseisinæ, mord', ultimæ præsentation', magnas assisas, & omnes juratas, inquisitiones & attinctas, placita de dote unde mulieres nihil habent, & quæ summon' sunt coram Justic' Reg' ad primas assisas cum in partes illas venerint, necnon & omnes assisas illas, & placita illa, juratas & inquisitiones, & attinctas illas quæ coram Justiciar' Reg' ad assisas capiend' in ballivia vestra assignat' fuerint attannate & non finitæ, & partibus diem illum præfigatis quod tunc sint ibi assisas illas, & placita illa, juratas & inquisitiones, & attinctas illas in eodem statu quo remanserint coram præfat' Justic' prosecuturi si voluerint: Venire etiam fac' coram nobis dictis die & loco omnes prisones & manucaptos de ballivia vestra, & omnia attachiamenta quæ pertinent ad gaolam deliberand', fac' & proclamari & sciri per totam balliviam vestram, quod omnes liberi, & quatuor homines; & præpositus de villatis, quarum interfuerit, quod tunc sint ad deliberationem prædictam; & habeatis ibi recognitor' nomina, pleg', summonitor', & hoc breve. § 5. Quod quidem mandatum frequenter retro trahitur per ejusdem Senescalli mandatum, eò quod Rex forte novis emersis propositum suum mutaverit. § 6. Si autem Rex ad alia vota non convolaverit, sed partes illas prout proposuerit, accesserit; inprimis ducantur prisones cum attachiamentis suis coram Senescallo, appelláque audiat, duella jungat, & omnia placita criminalia audiat, & terminet etiam quantum commodè possit. § 7. Postea verò

de

de injuriis illatis in virgata contra pacem, & postea de assisis & juratis, & tunc demum de obligationibus & contractibus, in quibus debitores ad districtionem Senescalli, & Mar' Regis sponte se obligaverint. § 8. Placita autem quæ ibidem terminari non poterint, de com' in com' & die in diem poterit adjornare, vel in banco, vel ad primas assisas, vel alibi, secundum quod fuerit faciend' donec fuerint omnia ritè terminata. § 9. Et hæc omnia ex officio suo licitè poterit facere non obstante alicujus libertate, etiam in alieno regno, dum tamen reus in hospitio Regis poterit inveniri; secundum quod contingit Paris, anno regni Regis Edwardi decimo quarto, de Ingelramo de Nogent capto in hospitio regis Angliæ, ipso rege tunc apud Paris existente, cum discis argenti furatis recent' super facto, rege Franciæ tunc præsente; Et unde licet cur' reg' Franciæ de prædicto latrone per Castellan' Paris petita fuerit, habitis hinc & inde tractatibus in concilio Regis Franciæ, tandem consideratum fuit quod rex Angliæ illa regia prærogativa, & hospitii sui privilegio uteretur & gauderet, qui coram Roberto filio Johannis milite tunc hospitii regis Angliæ Senescallo de latrocinio convictus, per considerationem ejus cur' fuit suspensus in patibulo sancti Germani de pratis. § 10. Item ad idem inveniri poterit in rotulis Petri de Channvent Senescall' anno regni Regis Ed. decimo septimo in Vascon', ubi dicitur quod Edmundus de Murdak appellavit Willielmum de Lesnes de robberia & pace Regis infractæ eidem E. perpetrato anno regni Regis Ed. duodecimo: Et quia dixerat quod feloniam illam in intentione sua ei fecerat infra metas hospitii Regis, infra quas ipsum invenit, licet in alieno regno, non potuit appellum illud per exceptionem alterius regni declinare. § 11. Habet etiam ex virtute officii sui potestatem procedendi ad utlagationes, & duella jungendi, & omnia & singula faciendi quæ ad Justic' itinerantes, prout supradictum est, pertinent faciend'; hoc tamen excepto, quod de libero tenemento se intromittere non debet sine brevi. § 12. Et notand' quod in obligatione omni in qua fit mentio de districtione Senescall' & Mar' hospitii reg' vel eorum alterius tantum, auditura sunt partes, & loquela terminatura sine brevi ubicunque se contraxerint infra virgatam vel extra coram Senescallo, nisi loquela liberum tangat ten' ejus vel pertinen'; nec obstabit petenti exceptio de contractu facto extra virgatam, ut inter placita Petri de Channent Sen' Aulæ reg' anno reg' Ed. decimo octavo inter Henricum de Wotton petentem & Ran' Foleschank obligat' præfat' Henr' in necessariis pro victu & vestitu & hujusmodi, ad valentiam viginti librarum per annum suo perpetuo inveniendis pro quadam terra in Dictone & quadam ballivia in Sahm', & unde idem R. obligavit se in London districtioni Sen' & Mar' regis anno decimo quinto, rege tunc existente in Vascon', cui exceptione de non infra virgatam non allocatâ, petiit judicium si de libero ten' vel ejus pertinen' debuit sine brevi Regis respondere, cum idem H. petierat certum redditum ad terminum vitæ suæ; & quia voluit sic obligari, nec volenti & scienti fit injuria; consideratum fuit quod plures Justic' qui aderant ex quo necessaria illa proveniebant tanquam de camera, & non de loco certo de quo potuit visus fieri quod exceptio prædicta locum non haberet,

beret, & quod aliud diceret & responderet, vel pro indefenso & convicto haberetur. § 13. Et sciend' quod si quis de debito aliquo coram Sen' convincatur, committendus est custodiæ Mar', donec parti querenti de re adjudicata, & Regi de amerciamento vel fine satisfacerit; replegiari tamen poterit ex potestate Mar' per quadraginta dies,& non ulterius,sine juris injuria.

De officio Marescalli Forinseci. C A P. 4.

MAreſcalcia autem est quædam magna Serjantia Regis com' Norfol' in feodo commissa, cui cum personaliter servitium pro Serjantia illa Regi debitum facere non possit, liceat loco suo quendam militem constituere, assensu tamen Regio interveniente, qui vice dicti comitis faciet quæ fuerint faciend':- Et qui si deliquerit,ut pro evasione incarceratorum vel hujusmodi, non erit proinde Dominus suus amerciandus ut comes, sed tantùm ut serviens. § 2. Ipsi autem servienti commissa est virga coram Rege deferenda, quæ signat pacem, & unde dicitur virgata quæ sequitur Regem ubicunque fuerit in Anglia, spacium continet duodecim leucarum. § 3. In omni autem guerra Regis erit ejus officium esse in prima acie, & loca deliberare toti exercitui & universis in quibus erunt moraturi; Insidias autem nocturnas non tenetur facere, sed singulis noctibus in crepusculo insidias assedebit, & in aurora eas levabit, & exercitu vigilato cum foratoribus vexillo explicato singulis diebus exibit in protectionem. § 4. Ejus autem executiones sunt facere indic' Sen' Regis infra virgatam, & custodias captorum obtinere, & de omni præda bestiarum totum habere veragium, videlicet omnes bestias maculatas, vel diversi coloris existentes, etiam pro minima stella, & de qualibet libra solidariorum Regis duos denarios.

De officio Marescalli tempore Pacis. C A P. 5.

TEmpore autem pacis est ejus officium hospitia liberare camerario regis pro rege & camerario & intrinsecis suis. § 2. Item Mar' intrinseco non militi hospitia Sen' garderobar', & alii qui sunt proprii domestici regis in generali; in speciali cancellar' & singulis hospitia petentibus cur' regis pro quocunque negotio sequentibus, dum tamen infra virgatam poterit invenire. § 3. Assignatur quoque per eundem com' unus clericus & unus serviens qui dicto militi sint intendentes; clericus pro attachiamentis faciend' & imbreviand', & serviens pro attachiatos custodiend'. § 4. Eorum autem interest virgatam à meretricibus communibus protegere & deliberare, & habet ex consuetudine Mar' de qualibet meretrice communi infra metas hospitii inventa quatuor denarios primo die; quæ si iterum inveniantur in ballivia sua capiantur, & coram Sen' inhibeantur eis hospitia regis & reginæ & liberorum suorum, ne iterum ingrediantur, & nomina earum imbrevientur; quæ si iterum fuerint inventæ hospitii secutrices, tunc aut remaneant in prisona, in vinculis, aut sponte prædicta hospitia abjurent; quæ autem si tertiò inventæ fuerint, considerabitur quod amputentur eis tressoria, & quod tondentur; quæ quidem si quartò inveniantur, tunc amputen-

tur

tur eis super labia, nè de cætero concupiscantur ad libidinem; & illud idem facere tenetur, qui vices ipsius gesserit coram quibuscunque Justic'. § 5. Debet etiam Mar' sub suo periculo, omnes captos infra virgatam custodire, & de eis coram Sen' respondere, & de judicatis plenam facere executionem; & quoties contigerit aliquem captum evadere, non solùm capiend' est officium in manu Regis, sed teneantur miles, clericus, & serviens, & prisonarii inferiores, donec de consensu evasionis prædictæ, quòd non sint culpabiles, legitimè se acquietaverint; qui quidem si de consensu culpabiles esse inveniantur, capitale judicium subeant cum exhæredatione perpetua, & bonorum suorum amissione. § 6. Miles autem, clericus & serviens in aula Reg' singulis diebus comedent; militi verò quotidiè liberetur à celar' Regis barillatum vini, continens ad minus unum jalonem. Item unus torticius cum sex minutis cand' ceræ, & de quolibet imprisonato liberato quatuor denarii. § 7. De homagia Domino Regi facientibus, & de militibus cum effecti fuerint à Rege limitatur feodum per hoc statutum. § 8. Provisum est, quod Mar' de quolibet Com' & Bar' Baroniam integram tenente vel defendente ad homagium suum, vel ad malitiam suam suum habeat palefr', vel precium antiquum, quem si ad homagium habuerit, ad malitiam nihil capiet, & è converso; Ita quod de uno sit contentus, liceat tamen Mar' utrumque seisire, donec captio & detentio pro justa vel injusta convincatur. § 9. De Abbatibus vero & prioribus integram Baroniam tenentibus, cum fidelitates fecerint Regi, de Baroniis suis capiat Mar', sicut de secularibus dictum est; & hoc idem de Archiepiscopis & Episcopis observandum est, dum tamen Baron' vel partes Baroniarum tenuerint: De partes autem Baroniarum tenentibus, sive religiosi fuerint, sive sæculares, capiant secundum portionem quam tenuerint; de religiosis autem tenentibus in liberam eleemosynam nihil exigat Mareschallus.

De Privilegiis Camerarii. CAP. 6.

CAmerarius autem & subminister Camerar' à jurisdictione Sen' & Mar' exempti sunt, veluti omnes garderobar' ut in quibusdam; non enim extendit se jurisdictio Sen' ad modica delicta Camerariorum, vel garderobariorum audienda vel terminanda, eo quod ex consuetudine hospitii sunt exempti, dum tamen illi de quibus exigi contigerit cur' coram Sen' Cameris Regis & Reginæ, & garderobæ assiduè sunt intendentes; sed coram ipsis Thesaurar' & Camerar' audiantur querimoniæ de hujusmodi ministris & subditis suis, & terminabuntur, præsente tamen clerico Reg' ad placita aulæ deputata; ita quod de finibus & amerciament' ex hujusmodi placitis provenientibus nihil Regi depereat. § 2. Debet enim Camerarius decenter disponere pro lecto Regis, & ut Cameræ tapetis & banqueriis ornentur, & quòd ignes sufficienter fiant in caminis, & providere nè ullus defectus inveniatur quatenus officium suum contigerit.

De

De Feodo Camerarii. CAP. 7.

FEoda autem Camerarii ſunt hæc, parata ſibi debent eſſe quæcunque pro corpore ſuo fuerint neceſſaria; videlicet, cibus, potus, buſca, & candela; & de cæteris feodis ſic ſtatuitur. § 2. Camerarii Domini Regis habeant de cætero ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, & aliis perſonis Eccleſiaſticis, Comitibus, Baronibus, & aliis integram Baroniam tenentibus rationabilem finem, cum pro Baroniis ſuis homagium fecerint aut fidelitatem; & ſi partem teneant Baroniæ, tunc rationabilem finem capiant ſecundum portionem ipſos contingentem. § 3. Alii vero Abbates & Priores religioſi & ſeculares, non tenentes per Baroniam vel per partem Baroniæ, non diſtringantur ad finem faciend', ſecundum quod de tenentibus per Baroniam, vel per partem Baroniæ, ut prædictum eſt: ſed de ſuperiori indumento ſit contentus tantùm Camerarius, vel de precio indumenti, quod plus dictum eſt pro religioſis quàm pro ſæcularibus, quia honeſtius eſt quod religioſi faciant fines quam exuantur. Permiſſum eſt etiam quod Camerar' ex antiqua conſuetudine habeat omnia vetera banqueria & tapetos, curtinas & lecta Reg', nec non & omnia ornamenta Cameræ uſitata & derelicta, & de omnibus exeniis Regi factis cameram ingredientibus, dum tamen de victualibus aliquam portionem.

De officio Clerici Mercat'. CAP. 8.

COmmittitur autem alicui Clerico vel laico cura & cuſtodia menſurarum Reg', quæ pro ſtandardis & exemplaribus menſurarum regni habentur; ulnarum videlicet, lagenarum, ponderum, buſſellorum, & hujuſmodi. Ipſe enim in notitia aſſiſarum panis, vini, menſurarum, & cerviſiæ debet experiri, ut inde notitiam habeat pleniorem.

De Aſſiza panis & cerviſiæ. CAP. 9.

QUando quarterium frumenti venditur pro duodecim denariis, tunc ponderabit panis quadrantalis de waſtello vi l. xvi s. panis de coket de eodem blado & eodem bultello ponderabit plus quam waſtellum de ij s. & panis minoris valoris, & de alio bultello ponderabit plus quam waſtellum de v s. panis verò de ſymenel minus waſtello de ij s. quia bis coctus erit; panis vero integ' quadrantal' frumenti ponderabit unum coket & dimidium, & panis de Treyt duos waſtellos ponder', & panis de omni blado ponder' ii. coket. § 2. Item quando quarterium frumenti venditur pro octodecim denariis, tunc panis albus quadrant' de waſtello bene coctus ponderabit iv l. x s. viii d. § 3. Quando verò venditur pro ij s. tunc erit pondus lxviii s. § 4. Quando pro ij s. vi d. tunc erit pondus liv s. iv d. ob. q. § 5. Quando pro iij s. tunc ponderabit xlviii s. § 6. Quando pro iij s. vi d. tunc ponderabit xlii s. § 7. Quando pro iv s. tunc ponderabit xxxvi s. § 8. Quando pro iv s. vi d. tunc ponderabit xxx s. § 9. Quando pro v s. tunc ponderabit xxvii s. ij d. ob. § 10. Quando pro v s. vi d. tunc ponderabit xxiv s. viii d. q. § 11. Quando pro vi s. tunc ponderabit xxi s. viii d. q.

§ 12. Quando pro vi s. vi d. tunc ponderabit xx s. xi d. § 13. Quando pro vii s. tunc ponderabit xix s. v d. § 14. Quando pro vii s. vi d. tunc ponderabit xviii s. i d. ob. § 15. Quando pro viii s. tunc ponderabit xvii s. § 16. Quando pro viii s. vi d. tunc ponderabit xvi s. § 17. Quando pro ix s. tunc ponderabit xv s. q. § 18. Quando pro ix s. vi d. tunc ponderabit xiv s. iv d. ob. q. § 18. Quando pro x s. tunc ponderabit xiii s. vii d. q. § 20. Quando pro x s. vi d. tunc ponderabit xii s. ii d. § 21. Quando pro xi s. tunc ponderabit xii s. iv d. § 22. Quando pro xi s. vi d. tunc ponderabit xi s. x d. § 23. Quando pro xii s. tunc ponderabit xi s. iv d. Item sciri poterit quantum pistor lucrari poterit, in quolibet quarterio frumenti, & de assisa cervisiæ.

De lucro Pistoris. CAP. 10.

PIstor autem poterit lucrari in quolibet quarterio frumenti tres denarios, & fursur, & duos panes de precio duorum quadrantium ad furnagium, & tres ob' ad vadia trium servientium suorum,& unum ob' pro vadia duorũ garcionum,& unum ob' pro sale emendo,& unum ob' pro gesto vel levano, unum quadrant' pro candela, tres denarios ad buscam, & unum ob' pro locatione bulcelli; & sciend' quòd assisis panis pro sex denariis crescentibus, vel decrescentibus in quarter' mutatur. Et si Pistor convincatur ut de falso pondere, ut pro defectu ponderis unius quadrant' in duobus solidis & sex denariis, invento in pane quadrantali, amerciandus erit, & in omni excessu subeund' est pillorium sive collistigium.

De Assisa Cervisiæ. CAP. 11.

QUando quarterium frumenti valeat tres solidos,vel quadraginta denarios, & hord' viginti denar', vel duos solidos, & aven' sexdecim denarios, tunc vendi debent in civitatibus duæ lagenæ cervisiæ pro uno denario, & extra tres lagenas ad denar': Quando vero in burgo venduntur tres jalones pro uno denario, tunc debent quatuor jalon' in villis campestr' vendi pro uno denario. Item quando quarterium hord' vend' pro duobus solidis, tunc vendantur quatuor jalon' ad unum denarium:Quando autem pro duobus solidis & sex denar',tunc septem jalon',pro duobus denar' vendi. Quando verò pro tribus solidis,tunc tres jalon' pro denar'. Quando pro tribus solidis & sex denariis,tunc quinque jalon' pro duobus denar'. Quando pro quatuor solidis, tunc duæ jalon' pro uno denar',& sic deinceps: & sic poterit forum augeri & minui secundum forum bladi.

De Pondere & Mensura. CAP. 12.

ITem scire debet naturam & originem ponderum & mensurarum, ut veraciter & perfectè sciat,quantum blad' teneat lagena, & quantum bussell'; sed quoniam hoc scire non poterint nisi per artem ponderum, ideo de ponderibus est vidend', & sciend' quod per discretionem discretiorum totius regni Angliæ fuit mensura Domini Reg' composita, videlicet per denar' Angliæ qui sterling' appellatur, & fit rotundus,qui debet ponderare triginta duo

duo grana frumenti mediocria, & unde viginti denarii fac' unciam, & duodecim unciæ faciunt libram viginti ſolid' in pondere & numero, & pondus octo librarum frumenti fac' menſuram jalonis, & octo jalonatæ frumenti faciunt buſs' de quibus octo conſiſtit commune quarterium. Item denar' ſterling', ſicut dictum eſt, ponder' triginti duo grana frumenti, & pondus viginti denar' fac' unciam, & quindecim unciæ faciunt libram mercatoriam, & tales duodecim libræ & dimid' faciunt petram, & viginti octo petræ faciunt unum ſaccum lanæ, & tantum ſolebat ponderare unum quarterium frumenti; tantum etiam ponderat ſexta pars unius charri plumbi, & ſexies viginti petræ faciunt magnum charrum plumbi, charrus tamen de pecco minor eſt. Item charrus plumbi conſiſtit ex triginta fotinellis, & quodlibet fotinellum continet ſex petras minus duabus libris, & quælibet petra ponderat duodecim libras in pondere plumbi, & quælibet libra ex pondere viginti quinque ſolid', ſic ergo fit rectum fotinellum ex ſeptuaginta libris, & magnus charrus ex octies viginti & quindecim petris, quæ probari poterint per ſexies triginta, quæ ſunt novies viginti. Sed in quolibet fotinello ſubtrahuntur duæ libræ à prædicta multiplicatione, quæ ſunt ſeptuaginta libræ conſtituentes quinque petras, & ita fit charrus de octies viginti & viginti quinque petris. § 2. Item ſecundùm alios charrus conſiſtit ex duodecim wayis, & hoc ſecundùm tronæ ponderationem, & tunc erit ſumma petrarum in claro octies viginti & duodecim, & poterit waya tunc probari per duodecies quatuordecim. Et duæ wayæ lanæ faciunt unum ſaccum, & duodecim ſacca faciunt unum leſtum, leſtus autem allec' conſiſtit ex decim miliar', & quodlibet miliare conſiſtit ex decies centum, & quodlibet centum ex ſexies viginti. § 3. Item laſtus coriorum conſiſtit ex decim dakris, & quodlibet dakr' ex decim coriis; dacrum vero chirothecar' ex decim par', dacrum vero ferrorum equorum ex viginti ferr'. § 4. Item centena Ceræ, Zucarii, Piperis, Cumini, Amigdolarum, & Aloignæ, continet tredecim petr' & dimid', & quælibet petra continet octo libr'. Summa ergo librarum in centena quinquies viginti & octo, & conſiſtit centena ex quinquies viginti, & quælibet libra ex pondere viginti quinque ſolid': Libra verò auri, argenti, electuariorum, & hujuſmodi Apothecar' confectorum conſiſtit ſolummodo ex pondere viginti ſolid' ſterlingorum; Centena verò Canabi, telæ, & hujuſmodi conſiſtit ex ſexies viginti ulnis. § 5: Centena verò ferri ex quinquies viginti petris: garba vero acer' fit ex triginti peciis. § 6. Item ſumma nitri conſtat ex viginti petris, & quælibet petra ex quinque libr', & ſic continentur in ſumma quæ dicitur Leſeem ſexies viginti libr'. § 7. Item lunda anguillarum conſtat ex decim ſtikis, & quælibet ſtika ex viginti quinque anguillis. § 8. Lunda autem pellium continet triginta duo timbria, & ſenellio cuniculorum & de griſis continet quadraginta pelles; Pecia autem fuſtiani conſiſtit ex tredecim ulnis. § 9. Pecia ſindon' de curſu ex quatuordecim ulnis. § 10. Aſſiſa autem pannorum continetur in magna charta, videlicet viginti quatuor ulnas in longitudine, & duas in latitudine debet quilibet pannus venalis continere, niſi factus fuerit in Anglia. § 11. Dolium vini quinquaginta duo ſexter' vini puri debet continere, & quod-

L 2 libet

libet fexterium quatuor jalones. Pecia de Eylesham ex viginti quatuor ulnis in longitudine, & tribus quarter' in latitudine debet esse mensura. § 12. Rasus autem alleorum continet viginti flones, & quælibet flonis viginti quinque capita. Centena autem mulnellorum & durorum piscium consistit ex octies viginti piscibus. § 13. Cognitis igitur præmissis, accedere debet ad omnes villatas, & ad omnia mercata infra virgatam existentia, & convenire coram eis ballivos loci vel superiores, qui super agendis suis, quantum ad officium suum pertinentibus, intendentes sint & respondentes, non obstante alicujus libertate, sicut supradictum est: Et prædicti ballivi statim venire fac' coram eis sex homines ad minus de legalioribus totius villæ, quibus, præstitis Sacramentis, injungat idem coronator, quod fideliter colligant omnes mensuras & omnia pondera villæ ejusdem, viz. bussellos, dimid', & quartas. § 14. Item omnes jalones, potellos, & quartas, & omnes alias mensuras tam tabernarum quam aliorum locorum. § 15. Item ulnas, tronas, stateras, & pondera cujuslibet generis, tam pro pane quàm pro aliis rebus venalibus provisa & habita. § 16. Item de omnibus & singulis panem venalem in ballivia illa habentibus & facientibus, venire fac' de quolibet genere panis unum panem mediocrem vel minimum in quibus mensuris, ponderibus & panibus nomina eorum quorum fuerunt inbrevientur. § 17. Postea jurare fac' duodecim legales homines; tam servos quam liberos, si necesse fuerit, & tam extrinsecos de visneto quam intrinsecos, prout sibi viderit expedire, quod fideliter ad requirend' ex parte Domini Regis respondebunt, nec pro amore vel odio omittent, sic eos Deus adjuvet & sacra Evangelia, & tunc liberentur Juratoribus hæc capitula, ad quæ distinctè, & apertè, & seriatim respondere injungantur, & suas similiter responsiones in scriptis liberent coronator' memorato, & interim venire fac' ballivus loci coram eo omnes pistores, braciatores, & tabernarios, & omnes illos quorum prædictæ mensuræ fuerint & pondera. § 18. Imprimis respondeant, Juratores super sacramentum suum de prec' quarterii cujuslibet generis bladis in visneto illo. § 19. Item si dominus loci habeat libertatem visf' franc' pleg', tunc dicant si habeat judicialia, ut furcas, pilloralium & tomborale, per quæ executiones judiciorum ritè fieri poterint, prout postulaverit ordo juris secundùm legem & consuetudinem regni; qui si non habeat, capienda erit libertas eo ipso in man' Domini Reg', eò quod præsumi potest quod Dominus libertatis justum judicium assisam frangentibus non fecerit. § 20. Item dicant quibus casibus, quoties, & pro quanto delicto ceperit Dominus loci fines, & amerciamenta in hujusmodi assisis infract' & non observatis per seipsum vel per ballivum suum quemcunque, & à quibuscunque, & quantum. § 21. Si autem in lege assisarum fractarum deliquerit, ita quod de hiis qui amerciandi fuerint judicialia subire fecerit cum infamia gravi, vel cum passuri essent tantùm fines ceperit, vel hujusmodi, eo ipso capienda erit libertas in manum Reg'. § 22. Si autem Dominus vel ballivi nullatenus deliquerint in præmissis, tunc capiendus erit finis de tota villata, vel ex delinquentibus tantùm, ex quo in Domino vel in ballivis suis non invenitur defectus. § 23. Contingit tamen quod hujusmodi

Domini

Domini amercientur, tum quia artem assisæ ignorant, per quod præsumend' est quod in lege ignorata ritè judicare nequibunt, tum quia convicti sunt de finibus captis pro judicialibus remittend' delinquentibus, tum quia judiciali a libertates periculosa· sunt pro vita vel membris hominum vel mulierum subeuntium. § 24. Item inquirend' est & de venditoribus vini post ultimum iter Reg' vel Justiciar' ad primas assisas in partibus illis pro quanto vendiderint sextarium, & quot dolia & si aliquod vinum vendiderint corruptum, & quantum. § 25. Item de hiis omnibus qui per unam mensuram vendiderint, vel per unum pondus & per aliud emerint. § 26. Item de hiis qui falsis ponderibus & ulnis usi fuerint in eadem libertate. § 27. Item de carnificibus, & coquis carnes vendentibus suscematas, vel de morina, vel semicocta, vel non virtuosâ cibaria calefacientes, & insana pro sanis, ad vitarum hominum periculum. § 28. Item de forstallariis, victualibus venalibus, mercatum obviantibus, per quos carior fit inde venditio. § 29. Item si Dominus libertatis post ultimum iter Justiciar' in partibus illis furcas, pillorium, tomborale, vel castigatorium de novo levari fecerit; quod si fecerit, nisi sufficiens habuerit responsum vel warrantum, capienda erit libertas in manum Regis, & præcipiatur quod Mar' illa judicialia prosterni faciat & consumi. § 30. Et cum Juratores responderint, & articulos suos restituerint, inquiratur ab indictatis, qualiter se velint acquietare, quod assisam panis vini & cervisiæ, panni, telæ, & hujusmodi venalium, constantium ex numero, pondere, & mensura non fregerint vel violaverint: Et si pistor convictus fuerit vel braciatrix, tunc inquiratur â juratoribus si nunquam prius deliquerit; & si dicant quod non, tunc mitius erit agendum, & modicè sit amerciatus; si autem pluries, tunc pro trino delicto trinum erit amerciamentum, pro quarto vero, quinto vel sexto, & sic deinceps puniendi sunt corporali passione cum infamia, salvis tamen vita & membris illæsis, & sic puniendus erit unusquisque transgressor, prout poposcerit quantitas sui delicti. § 31. Hiis autem omnibus expeditis examinentur pondera & mensuræ, & quæ falsa inveniri contigerit comburantur, & amercientur illi quorum fuerint, de quorum amerciamentis finem capiat communem vel particulatim, & captâ inde securitate extractas liberet clerico placitorum aulæ pro rege, qui de hujusmodi omnibus extractis cum exitibus placitorum aulæ onerabitur, & in garderoba Reg' inde respondebit: Sed priusquam recesserit Coronator exequi fac' judicia contra illos qui judicialia subire judicantur; libertates autem in manus Regis captas restituere non potest, cum recesserit, licitum est ei duos solidos pro custagiis suis postulare.

De Cancellaria. CAP. 13.

EST inter cætera quoddam officium quod dicitur Cancellaria, quod viro provido & discreto, ut Episcopo vel clerico magnæ dignitatis debet committi, simul cum cura majoris sigilli regni, cujus substituti sunt cancellarii omnes in Anglia, Hibernia, Wallia, & Scotia, omnesque sigilla reg' custodientes ubique præter custodem sigilli privati, cui associentur clerici honesti

honesti & circumspecti, Domino Regi jurati, qui in legibus & consuetudinibus Anglicanis notitiam habeant pleniorem; quorum officium sit supplicationes & querelas conquerentium audire & examinare, & eis super qualitatibus injuriarum ostensarum debitum remedium exhibere per brevia Reg'. § 2. Dicuntur enim brevia, cum sint formata ad similitudinem regulæ juris, quæ breviter & paucis verbis intentionem proferentis exponunt & explanant, sicut regula juris rem quæ est breviter enarrat; non tamen ita debet esse breve, quin rationem & vim intentionis contineat: Et sunt quædam brevia formata sub suis casibus, & quædam de cursu quæ concilio totius regni sunt approbata, quæ quidem mutari non poterint absque eorundem contraria voluntate. § 3. Sunt etiam brevia ex eis sequentia, quæ dicuntur judicialia, & sæpius variantur secundum varietatem placitorum proponentis & respondentis, petentis & excipientis, & secundum varietatem responsionum. § 4. Sunt etiam quædam quæ dicuntur magistralia, & sæpius variantur secundum diversitatem casuum, factorum & querelarum, & quorum quædam sunt personalia, & quædam realia, quædam mixta; secundum quod sunt actiones diversæ vel variæ, quia tot erunt formulæ brevium quot sunt genera actionum, quia non potest quis sine brevi agere; præcipuè de libero tenemento suo, quia non tenetur quis sine brevi respondere nisi gratis voluerit, & cum hoc fecerit quis, ex hoc ei non injurabitur, volenti enim & scienti non fit injuria. § 5. De eadem autem re plures alicui competere poterunt actiones, ordine autem (ut convenit) observatâ. § 6. Breve quidem Reg' in se nullam debet continere falsitatem, nec aliquem error' apparere debet vel in prima sui figura non vitiosum; maximè si fuerit patens sive apertum, quia originalia quædam sunt clausa & quædam aperta; & sive aperta sive clausa, apparere debent non abrasa nec abolita: Et si inveniatur abrasio, tunc refert quo loco, à quo, & quando: quo loco, viz. utrum in narratione facti vel juris; si autem in narratione facti, cadet coram Justiciar', quia suspectum, facta enim & nomina mutari non debent, sed jura ubique scribi possunt: à quo, utrum videlicet per clericum Cancellar', cui authoritas data fuerit, vel ausu temerario per aliū, sicut per clericum justic' vel vic' ad procurationem alicujus partis, quo casu omnes agentes & consentientes tanquam falsarii puniantur. § 7. Item quando, videlicet utrum hoc fiat antequam breve in cur' resuscitatum & publicatum, vel post; si autem post, erit breve suspectum, & cadet, si à tenente fuerit hoc calumpniatum. § 8. Fiunt autem brevia judicialia in Cancellaria ex recognitionibus & contractibus habitis, & in rotulis Cancellariæ irrotulatis, & ex Recordo Cancellario & clericis sibi associatis per hanc constitutionem conces'. § 9. Quia de hiis quæ recordata sunt coram cancellar' Domini Regis & ejus justic' qui recordum habent, & in rotulis eorum irrotulantur, non debet fieri processus placiti per summonitionem vel attachiamenta, essonia, visus ter' & alias solempnitates cur' sicut fieri consuevit ex contractibus & conventionibus factis extra cur': Observand' est de cætero, quod ea quæ inveniuntur irrotulata coram hiis qui recordum habent, vel in finibus contenta, cum sint contractus sive conventiones, vel obligationes, sive

sive servitia & consuetudines recognitæ, sive alia quæcunque irrotulata, quibus cur' Reg' sine juris & constitutionis offensa auctoritatè præstare potest, talem de cætero habeat vigorem, quod non sit necesse de hiis placitare in posterum: Sed cum venerit querens ad cur' Domini Regis, si recens sit cognitio vel finis, videlicet infra annum per breve levatus, statim habeat breve de executione illius recognitionis factæ; & si forte à majori tempore transacto facta fuerit illa recognitio vel finis levatus, præcipiatur vic' quod scire fac' parti de qua fit querimonia, quod sit ad certum diem ostensur' si quid sciat dicere quare hujusmodi irrotulata, vel in fine contenta, executionem habere non debeant. §.10. Et si ad diem venerit, & nihil sciat dicere quare executio fieri non debeat; præcipiatur vic' quod rem irrotulatam, vel in fine contentam exequi faciat: Eodem modo mandetur ordinario in suo casu, observato nihilominus quod inferius dicetur in Statuto de remedio qui per recognitionem aut judicium est obligatus. §. 11. Ex hac quidem constitutione oriuntur brevia judicialia in cancellaria, sicut coram ipsis Justiciar'.. §. 12. Ipsi autem collaterales & socii cancellarii præceptores esse dicuntur, eò quod brevia causis examinatis remedialia fieri præcipiunt, & hoc quandoque cum fine denar' ad opus Regis, & quandoque sine fine; eò quod omnia brevia non sunt omni tempore æquipollentia. De brevibus autem coram Justiciar' ad primas assisas cum in partes illas venerint fines capere non consueverunt, & quoad tempus itineris Justiciar' ligat constitutio Magnæ Cartæ, quæ talis est. §.13. Nulli justitiam negabimus, vendemus vel differemus, sed non inhibetur, quin fines capiantur pro brevibus possessionum & actionum personalium civilium, & pro celeriori justitia habenda; qui quidem pro qualitatibus & quantitatibus petitionum concessi in eisdem brevibus inbreviabuntur, & in rotulis cancellariæ irrotulabuntur; qui quidem rotuli singulis annis ad Scaccarium liberabuntur, ut fines hujusmodi extrahantur, & per summonitionem Scaccarii leventur: Clausula verò finis talis est, Et cape securitatem à præfato tali de quadraginta solidis ad opus nostrum pro hoc brevi: Verba autem extractarum de Scaccario sunt: De A. de B. pro brevi habendo dimid' marc', vel amplius, prout finis factus fuerit. Conceduntur aliquando conquerentibus ob favorem paupertatis, quod ubi præsumi possit quod pleg' invenire non poterunt de prosequend' clamorem suum, quod securitatem præstent vic' per fidei interpositionem tantùm, non tamen in actionibus personalibus hoc concedendum est. §. 14. Habet etiam Rex clericos in officio illo legaliter expertos, qui formas brevium cognoscunt qui approbanda admittunt, & defectiva omninò expellunt, quibus omnia brevia, priusquam ad sigillum proveniunt, cum deliberatione distinctè & apertè, in ratione, literâ, dictione & syllabâ examinare injunctum est; & sciend' est quod nullum breve, nisi per manus eorundum, ad sigillum debet admitti. §.15. Habet etiam sex clericos suos prænotarios in officio illo, qui cum clericis memoratis familiares Reg' esse consueverunt, & præcipuè ad victum & vestitum, quia ad brevia scribenda secundum diversitates querelarũ sunt intitulati; & qui omnes pro victu & vestitu de proficuo sigilli, in cujuscunque usus provenerint,

debent

debent honestè inveniri: Sunt etiam nihilominus clerici juvenes & pedites, quibus de gratia Cancellar' concessum est pro expeditione populi brevia facere cursoria; dum tamen sub advocatione clericorum superiorum fuerint, qui eorum facta in eorum receperint pericula; & in quolibet brevi debet scribentis nomen inbreviari, qui warrantizare poterunt inspectores, si necesse fuerit: & ne præfati clerici superflua petant stipendia pro scriptura sua, constitutum est quod tam clerici Justiciar' quàm cancellar' de solo denar' pro unius brevis scriptura se teneant contentos.

De hospitio Regis, viz. Thesaur'. CAP. 14.

HAbet etiam Rex alios clericos in hospitio suo, ut thesaurarium garderobæ suæ, quæ est locus clericis tantùm assignatus, quæ in Francia camera clericorum appellatur; huic enim thesaurar' cura expensarum Regis & familiæ suæ committitur, qui cum clerico provido sibi associato pro contrarotulare recordum habet, ut in hiis quæ officium suum contingunt. Officium autem thesauri garderobæ est pecuniam, jocalia, & exenia Regi facta recipere, recepta Regisque secreta custodire, & de recept' expensas facere rationabiles, expensarumque particulas inbreviare, & de particulis compotum reddere ad Scaccarium singulis annis in festo Sanctæ Margaretæ, absque sacramento præstando, eò quod de concilio Reg' est juratus, & unde primò debent distinctè & apertè compotum reddere de omnibus receptis separatim per se in uno rotulo; in alio autem rotulo de expensis quotidianis de quibus Senescallus audiverit compotum simul cum thesaur' & consocio suo; item de necessariis expensis, in quibus emptiones equorum, criagia, & plura alia continentur; item de donis; item de eleemosynis & oblationibus; item de vad' militum, item de vad' balistariorum, item de feodis forinsecis, item de pres' vel accommodat'. § 2. Item de expensis garderobæ in quibus emptiones pannorum, pelluræ, ceræ, specierum, telæ & hujusmodi comprehenduntur, item de jocabilus, item de expensis forinsecis, in quibus diversè onerantur in compoto reddendo, item de nunciis, item de falconar' Thesaurarius autem memoratur convenire debet singulis noctibus Sen' hospitii camerar', contrarotulatorem & clericum ejus, coffrar', mar' aulæ & hostiar', milites mar' servient' & duos hostiarios aulæ, & hostiarios cameræ servientes, assessorem ferculorum, pincernam, panetar', pistorem, & clericum eorundem officiorum, qui de expensis dietæ, videlicet panis, vini, & cervisiæ, picheriorum, ciphorum, salis, fructus, casei, & hujusmodi respondebit. § 3. Item duos magistros coquorum, lardenar', poletarium, scutellarium, salsar', & clericum coquinæ qui de eisdem officiis pro omnibus in eorum præsentia de expensis illius dietæ reddit rationem, quorum omnium præsentia necessaria est. § 4. Item eleemoysinar', janitorem, servientem ad custod' summar', & carectarum deputatum, & clericum de Marescalcia cum Marescallo, ferratore equorum, qui quidem clericus de expensis fœni & avenæ, literæ ferruræ equorum & harnes', pro equis, & carrectis, ac de vadiis servientium, scutiferorum, clericorum, & gracionum respondebit cujus interest scire, tam de hiis qui de novo erunt admissi ad vad' Reg', quam de extra

extravagantibus, & in hiis vadia minuere & augere; vadia autem absentibus sine speciali præcepto Regis, nisi in obsequio Regis fuerint, minime conceduntur: Præsentia autem Coronator' Regis necessaria erit, ut in pleno temp' compoti auditores super foro frumenti & cervisiæ & avenæ instruet & edocet, qualiter proclamatur in eisdem partibus, per quod melius scire possint quot panes obolati fieri debent de quarter' frumenti, quibus omnibus congregatis audire debent expens' & rationabilem compotum illius dietæ. Marescalli autem de supervenientibus debent inferiori Marescallo testimonium perhibere: Hostiarius miles hostiariis aliis de numero ferculorum Lardenar' coquo camerar' hostiar' cameræ Regis, & sic quilibet alii, & sic audiatur computus de tota dieta.

De Officio Mar' Aulæ. CAP. 15.

OFficium autem Mar' aulæ est mensis præparatis, mappis stratis, intrinsecos & extrinsecos secundum facultates suas evocare, & decenter & curiose collocare, & indignos ejicere, & numerum scire gentium, et inde in proximo compoto testimonium perhibere, non enim permittat canes aulam ingredi, nec quod eleemosyna ab aliquo furtivè asportetur, nec quod strepitus fiat, sed quod quies habeatur, & quod quilibet competenter in cibariis serviatur et poculentis, et toti familiæ Reg' ipso movente hospitia liberare.

De Officio Hostiarii. CAP. 16.

OFficium Hostiarii est fercula computare quæ aulam ingrediuntur, et inde testimonium assessori perhibere in compoto quotidiano: Item ingressus et egressus hominum custodire, ne furtum fiat vasorum, vel eleemosynæ, vel cujusquam alterius rei: Item literam pro lectis intrinsecis, et buscam pro aula, et cameris forinsecis, ut Garderobæ camer' Senescall', et hujusmodi emere et expendere: Item bancos facere et cooperire, aulam stirpare, ignem præparare, mensas et trestella providere et reparare, et de emptionibus suis clerico coquinæ reddere rationem, et particulas illas in magno compoto advocare. § 2. Consimiliter facere tenetur Hostiarius cameræ in hiis quæ cameram contingunt: Et quia in hospitio pro regula habetur, quod quanto propinquior sit quis Regi, tanto dignior, ideo habeant se camerarii tanquam cæteris ministris excelsiores, et ideo nullus minister aulæ vel alius forinsecus in camera Regis quicquam se intromittat.

De Officio emptoris. CAP. 17.

OFficium verò emptoris est oves et boves et porcos emere, et inde forum Regis capere, sed hoc cum taxatione fide dignorum quantum valet ad opus Regis, et quantum valuerint per quindenam ante adventum suum in partibus illis, et hoc aliquando cum Sacramento et aliquando sine: et similiter de piscibus, et inde coreis et exitibus deductis facere tall' per visum appreciatorum, qui in garderoba per easdem tall' solvi consueverunt, et de emptionibus hujusmodi debet Lardenar' carcare.

De Officio Clerico Coquinæ. CAP. 18.

OFficium Clerici Coquinæ est, denarios recipere de garderoba pro officiis Emptoris, Poletriæ, Salsariæ, Aulæ, & Cameræ, & Scutelriæ, & creditoribus satisfacere competenter.

De Officio Clerici Panetr' & Butel. CAP. 19.

OFficium autem Clerici Panetr' & Butelr' est, pro blado, pane, vino, cervisia, picher', ciphis, cas', fructu, butyro, & hujusmodi, denar' in garderoba recipere, & venditoribus satisfacere. Mapparius verò & si officio illo assignetur mappas, canabum, manutergia, & quæ ad officium Napariæ pertinent, de garderoba Regis bis, vel ter, vel quater, vel per annum, per ulnarum mensuram percipere solebat: Et de tot ulnis cum tritæ fuerint, ibidem facere restitutionem eleemosynario ad eleemosynam liberaturæ, & hujusmodi mappas veteres & tritas pauperibus distribuere injunctum est.

De Officio Clerici Mar' equorum. CAP. 20.

OFficium verò Clerici Marescalciæ est, emere fœnum, avenam, literam, & ferramenta, & inde recepta pecunia in garderoba, satisfacere creditoribus, & Scutiferis servientibus, Clericis, & Garcionibus totius hospitii vadia solvere quotidiana, garcionibus etiam tam Sumetar' quàm Carectar', & aliis de calciamentis & oblationibus satisfacere, videlicet unicuique pro anno duos solidos & quatuor denar' per antiquam constitutionem. § 2. Item ejus erit cura discorum argenti Reg' in majoribus Festis, & inde facere distributionem & restitutionem.

De Officio Servientis Sumar'. CAP. 21.

OFficium Servientis ad custodiam Sumar' Regis & carectarum assignati, est, producere equos mahemiatos, debiles, recreatos, & Thesaur' & Sen' ostendere, quibus restitut' & pro non sufficientibus adjudicatis, statim eleemosynario liberentur, loco quorum meliores statim collocentur: Ejus est etiam carectas emere, saccos, bahuda, & hujusmodi harnes', tam sumar', quam carectar' competentia.

De Officio Pincernæ. CAP. 22.

OFficium autem Pincernæ est, de qualibet navi vinis venalibus carcata unum dolium vini eligere in prora navis ad opus Regis, & aliud in puppi, & pro qualibet pecia reddantur tantum viginti solidi mercatori. Si autem plura inde habere voluerit, bene licebit, dum tamen precium fide dignorum pro Rege apponatur. Item singulis diebus debet in compoto esse, & de officio suo respondere.

De

De Officio Eleemosynarii. CAP. 23.

OFficium autem Eleemosynarii est, fragmenta diligenter colligere, & ea distribuere singulis diebus egenis; ægrotos & leprosos, incarceratos, pauperésque viduas, & alios egenos vagósque in patria commorantes charitative visitare. Item equos relictos, robas, pecuniam, & alia ad eleemosynam largit' recipere & fideliter distribuere; debet etiam Regem super Eleemosynæ largitione crebris summonitionibus stimulare, & præcipuè diebus sanctorum, & rogare nè robas suas quæ magni sunt precii Histrionibus, Blanditoribus, Adulatoribus, Accusatoribus vel Menestrallis, sed ad Eleemosinæ suæ incrementum jubeat largiri.

De Officio Janitoris. CAP. 24.

OFficium autem Janitoris est ingressus & egressus ad portas exteriores diligenter custodire, omniáque suspecta asportata attachiare cum ipso latore; warrantum tamen si habeat qui inde manuceperit latorem in magno compoto warrantizare, quietus recedet attachiatus, alioquin Mar' deliberetur, qui eum custodiat, donec secundùm legem & consuetudinem hospitii liberentur: & in omnibus prædictis officiis poterunt officiar' committere furtum, quo casu constitutum est. § 2. De capientibus victualia, vel alia ad opus Regis, sive ad munitionem castri, vel ad aliud opus suum retinentibus pecuniam, proinde receptam in garderoba ad scaccarium, vel alibi ad dampnum creditorum non modicum, & scandalum Regis manifestum, Provisum est, quod si quis de hoc crimine convincatur, & ipse terras habeat & ten' sufficientia, statim de exitibus eorundem satisfaciat creditori conquerenti, tam de dampnis, quam de principali, & nihilominus redimatur pro transgressione: Si autem non habuerit unde creditoribus satisfacere possit, capiatur, & in prisona de voluntate Regis detineatur. § 3. De hiis autem qui creditor' partem pecuniæ ad opus eorum receptæ nomine stipendii receperint, ut aliam partem eis habere faciant, Provisum est, quod pecuniam sic receptam in duplo conquerentibus restituant, & nihilominus pro voluntate Regis graviter puniantur. § 4. De capientibus autem equos & carectos pro cariagio Regis plus quàm necesse fuerit, & mercedes fortè ceperint ut aliquibus parcant; Provisum est, quod si quis inde convincatur, & de hospitio Regis fuerit, per Sen' & Mar' graviter castigetur; & si alius fuerit à curia ignotus, vel non advocatus, quod tunc restituat dampna querenti in triplo, & nihilominus habeat prisonam quadraginta dierum.

De Curia Scaccarii, & ejus ministris. CAP. 25.

HAbet etiam Rex Curiam suam & Justic' suos in Scaccario apud Westm' residentes, cujus loci capitalis est thesaurarius, non tamen Justiciar' ut in pronunciationibus judiciorum placitorum inter extraneas personas habitorum, sed in hiis quæ commodum Regis respiciunt, & tam in rebus forinsecis quàm intrinsecis; ipse namque principaliter oneratur de omnibus

loca Scaccariorum tangentibus, & precipuè de exitibus recept' & compot' omnium ibidem computantium, & idem exigetur ab eodem quoties Regi placuerit.

De Thesaurario. CAP. 26.

JUsticiar' ibidem commorantes Barones esse dicimus, eo quod suis locis Barones sedere solebant, dum Com' Norff' & Mar' Angliæ locum habuit in sedili tanquam capitalis Justic' Angliæ, Rege in regno suo non existente; cujus locum occupat hodie Thesaur', sed officium tamen occupare non potest.

De Baron. Scaccarii. CAP. 27.

IN Lineáque ejus sedet Cancellarius de Scaccario, juxta quem Barones, de quibus intuitu provectioris ætatis venerabilior esse videtur, propter quod sub ejus testimonio fieri debent brevia; retro quos sedet quidam Clericus Regis, qui ad memoranda & recognitiones adimbreviare assignatur. § 2. In secundo verò sedili sedent duo Camerar': Constabular' & Mar'. § 3. In quorum opposito sedent clerici scriptores rotulorum, quorum unus rotulum Reg' scribit ex parte Thesaurar' de exitibus & proficuis regni, aliusque contrarotulum ex parte Cancellar'; juxta quos sedent Clerici Cancellar' placita & brevia scribentes judiciorum: Retro quos sedet quidam Clericus Regis qui ad custodiam feodorum & memorand' deputatus est: In quarto autem sedili ex opposito Baron' sedent vic' & alii qui compotum reddere tenentur. § 4. Ibi etenim habetur locus ad cognoscend' de feodis juribus & libertatibus Reg': Ibi etiam licebit Barron' querelas conquerentium de vic', escaetoribus, ballivis, & aliis ministris Regis præsentibus existentibus; de personalibus injuriis civilibus, præterquam de falsis judiciis audire & terminare, necnon & de Justiciar' præsentibus qui non per annum feoda sua ibidem recipienda ad responsionem & satisfactionem distringi poterint & compelli. § 5. Ad officium autem Thesaur' cura & custodia spectat omnium quæ ostio clauduntur ibidem, unde & ratione hostiariè de singulis brevibus exeuntibus duos habebit denar'. Hic etiam ministrat forulos ad pecuniam reponend', rotulos, & tallias; & unde pro singulis forulis duos denarios singulis annis in Festo Sancti Michaelis habebit, pro lignisque talliorum quinque solidos, Sacristæ autem Westm' dantur duo solidi pro incausto utriusque Scaccarii. Sunt etiam ministris de Scaccario quædam liberationes diurnæ constitutæ, à die videlicet qua convocantur & conveniunt, usque ad eorum generalem recessum; Clerico namque Thesaurarii in Scaccario receptæ moranti quinque denar' per diem liberentur: Solent etiam tribui sexdecim denarii duobus militibus, ballivis clavium unicuique, videlicet, octo denarii per diem; Militique Argentario duodecim denar', fusori quinque denar', Hostiar' majori Scaccarii quinque denar', quatuor computatoribus denar' duodecim denarii, & centum libræ ipsi Thesaurario singulis annis assignantur.

De

De Officio Camer' Scaccarii. CAP. 28.

OFficium autem Camerarii officio Thesaurarii est annex', ut quod ab uno per se factum esse dicitur, est Thesaurarius etenim pro se, & pro ipsis computum recipit, aliaque facit quæ ad ipsum pertinent; in quibus omnibus comprehendi debent pari jure societatis ipsorum, tantum est custodia foliorum de omnibus Tall' priusquam fuerint allocatæ.

Officium Cancellarii. CAP. 29.

OFficium verò Cancellarii est sigillum Regis custodire, simul cum controrotulis suis de proficuo Regni.

De Officio Mareschalli. CAP. 30.

MAreschalli autem cura est, Tallias debitorum cum allocantur cum brevibus allocationum & pardonationum custodire; & si quis vic' vel burgens' post compotum suum in debito Regis remansit, Marescalli custodiæ committetur, absque tamen vinculis vel pœna per unam noctem tantum, tanquam Baroni licitum est captos custodire, in crastinoque, nisi de Arr' satisfecerint, ad prisonam de Fleete ipsos liberaturus, pro cujus quidem noctis custodia & expensis ex antiqua consuetudine clamat Mar' dim' marcam; quique si plures dimidias marcas ceperit, quamvis per plures noctes in custodia ejus remanserit, injuriam facit manifestam; hujusmodi tamen custodita expensas suas rationabiliter tenetur acquietare. Ad ipsum etiam pertinet de quacunque persona quæ compotum reddere debet ibidem (excepto custode gardebrobæ Reg', cui tantum fides adhibetur) sacrament' palam in initio compoti sui accipere, quòd fidelem compotum reddet de exitibus suis, & de recept' secundùm suam conscientiam. Et si talis in uno compoto remanserit in arrerag', & oportet super aliquo extravagante respondere, tunc accepta fide debitoris debet Mar' eidem inhibere nè à London recedet sine licentia Thesaur' vel Baron' de Scaccario, nisi eodem die redire, donec de arrer' satisfecerit.

De Constabulario. CAP. 31.

OFficium Constabularii est, ut cum Stipendiarii & operarii domorum, & castrorum ad Scaccarium venerint, eorum audire compotum, & super eo quod residuum fuerit nunciare, & testimonium perhibere: Et in memoriam & instructionem futurorum factæ fuerint istæ constitutiones.

Constitutio Scaccarii de Ballivis. CAP. 32.

PRovisum est quod omnes Ballivi Rex' & vic', Justiciar' etiam Cestriæ Ballivi Insularum, necnon & omnes alii ministri sui de omnibus recept' & exitibus custodiarum, escaetarum, balliviarum suarum cor' Thes' & Baron' de Scaccario reddant singulis annis compotum suum, ibidem sint respondentes de omnibus compotum suum tangentibus. § 2. Item quod omnes vic', firmarii, Ballivi libertatum, & alii qui ad proffrum Scaccarii venire debent

bent in craſtino Sancti Michaelis & in cr'o clauſ' Paſchæ firmas ſuas redd' & exitus ſuos ibidem reddituri, eiſdem terminis adveniant ſingulis annis, & redd', & firmas ſuas prædictas deferant & plenè reddant ibidem: & ſi quis in toto quod debebit non reddiderit, vel in parte, eo ipſo remaneat corpus talis irreplegiabile donec inde ſatisfecerit; & ſi quis terminis ſtatutis accedere ſuperſederit, amercietur, & fiat ulterius ſecundum conſuetudinem in Scaccario uſitatam: hiis etiam terminis ſolvant vic' & ballivi ibidem omnes denar' quos receperint per extractas Scaccarii, & aliter de denar' debitis Regi, de quibus omnibus ſint tunc parati facere viſus compotorum ſuorum. § 3. Item quod omnes ballivi libertatum debita Regi debentes, & qui vic' inde reſpondere tenentur per returna extractarum de Scaccario mandat' vic' ſint inclinantes in hac parte, in quibus ſi defectus inveniatur, ſtatim ingrediatur vic' hujuſmodi libertates, & mandata Regis celeriter per proprios ballivos exequi faciant. § 4. De Juſticiariis autem Ceſtriæ & ballivis Inſularum proviſum eſt, quod non ſit neceſſe quod in propriis perſonis ſemper adveniant, ſed ſufficiat quòd tranſmittant ad proſrum Sancti Michaelis ſingulis annis quicquid Regi debuerint pro illo termino; dum tamen ipſi perſonaliter accedant in craſtino claus' Paſchæ, quod tunc Regi debebunt ſecum referentes, ballivique Inſularum diem habeant computandi ſingulis annis in craſtino claus' Paſchæ, Juſticiarii in quindena Paſchæ: Item quod principales collectores cuſtumarum, lanarum, coriorum, & aliorum theoloniorum dictis terminis denarios Reg' recept' liberent ad Scaccarium, & inde ſemel per annum diſtinctè & apertè reddant compotum de omnibus particulis receptis per omnes portus regni & alibi; ita quod reſpondeant de qualibet navi, de quo, quanto, & ubi fuit cartata, & ſic de omni recepta & quocunque theolonio vel cuſtuma. § 5. Item quod cuſtos garderobæ Regis ſingulis annis ibidem reddat computum ſuum in feſto Sanctæ Margaretæ, & inhibetur dominis theſaur' & Baron' ne teneant aliqua placita Regem non tangentia inter aliquas extraneas perſonas, donec negotia Regis fuerint expedita, nec quod Scaccarium de aliquo ſuperfluo permittant onerari. § 6. Item ne quis alium ſubſtituat vel collocet ibidem in aliquo officio, niſi fuerit Regi & loco juratus; quòd ſi quis temerè fecerit, ſtatim ab officio ſuo amoveatur, cujus loco nullus ſine ipſo Rege ſubſtituatur. § 7. Et proviſum eſt quod ſi quis ſubſtitutus, quamvis ex licen' Thſaur' ſubſtituatur, in aliquo deliquerit, puniatur ſecundum quantitatem delicti ſi habeat unde, quod ſi non habeat unde, reſpondeat ipſe cujus loco fuerit ſubſtitutus; & ſic de gradu in gradum uſque ad ſufficientem. § 8. Item quod omnes majores, mediocres & minimi jurent tactis ſacroſanctis, quòd ſi fraudem vel iniquitatem ab aliquo illius loci jurato ſciverint, quòd id ſtatim referent Theſaur' vel alicui Baron', qui id ſtatim corrigi faciant, vel Regi oſtendant. § 9. Item quod in feſto Sanctæ Margaretæ priuſquam locus claudatur, ſcrutari faciant Theſaur' & Baron' ſi ſit aliquis compoti debitor, qui nondum compotum ſuum reddiderit; & ſi quis talis inveniatur qui vic' fuerit, tunc in feſto Sancti Michaelis audiatur ejus compotus, antequam ad computand' alius recipiatur: Et ſi talis fuerit alius quàm vic',

vic', tunc summon' talis vel præcipiatur vic', patriæ, quòd talem venire faciat ad compotum suum certo die redden'. § 10. Et quia vic', constabularii, & alii quandoque habuerint indebitas allocationes de operationibus Reg', per falsa testimonia visorum, Provisum est, quòd omnes visores hujusmodi operationum per sacramentum proborum & legalium hominum eligantur ex illis qui melius sciant, velint & possint hujusmodi officio intendere, & quod ipsi electi, si necesse sit, Sacramentum faciant, quòd super injunctis fidele testimonium perhibebunt. § 11. De quibus tamen si habeatur suspitio falsitatis, liceat Thesaur' & Baron' inde per fide dignos inquirere veritatem. Et si quis de falsa allocantia convincatur, de tanto Regi respondeat, quantò fuerit summa allocationis, custodiæque carcerali mancipetur, & pro voluntate Reg' puniatur, & visores pro falso testimonio & concelamento redimantur; & eandem autem pœnam incurrant qui concelaverint in compoto suo antedicto unde debuerint onerari, sicut de hiis dictum est qui de falsa allocatione fuerint convicti. § 12. Item provisum est, quòd omnes Justitiarii, inquisitores, & alii singulis annis in festo sancti Michaelis liberent in scaccario extractas suas de finium exitibus & amerciamentis coram eis taxatis; Justic' tamen itinerantes illum terminum quoad hòc non expectant, sed statim finito itinere suas liberent extractas.

Statutum de debitis Regis receptis & acquietatis. CAP. 33

PRovisum est etiam de debitis Regis vel patris ejus receptis & per receptores non solutis, quod Rex per omnes comitatus destinabit aliquo qui inde habebunt potestatem audiendi & terminandi; ubi quidem quicunsque docere poterit quod solverit, quietus sit, sive receptor vivus sit sive mortuus; qui si vivus existat, & non acquietaverit inde debitorem, graviter puniatur; & si mortuus, tunc onerentur hæredes. § 2. Item provisum est quod hujusmodi receptores acquietent debitores in proximo compoto suo postquam debitum receperint, & allocetur debitum in Scaccario, ita quod amplius non veniat hujusmodi debitum in extractis; & si convincantur quod alio modo fecerint, eo ipso reddant, & nihilominus graviter redimantur: Et provideant sibi vic' & ministri Reg' de hujusmodi receptoribus habendis pro quibus respondere voluerint, eò quod Rex in toto se capiet ad capitales, & ad eorum hæredes; & cum hujusmodi debita receperint, præceptum est quod statim inde faciant Tallias hujusmodi solventibus secundum portionem solutam: Summonitiones verò Scaccarii absque aliquo pro inde dando cuilibet petenti ostendantur.

De Justiciariis de Banco. CAP. 34.

HAbet etiam curiam suam & Justiciarios suos residentes, qui omnes recordum habent in his quæ coram eis fuerint placitata, & qui potestatem habent de omnibus placitis & actionibus realibus, & personalibus, & mixtis; dum tamen warrantum per breve Reg' habuerint cognoscendi, nam sine warranto jurisdictionem non habent neque cohertionem.

De

De diebus constitutis in Banco. CAP. 35.

ET sciend' quod ordinatum est, quod ipsi Justiciarii non teneant placita sua per dies Dominicos, & quod nulli detur tardius vel maturius quàm alii; sed omnes dies sint pariter omnibus communes in hac forma, ut à die Paschæ in quindecim dies usque ad octab' Sancti Michaelis, à die Paschæ in tres septimanas usque ad quind' Sancti Michaelis, à die Paschæ in unum mensem, tunc, à die Sancti Michaelis in tres septimanas, quando à die Paschæ in quinque septimanas, vel in crastino Ascens' tunc à die Sancti Michaelis in unum mensem. § 2. Quando in octab' Sanctæ Trinitatis, tunc in crastino animar'; quando à die Sanctæ Trinitatis in quind' dies, tunc in crastino Sancti Martini, & idem dies habebitur à crastino Sancti Johannis Baptistæ: Item ab octab' Sancti Johannis in octab' Sancti Martini: Item à quindena Sancti Johannis usque ad quindenam Sancti Martini. § 3. Item ab octab' Sancti Michaelis in octab' Sancti Hillarii: Item à quindena Sancti Michaels in quindenam Sancti Hillarii: Item à die Sancti Michaelis in tres septimanas tunc in crastino purificationis: Item à die Sancti Michaelis in unum mensem in octabis purificationis: Item à crastino animarum à die Paschæ in quindecim dies: Item à crastino Sancti Martini tunc à die Paschæ in tres septimanas: Item ab octabis Sancti Martini à die Paschæ in unum mensem vel in crastino ascentionis. Item ab octabis Sancti Hillarii usque ad octabis sanctæ Trinitatis: Item à quindena sancti Hillarii in quindenam Trinitatis: Item à Crastino purificationis in octabis sancti Johannis: Item ab octabis Purificationis in quindenam sancti Johannis. In actione tamen dotis breviores dari dies præceptum est, ut viduæ, ob dotis favorem, quicquid cum justitia poterunt expediantur. § 4. Et provisum est, quod Justiciarii de utroque banco placit' ad unum diem adjornata perfiniant, antequam de placitis diei sequentis quicquam placitare incipiant, hoc tamen excepto, quod esson' illius diei supervenientis admittantur, & adjudicentur, & reddantur.

De Clericis. CAP. 36.

IN hac etiam Cur' sunt Clerici Prænotarii & Cursarii qui placita irrotulant, & brevia faciunt judicialia, nec non cyrographarii tam ibidem, quàm coram Justiciar' itinerantibus: De quibus statutum est, quod de quatuor solidis pro scriptura cujuslibet cyrographi se teneant contentos, & pro nullo brevi de judicio non solvatur scriptori, nisi denar' tantum. § 2. Et injunctum est Justic' in fide qua Regi tenentur, quòd si hujusmodi Ministri contra prædictum Statutum in aliquo venerint, & querimonia ad eos pervenerit, tunc pœnam eis infligant, rationabilem juxta meritorum qualitatem: & si iterum deliquerint, majorem pœnam eis infligant, qua castigari merito debent: & si tertio deliquerint & inde convicti fuerint, si sint ministri de feodo, amittant feodum suum, & si alii sint, amittant curiam Regis nec sedeant sine ipsius Regis præcepto speciali. § 3. Statutum est etiam & provisum, quod nullus Minister Regis, cujuscunque fuerit officii, per ipsum vel

vel per alium, placita, loquelas, seu negotia quæcunque in curia Regis existentia de terr' & ten', vel alterius rei cujuscunque pro parte inde habenda, seu aliquod commodum per conventionem inter ipsos manutenentem & placitantem factam foveat, vel manuteneat partes in querelis vel negotiis, quæ sunt in curia Regis defenden' nec fraudem fac' pro communi justitia differenda vel impedienda, sub pœna prædicta vel graviori, secundùm quod postulaverit quantitas delicti. § 4. Item constitutum est, quod nullus Cancellar', Thesaur', Justiciar', vel alius de concilio Regis, vel de Cancellaria, de hospitio, scaccario, itinere, vel de aliquo banco, nec aliquis minister, Clericus Regis, vel alius laicus recipiat præsentationes Ecclesiarum, vel alicujus Ecclesiæ advocationem, terr', ten', neque feoda, exemptione seu dono vel ad firmam seu ad campi partem, viz. ut particeps fiat, nec in aliquo modo se inde intromittat, dum contentio inde fuerit pendens coram Rege, vel aliquo ministrorum suorum, nec aliquid stipendium inde capiatur: Et qui contra hanc constitutionem inhibition' per se vel per alium evenerint, ipso jure puniantur pro voluntate Regis, tam agens contra hanc inhibitionem, quàm facti perquisitor. § 5. Inhibitum est etiam nè aliquis Clericus Justic' vel Vic' vel Reg' præsentationem alicujus Ecclesiæ, unde placitum & contentio sit in curia Regis de advocatione ejusdem, sine speciali licentia Domini Regis recipere præsumat, sub pœna amissionis servitii sui.

De Narratoribus. C A P. 37.

IN curia autem Reg' sunt servientes, narratores, attornati, & apprenticii: De quibus constitutum est, quod nullus deceptionem aliquam vel collusionem in curia ausu temerario facere præsumat, vel facere non consentiat in deceptionem cur' pro cur' vel aliqua parte recipienda, sub pœna imprisonamenti per unum annum & unum diem, & ulterius. Et ulterius in curia Regis pro aliquo narrare non audietur nisi pro semetipso, si narrator fuerit. Et quod dicitur de narratore, intelligatur id dici de quolibet alio quantum ad imprisonamentum & majorem pœnam subibit, si quantitas delicti hoc postulaverit pro dispositione & voluntate Regis.

De Virgatoribus. C A P. 38.

IN eadem autem cura sunt Virgatores populum gravantes, gravia feoda petentes; de quibus fit talis constitutio: Quia plures conquesti sunt quod Virgatores, servientes, clamatores de feodo, & alii Justic' Mar' injustè frequenter petunt & recipiunt denar' de seisinam terræ recuperantibus, & de lucrantibus querelis suis, de finibus levatis, de juratoribus villatis prisonibus & aliis attachiatis ad placita Coronæ aliter quàm facere deberent diversimodè, & etiam plures quàm necesse esset, ad gravamen populi manifestum, inhibetur à Rege nè hujusmodi gravamina de cætero patiantur morari incorrecta, sed si serviens de feodo hujusmodi fecerit, capiatur officium ejus in manum Regis ipso jure. Et si alius hoc fecerit qui non fuerit de feodo & Mar' alicujus Justic' vel hujusmodi, graviter puniatur pro voluntate Regis, & satisfaciat querenti in triplo.

De Custodibus Hostiorum. CAP. 39.

ITem de Custod' Hostiorum in itineribus, & virgam portantibus coram Justiciar' de banco, ordinatum est, quod de qualibet assisa & jurata quam custodiunt, capiant quatuor denarios tantum, de cyrographis autem nihil: De hiis vero, qui recuperant demandas suas per esson', redditionem, defaltam, vel alio modo per judicium sine assisa & jurata, & de hiis qui recedunt sine die per defaltam querentis vel petentis, nihil capiant. Et si quis recuperaverit demandam versus plures per unum breve, & Rex per cognitionem assisæ vel juratæ de quatuor denariis sint contenti. § 2. De hiis autem qui faciunt homagium in banco, de magnis assisis & attinctis, juratis & duello percusso duodecim denarios tantum capiant; de hiis qui vocati sunt, coram Justiciar' ad sequend' vel defend' placitum suum, nihil dant pro ingressu. Ad placita vero coronæ de quolibet duodenar', viginti denar' tantùm capiantur, de quolibet prisonæ deliberato quatuor denar', de quolibet cujus pax proclamata fuerit duodecim denar'; & de inventoribus vicinis, & aliis attachiatis villatis quatuor hominibus & præposito vel decennariis nihil capiant.

De Foresta Regis. CAP. 40.

HAbet etiam Rex Cur' suam & Justic' suos de foresta, qui articulos in hac charta contentos jurati sunt tenere & conservare. § 2. H. Dei gratia Rex Angliæ, &c. Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Com', Baron', Vic', & omnibus aliis Ballivis, & fidelibus suis præsentem chartam inspectur' vel auditur' salutem. Sciatis quod nos intuitu Dei, & pro salute animæ nostræ, & animarum Antecessorum nostrorum & Successorum, & ad exaltationem sanctæ Ecclesiæ, & emendationem Regni nostri, spontanea & bona voluntate nostra dedimus & concessimus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Com', Baron', & omnibus aliis de regno nostro has libertates, subscriptas, tenendas imperpetuum: Imprimis, quod omnes forestæ quas H. Rex avus noster afforestavit, videantur per bonos & legales homines, & si aliquem alium boscum quam suum dominicum afforestavit ad dampnum illius cujus boscus ille fuerit, deafforestetur; & si dominicum boscum afforestavit, remaneat foresta, salva communia de herbag' & aliis, illis qui priùs eam habere consueverunt; homines vero qui manent extra forestam non veniant de cætero cor' Justic' nostris, de foresta per communes summonitiones; & residuum, prout in charta de forestis, & earum libertatibus plenius continetur.

De Veteribus Capitulis Forestæ. CAP. 41.

VIdenda autem sunt assarta in foresta post principium secundi anni Reg' H. tertii, & æstimanda sunt per numerum acrarum, & inquirend' quis illa fecerit, & quis illa modò teneat, & quo blado inbladata fuerint, & si modò inbladata fuerint. Item inquiratur quo blado inbladata fuerint post pricipium secundi anni primæ coronationis præd' Regis, sive post ultimum

ultimum regardum, sive post præd' tempus : Inbladatio autem yuernagii scribatur per se, & alterius mensis per se ; & inquiratur de cujus feodo fuerint, ad quam villam pertinent ; & assarta quæ facta fuerint post ultimum regardum factum post principium secundi anni coronationis prædicti Regis scribantur per se,& alia quæ postea facta fuerint,per se. § 2. Item videndæ sunt omnes purpresturæ veteres, & novæ factæ post principium secundi anni primæ coronationis prædicti Regis ubicunque factæ fuerint, sive in bosco sive extra, vel in blandis, brueriis, mariscis, turbariis, vivariis, stagnis, fossis, sepibus, fossatis vel glebis qualitercunque fuerint occupatæ, ubi sunt vivaria, stagna, marleria, vel fossat' extra coopertum forestæ, & veteres scribantur per se, & novæ per se, & quis eas teneat. § 3. Item videndæ sunt omnes purpresturæ de terra arabili extra coopertum forestæ, & terra arabili facta post confectionem chartæ Reg' H. de libertatibus forestæ, & æstimand' per numerum acrarum, & videndæ quo blado fuerint inbladatæ post prædictum tempus, & quis eas teneat, & ad quam villam pertineant, & scribantur per se. § 4. Item videnda sunt vasta boscorum tam nova quam vetera facta post principium secundi anni primæ coronationis prædicti Reg' ; & inquiratur quis ea modò teneat, & quis ea fecerit, & de cujus sunt feodo, & quorum bosci fuerint, & ad quam villam pertinent, & vetera scribantur per se, & nova per se. § 5. Item videndi sunt dominici bosci Reg', & quilibet cippus de quercu & de fag' post facto post principium secundi anni primæ coronationis prædicti Reg', sive post ultimum regardum, si quod factum fuerit postea, debent diligenter per se numerari, & per se scribi ; & inquiratur utrum bosci deteriorati fuerint de subosco & exbranchiatur, & deterioratio subbosci & exbranchiatura scribantur per se. § 6. Item omnes purpresturæ, & omnia assarta, & omnia vasta, in dominico Reg' videantur & imbrevientur eodem modo quo fieri solebant ante constitutionem chartæ de libertatibus & foresta concessis omnibus liberis hominibus Angliæ. § 7. Item videndæ sunt aeriæ austurcorum, spernariarum & falconum, in quibus boscis fuerint, & qui eas habuerint, & de jure habere debuer' & consueverunt, & scribantur per se § 8. Item, videndæ sunt forgiæ & mineræ, in cujus feodo sunt in foresta Regis, sive in dominicis Reg' sive extra, & inquiratur quales consuetudines reddant, & quis eas habuit,& de jure habere debuerit & consuevit, & à quo tempore inceptæ fuerint, & scribantur per se. § 9. Item videndi sunt portus maris in quibus applicant se naves, vel batelli ad hospitand' maheremium aut buscam de foresta ; &, si quis hoc fecerit de novo; & qui quidem portus non fuerint ibidem tempore H. Regis primi. § 10. Et, qui hoc fecerint, & Maherem'vel buscam asportaverint, & per quem, & in quorum feoda fuerint, & scribantur per se. § 11. Item videndum est de melle, si quod fuerit in foresta, quis illud habuerit, & qui de jure habere debuerit, an Rex an alius. § 12. Inquiratur etiam quæ purpresturæ assarta facta fuerint infra metas forestæ post ultima placita forestæ, & quis illa fecerit, & quis illa modo teneat, & in cujus solo facta fuerunt, & quot acras contineant per æstimationem, & cujusmodi clauso includantur si inclusa

 fuerint;

fuerint; Et ſi aliqui foreſtarii vel ballivi mercedem ceperint ab his qui hujuſmodi purpreſturas vel aſſarta fecerint, & quam mercedem, aut ſi aliquo modo conſenſerint ad hoc, ut fieri permitterentur. § 13. Item, inquiratur ſi aliqua vacheria, porcheria, vel alia domus, vel clauſum aliquod conſtruatur infra metas foreſtæ, & per quem, & quando, & quantum (per æſtimationem) paſtura Reg' foverata fuerit, aut deteriorata per animalia quæ exeunt à domibus illis. § 14. Item inquiratur qui poſt placita prædicta fecerint metas foreſtæ, vel prope foreſtam, ad nocumentum foreſtæ, parcum, vel boſcum ſuum, vel warrenam, vel ſaltatorium, vel aliquem boſcum afforeſtavit ſine warranto Regis. § 15. Item inquiratur qualiter dominicæ hayæ Regis in quibus nemo communicat cuſtoditæ ſunt de herbagio, ſi foreſtarii vel aliqui agiſtaverint aliqua animalia in ipſis, & ſi aliqui landas Reg' ſeperabiles fecerint falcari, & fœna earum vendi ad detrimentum ferarum Reg' & quantum ceperint de hujuſmodi venditione & agiſtamento. § 16. Item inquiratur qui receperint finem pro extraneis animalibus agiſtandis in foreſta ad detrimentum ferarum Reg', & ad nocumentum eorum qui communiam habent in foreſta ipſa, & quid, & quantum inde ceperint, & quantum per æſtimationem illa paſtura ferarum deterioratur per hujuſmodi captiones. § 17. Item, inquiratur qui fecerint deſtructionem vel vaſtum in foreſta de viribus in dominicis boſcis Reg' & in alienis, & quid & quantum ſinguli foreſtarii dederint, vendiderint, aut extrahi permiſerint, vel ad opus ſuum proptium receperint de boſcis balliviæ ſuæ; & ſi aliquo favore permiſerint Abbates, Milites, vel alios facere deſtructionem vel vaſtum de boſcis ſuis propriis in foreſta, & quam deſtructionem, & quem vaſtum; & ſi aliqui occaſione illa ab eis ceperint, tunc quid & quantum. § 18. Item, inquiratur de equis & equiciis, & de aliis animalibus & averiis exiſtentibus in foreſta, per quæ paſtura ferarum Regis convertatur ad dampnum ferarum et nocumentum eorum qui communiam habent in foreſta. § 19. Item, inquiratur ſi aliquis cui Rex dedit maheremium, nec plus de buſca vel maheremio ceperit quam Rex ei dederit, & qui foreſtarii fuerint ad hoc conſentientes. § 20. Item, inquiratur qui malè fecerint Regi de venatione ſua, & qui ſunt eorum receptatores & conſentientes eis ad malè faciend' ſi fuerint foreſtarii vel alii, & ubi illi ſunt manentes, utrum infra foreſtam vel extra, ſive infra burgum ſive extra. § 21 Item, Inquiratur qui habent infra metas foreſtæ arcus & ſagittas, leporarios vel alios canes, vel aliquod ingenium ad malefaciend' Regi de venatione ſua, & qui ſoliti ſint ingredi foreſtam cum arcubus & ſagittis cauſa berſand', vel aliud malum faciend' quo minus pax regni obſervetur. 22. Item, inquiratur ſi aliquis cui Rex venationem dederit, alias vel plur' ceperit feras quam Rex ei dederit, & qui foreſtarii vel alii fuerint ad hoc auxiliantes. § 23. Item, ſi aliquis cui Rex conceſſerit libertatem fugandi leporem, vulpem, aut earum aliquem ceperit feram, occaſione illa permiſeritne canes ſuos currere ad alias beſtias quàm in charta ſua contentas. § 24. Item, inquiratur de profectu ſtabiliceis in dominicis Reg', & quis habuerit conperones, ceppagia, & eſcaetas quercuum et aliarum arborum

quas

quas Rex dederit, vel vendiderit, vel ad opus ſuum proprium fecerit vendi, & quid & quantum valuerit quod unuſquiſque inde habuerit, & ſi warrantum inde habuerint, necne, & quod cujuſmodi warrantum. § 25. Item, inquiratur ſi aliquis foreſtar' de feodo vel alii ceperint finem, vel mercedem aliquam pro cheminagio aliter quam ipſos percipere licitum eſt; & qui fecerint ſcotales garbas collegerint in autumno, ſive aliquam collectam fecerint, maximè cum hæc ſint prohibita in charta de foreſt' ſub pœna excommunicationis inferius intitulatæ. § 26. Item inquiratur ſi aliquis foreſtar' vel ballivi concelaverint aliquam tranſgreſſionem de viridi ſive de venatione pro amicis ſuis, vel aliis cauſa lucri vel aliquo favore; & quæ fuerit hujuſmodi trangreſſio. § 27. Item, ſi aliqui placitaverint aliquod placitum quod ad Regem pertineret, & quod coram Juſtic' foreſtæ deberet terminari; & ſi aliqui finem vel redemptionem ceperit de captione leporum, an pro canibus habitis in foreſta contra aſſiſam, aut pro aliqua alia, tranſgreſſione cujus emenda pertinet ad Regem capienda. § 28. Item, ſi aliqui foreſtarii habent cuſtumarios, & quid capiunt ab eis, & ſi illi ſuſpecti ſint de aliqua foreſtæ tranſgreſſione. § 29. Item, inquiratur qualiter forreſtarii ſe geſſerint in balliviis ſuis, & qui ſunt utiles ad opus Regis, & qui non; & ſi in aliqua ſint plures quam ſufficiant ad illam balliviam cuſtodiend', & qui ſuperoneraverint balliviam ſuam indebitè hoſpitando & nimis frequenter, & qui habuerit equos ſuos perendinantes in domibus alienis in ballivia ſua, vel extra, occaſione balliviæ ſuæ, & qui foreſtarii pedites habent gartiones ſub eis ad onerationem patriæ; & qui aliquam indebitam conſuetudinem de novo per foreſtam levaverit ad dampnum Regis & gravamen patriæ. § 30: Item, inquiratur in ſingulis balliviis qui ſunt foreſtarii de feodo, & quale warrantum habeant de balliviis ſuis tenend', & qui eorum reddant domino firmam annuam pro ballivia ſua, & quantum, & qui non, & quid de jure capere debent de foreſta ad firmam ſuam faciend', & per quas metas & bundas tenere debent in ballivia ſua, & quæ dominica Rex habeat in ſingulis balliviis, & quibus metis & bundis cricumdantur. § 31. Item, inquiratur de agiſtatoribus Regis ſi fideliter agiſtaverint dominicos boſcos Reg' & ſi fideliter levaverint pannagium ſuum, & ſi Regi plenariè inde reſponderint, & quid de pecunia Reg' penes eos modo remaneat, & quantum, & penes quos. § 32. Item, inquiratur de quercubus & aliis arboribus expeditatis in foreſta per quos & in quorum balliviis, & qui foreſtarii ad hoc conſenſerint, vel ſi aliquo ingenio alio dictas quercus cadere fecerint, ut poſſint dicere quod eſſent vento proſtratæ. § 33. Item qui fecerint vaſtum in foreſta de bruer' aut fenger' in quibus feræ Regis ſolebant frequenter, & maximè ubi damæ ſolebant founinare & habere defenſionem cum fœtibus ſuis ad maximam deſtructionem foreſtæ; & ſi aliqui quibus Rex conceſſit eſtoveria ſua propria de hujuſmodi fengera in brueris in foreſta aliquid inde donaverit vel vendiderit aliis occaſione illa. § 34. Et qui habuerit warrantum capiendi ſic eſtoveria ſua ſine warranto Reg' plus ſibi occupat & aſſumit quam neceſſaria rationabilia, & quantum foreſta fuerit deteriorata per hujuſmodi captiones. § 35. Item, inquiratur

ratur quid & quantum finguli foreftarii dederint, vel vendiderint, vel extrahi permiferint, vel ad opus fuum proprium ceperint de bofcis balliviæ fuæ quocunque modo: Et fi aliqui foreftarii vel alii ubicunque maneant, fint malefactores in forefta de viridi aut de venatione; & fi proinde aliquam mercedem ceperint, tunc à quibus & quantum. § 36. Item, inquiratur fi qui foreftar' de feodo, vel alii ballivi foreftæ ceperint mercedem de foreftar' ut ponerentur in balliviis foreftar'; & poftquam mercedem illam ceperint amovent eos, & novos ibi ponunt pro nova mercede ad magnum detrimentum foreftæ & gravamen patriæ. § 37. Inquiratur etiam ubi venditio Reg' fuerit, fi aliquis alius inde ceperit proficuum quàm Rex, & fi venditores fideliter fecerint venditionem, & fi ipfi aliquid ceperint ad opus fuum proprium, vel permiferint alios capere gra', vel lucro, vel aliquo alio modo, & quantum inde ceperint per communem æftimationem. § 38. Inquiratur etiam, quantum veftura fingulorum bofcorum & reflectorum prædicti modo affartorum valuerit antequam affarta illa facta fuerit, tam de dominicis Reg' quàm de aliis, & qui valorem illum receperint, & quantum valeat inbladatio fingularum affartarum qui invenierint inbladata. § 39. Inquiratur etiam qui de novo infra metas fecerint vel extra ad nocumentum foreftæ parcum vel bofcum fuum claudere, vel warennam vel bofcum fuum afforeftaverit fine warranto Regis. § 40. Inquiratur etiam, fi infra metas foreftæ conftruantur aliquæ domus, & per quem, & à quo tempore, & quot animalia exeunt de fingulis domibus illis, quo minus paftura foreftæ oneratur. § 41. Inquiratur etiam fi aliquæ purpreftura factæ fuerint infra metas foreftæ in marifcis, moris, paftur', & brueris. § 42. Inquiratur etiam de carbone maris invento infra foreftam, & qui mercedem receperint pro foffatis faciend' de carbone illo, & pro cheminagio. § 43. Inquiratur etiam de Myneris, Marleriis, Turbariis, Fabricis, Carbonar', Foffatis, Hayis factis & levatis infra tempus prædictum ad nocumentum foreftæ fine warranto, & qui commodum inde ceperint, & quantum valuerit per annum fecundùm communem æftimationem. § 44. Inquiratur etiam qui Juftic' permiferint aliquem per finem factum fecum five ad opus Regis, five ad opus eorum facere affartam vel purpreftura, vel vaftum de viridi, five de venatione, infra metas foreftæ, five in dominico Regis five extra; & qui finem illum habuerunt, five Rex five alius. § 45. Inquiratur etiam de melle invento in bofco Reg', & qui illud ceperint, & quo warranto, & quantum valuerit. § 46. Inquiratur etiam de aer' Ancipitrum, Falcon', Spernariorum in dominico bofco Reg', & qui aerias habent, & qui habere debent, & quo warranto. § 47. Inquiratur etiam qui indictati funt de venatione & aliis transfgreffionibus ferarum vel foreftæ, ubi maneant, & in quo comitatu, & qui funt, & qui eos fcienter receptaverint, & qui vic' vel alii ballivi mercedem receperint, per quod non effent indictati, & quid & quantum ceperint. § 48. Inquiratur etiam qui foreftarii equites vel pedites averia fua propria in paftura Regis, vel alii de licentia foreftar' pofuerint unde Rex proficuum non receperit, & quid & quantum paftura illa valere poffit per annum fi conducta effent pro commodo

modo

modo Reg'. § 49. Inquiratur etiam quid & quantum Rex capere poſſet per annum in boſcis dominicis de herbagio, & maximè in hiis in quibus nemo communicat cum Rege ſalva ſufficienti paſtura ad feras ſuas. § 50. Item, inquiratur quantum ſinguli foreſtar', ſive de feodo fuerint ſive non, in ſingulis balliviis ſuis dederint, vendiderint, vel extrahi permiſerint, vel ad opus ſuum proprium ceperint, de boſcis balliviæ ſuæ ſine ſpeciali mandato Regis, vel capitalis Juſtic' foreſtæ poſt ultima placita foreſtæ. § 51. Item, ſi aliquis qui Rex antiquitùs aut quocunque tempore conceſſerit libertatem, aut liberam chaciam in qua currere poſſit, ſi ea occaſione aliquid dampnum fecerit Regi infra foreſtam ſuam aliquo modo.

De ſententia ſuper Statut'. C A P. 42.

ANno Domini 1253. Idus Maii in majori aula Weſtm' ſub præſentia & aſſenſu Reg' H. Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, Priorum, Comitum, Baronum, Militum, & aliorum magnatum regni Angl', candelis accenſis Epiſcopiq; Pontificalibus ſuis induti, in tranſgreſſores libertatum Eccleſiaſticarum ſeu liberarum conſuetudinum regni Angl', & præcipuè earum quæ continentur in chartis communium libertatum regni & de foreſta, excommunicationis ſententia lata eſt in hac formâ. § 2. Autoritate Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus Sancti, & glorioſæ Dei genetricis, ſemperque Virginis Mariæ, beatorumque Apoſtolorum Petri & Pauli, & omnium Apoſtolorum beati Thomæ Archiepiſcopi & Martyris, omniumque ſanctorum Martyrum, beati Edwardi Reg', omniumque ſanctorum Confeſſorum atq; Virginum, omniumque ſanctorum Dei, excommunicamus, anathematizamus, & liminibus ſanctæ Matris Eccleſiæ ſequeſtramus omnes illos qui aliquo amodo ſcienter & malitioſè Eccleſias privaverint vel ſpoliaverint ſuo jure. § 3. Item, omnes illos qui Eccleſiaſticas libertates vel antiquas regni conſuetudines quæ in chartis communium libertatum & de foreſta conceſſas continentur à domino Rege, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & cæteris Angliæ Prælatis, Com', Baronibus, Militibus, & liberè tenentibus quacunque arte vel ingenio violaverint, infringerint, ſeu diminuerint vel mutaverint, clam vel palam, facto, verbo, vel conſilio, contra illas vel illarum aliquam in quocunque articulo temerè veniendo. § 4. Item omnes illos qui contra eas vel earum aliquam Statuta ediderint, vel edita ſervaverint, conſuetudines introduxerint, vel ſervaverint introductas, Scriptores Statutorum, nec non conſiliarios & executor' qui contra prædicta præſumpſerint judicare; qui omnes & ſinguli ſuperius memorati, hanc ſententiam incurſuros ſe noverint ipſo facto, qui ſcienter aliquid commiſerint de prædictis. § 5. Qui verò ignorant' niſi commoniti infra quindenam à tempore cognitionis ſe correxerint, & arbitrio ordinariorum plenè ſatisfecerint de commiſſis, extunc hac ſententiâ ſint involuti. In cujus memoriam ſempiternam, &c.

De Curia Regis in Comitatu. CAP. 43.

IN comitatu vero est Curia duplex; habet enim Rex Curiam suam & Justic' suam, videlicet vic' cum delegetur ei jurisdictio per breve, per quod recordum habet, cum sibi & non sectatoribus comitatus præcipiatur, quod justè deduci fac'. § 2. Item etiam Cur' sapit naturam Cur' Baron' vel Reg', quæ habetur in aliquo suorum maneriorum, ubi vic' non est nisi Ballivus & Firmarius Regis, ubi judicia per sectatores erunt prolata, q' sine vic' non cum perperam judicaverint puniantur: Sed de hiis quæ ad ipsum vic' pertinent placitanda exempl' causa prius videamus. § 3. In provinciis coram vic' placitari poterit breve de replegiari quod est de vetito namii, quod tale est: Rex vic' salutem: Præcipimus tibi quod justè & sine dilatione replegiari fac' tali averia vel catalla sua quæ talis cepit & injustè detinet, ut dic', & postea ipsum justè deduci fac', ne amplius, &c. § 4. Detentio namque namii pro districtone faciend' in hundred', vel aliis minutis Cur' Baron', vel dominorum returnum brevium non habentium non conceditur terminari, eo quod hujusmodi detentio contra vad' & pleg' fieri non potest, nisi contra pacem Regis, & per consequens contra coronam & dignitatem suam: verum quia placitum illud instantiam desiderat, propter majus dampnum quod evenire posset evitand' de animalibus quæ muta sunt si diu detinerentur inclusa, concessum est quod hujusmodi atrox injuria coram ipsis vic' per breve suum, & coram aliis libertate retornorum brevium gaudentibus possit deduci, & cum necesse fuerit in banco transferri.

De Captione Averiorum. CAP. 44.

OMnia verò quæ contingere possunt contra hujusmodi placitum, consistunt & convertuntur circa duo; circa videlicet captionem, & contra vad' & pleg' detent': Et est omnis captio justa vel injusta; si autem justa sit captio, sicut pro servitio detento ab aliquo qui servitium illud cognoscit, tunc poterit ille qui capit cognoscere captionem illam, nec in tali captione delinquit. § 2. Sed si averia taliter justè capta contra vad' & pleg' fuerint detenta cum petita fuerint per vad' & pleg', præstita securitate de servitio faciendo cum arrerag', vel si alia occasione capta fuerint, tunc de veniendo ad Curiam, & parendo jur', & hoc convictum sit in comitatu, tunc ille qui averia ceperit, incidet in misericordiam vic', & averia sic capta liberabit vic' tali modo, quod ille cujus averia sunt veniat ad curiam domini sui ad rationabilem summonitionem, & ad certum diem responsurus de servitio suo quod cognoverit, & de arrer' illius servitii. Et quo casu oportet, quod dominus defendat defensionem suam, vel concedat: Si autem defenderit detentionem injustam, & querens sectam habeat statim ad manum quæ examinata in omnibus concors fuerit, & quod omnia facta fuerint sub eorum præsentia, tunc vadiabit defendes legem s'duodecim manu, in qua si defecerit, incidit in misericordiam vic', sicut in primo casu, & restituat querenti dampna sua quæ habuerit per illam detentionem. § 3. Si autem legem

legem fecerit dominus, tunc quietus recedet, & querens in misericordia, & nulla dampna recuperabit, & retornabit domino averia capta, & querens satisfaciat statim domino de servitio suo. Si autem captio fuerit injusta, sicuti pro servitio petito quod tenens non cognoscit, & de quo sine præcepto respondere noluerit, tunc oportebit quod ille, qui averia ceperit, respondeat de injusta captione, sive illa injustè contra vad' & pleg' retinuerit, sive non, nisi per breve de pone ad loquel' usque ad magnam Curiam removend' sibi prospexerit, & hoc si querens doceat per certa indicia per sectam sufficientem quod capta fuerint pro servitio quod non cognoscit. § 4. Quia cum aliquis dedixerit servitium petitum, sive debitum & solutum, sive non, cum in placito illo per breve Regis pervenire possit ad duellum, vel ad magnam assisam, manifestè patet, quod nullus liber homo de tali servitio tenetur respondere sine brevi Reg', non magis quam de libero tenemento suo. § 5. Sed quid si dominus recenter fuerit in seisina de servitio de quo contenditur, nunquid poterit tenens illud dedicere, vel deadvocare tenere de eo quotiescunque districtus fuerit, & sic quietus recedere, & dominum suum in misericordia vic' relinquere? Bene poterit, licet servitium debitum vel indebitum fuerit recent' solutum, nisi cautiùs sibi perspexerit ad loquelam ponendum extra comitatum, secundum tenorem hujusmodi constitutionis in Statuto Westm'. § 6. Cum domini feodorum distringentes ten' suos pro servitiis sibi debitis multotiens gravantur per hoc, quod cum tenentes sui districtionem suam per breve, vel sine brevi replegiaverint, ac ipsi domini cum ad querimoniam tenentium suorum ad comitatum vel aliam Curiam habentem potestatem placitandi placita de namio vetito per attachiamentum venerint, & districtionem rationabilem & justam advocaverint, dicentes, quod districxerunt tenentes suos pro servitiis & consuetudinibus eis per eosdem tenentes detentis; & ipsi tenentes ulterius deadvocaverint aliquid tenere de eis, per quod hujusmodi distringentes in misericordia vic' remanserint, & ipsi tenentes sic quieti recesserunt & falso in ipsorum dominorum dampnum & gravamen; verumtamen, quia necessarium fuit hujusmodi injuriis quasi delusoriis debitum apponere remedium, Provisum fuit & statutum, quod cum hujusmodi domini in hujusmodi casibus attachiari contigerint ad querelas & sectas tenentium suorum, pro eo verò quod in hujusmodi curiis plenum remedium consequi non possunt, quod perquirant sibi per commune breve de pone ad ponendum loquelam illam coram Justic' Reg' apud Westm' de Banco, coram quibus & non alibi justitiæ remedium consequi poterint. § 7. Item in quo tamen brevi inseratur hæc causa, Quia talis districxit in feodo pro servitiis & consuetudinibus sibi debitis; quod quidem breve gratis concedatur petentibus: nec per hoc Statutum legi prius usitatæ derogetur, quæ non permisit placitum aliquod poni coram Justic' ad petitionem defendentis; quia licet prima facie videatur tenens actor, & dominus defendens, habito tamen respectu ad hoc, quod dominus districxit, & sequitur pro servitiis & consuetudinibus sibi à retro existentibus, potius apparebit dominus actor sive querens, quàm defendens.

De termino in districtionibus constituto. CAP. 45.

PRovidetur enim aliud remedium in odium malitæ hujusmodi tenentium, quod tale est, Statutum est quod siquis detineat domino servitium vel consuetudinem debitam per biennium, extunc habeat dominus actionem petendi ten' in dominico per tale breve; Rex vic' salutem; Præcipe A. quod justè &c. reddat B. tale ten' in N. quod prædictus A. de eo tenet per tale servitium, & quod ad prædictum B. reverti debet, eò quod prædict' A. in faciendo prædictum servitium per biennium jam cessavit ut dicit; & nisi fecerit &c. Et fiat breve de ingressu hæredi petentis in hoc casu, & fr'i hæredis tenentis super eos quibus forte alienatum fuerit ten'. § 2. Et ut sciant omnes de qua recenti seisina poterint domini advocare districtionem rationabilem super ten' suos, constitutum est quod rationabilis districtio advocari poterit de seisina antecessorum suorum à tempore in brevi novæ disseisinæ comprehenso. § 3. Sed quær' si tenens averia sua replegiata elongaverit quo minus retorn', si quod contigerit judicari domino distringenti, fieri poterit, qualiter ergo consuletur ipsi domino, quo casu revera non erit aliud remedium adhibitum; nisi quod ipsum iterum distringeret, quod hujusmodi dominis grave fuit, nam sic posset illius litis contestatio protrahi in infinitum, & ideo constitutum fuit tale remedium. § 4. Quia aliquando contingit quod tenens postquam replegiaverit averia sua, averia illa vendit & elongat, quo minus retornum inde fieri possit domino distringenti, si retorn' sibi inde adjudicetur, Provisum est & inhibitum nè vic' aut ballivi sui, sive ballivi aliarum curiarum recipiant à conquerentibus solummodo pleg' de brevi prosequend', vel de querela sua prosequend'; sed etiam de averiis retornandis si retornum adjudicetur eorundem, antequam liberationem faciant averiorum. § 5. Et si quis alio modo pleg' ceperit, respondeat deliberator de precio averiorum; ad quod recuperandum provisum fuit tale breve. § 6. Rex vic' salutem, præcipe A. quod justè &c. reddat B. tot averia vel catalla ad valentiam &c. Et si non habeat ballivus unde reddat, reddat superior. § 7. Et quia frequenter contingit quod postquam adjudicatum fuerit distringenti retornum averiorum, & districtus postquam averia sua sic fuerint retornata, iterum averia sua replegiaverit, & cum viderit dominum distringentem comparentem in cur' paratum sibi respondere, defaltam facit, ob quam iterum adjudicabitur domino distringenti retornum averiorum, & sic bis ter, quater, & infinitè replegiabuntur averia, nec habebit judicium, cur' Reg' in hoc casu habebit effectum quod turpe erit; ideò in hujusmodi casu ordinatus est talis processus, quòd quàm cito adjudicatum fuerit distringenti retornum averiorum, per breve de judicio, mandetur vic' quod habere fac' distringenti retornum averiorum, in quo brevi inseratur, quòd vic' illa averia non deliberet sine brevi de judicio, in quo fiet mentio de judicio per Justic' reddito, quod fieri non poterit nisi per breve exiens de rotulis Justic' cor' quibus deducta fuerit loquela. § 8. Cum igitur adierit Justic' & petierit averia sua iterum sibi replegiari, fiat ei breve de judicio, quod vic'

vic' capta securitate de querela quer' prosequenda, & etiam de catallis vel averiis retornand', vel precium eorum, retorn' inde adjudicari contigerit, tunc deliberet ei averia vel catalla prius retornata; & attachietur ille qui distrinxit veniend' ad certum diem cor' Justic', coram quibus deducatur placitum in præsentia partium; & si ille iteratò defaltam fecerit qui replegiaverit, vel si aliqua occasione contigerit retornum districtionis jam bis replegiatæ adjudicari, extunc remaneat districtio illa sicut recuperanti irreplegiabilis; sed si de novo & de nova causa fiat districtio, de nova districtione, idem processus de novo debet observari.

Quod ministri Regis nil capiant pro officio suo faciendo. C A P. 46.

NEc capiant vic' vel alii domini Regis Ministri præmium, vel mercedem, vel aliquid pro officio suo faciendo, quia illud per constitutionem specialiter inhibetur; sed tantùm de feodis suis sint contenti, sub pœna voluntariæ punitionis Regis.

Si averia detineantur in castro Regis. C A P. 47.

SI autem vic' retornaverit quod averia illa inclusa sint in castro, vel in forceletto sint detenti, quo minus, quod jus expostulat, possit exequi, consulitur tunc querenti secundùm formam hujus constitutionis: Si quis averia aliena ad castrum vel forcelettum fugaverit, in cujus clauso ea malitiosè contra vad' & pleg' inclusa detinuerit, postquam solempniter per vic' vel per ballivum Reg' fuerint petita, Provisum est quod vic' vel ballivus ad sectam querentis, assumpto secum posse balliviæ suæ, adeat locum illum, & ea tentet deliberare versus eum qui distrinxit, vel ejus domum vel aliquem de suis, quem in locum quo averia fuerint detenta, inveniri contigerit. § 2. Et si ulterius deforcietur inde deliberatio vel si nullus inveniatur qui inde respondeat, hoc dato, quòd dominus castri legitimè præmuniri possit, quòd ministri Regis, unus vel plures, averia sic inclusa per vadium & pleg' petierint deliberari, sive sit in patria sive extra, dum tamen præmuniri possit per captorem vel per alium de suis, qui ea nihilòminus deliberare contradixerit, extunc liceat domino Regi per tenorem hujus constitutionis quod castrum vel forcelettum hujusmodi prosterni fac', sine spe rædificandi, & dampna habita per culturam impeditam, & quæ alio modo sustinuerit querens, postquam petita fuerit districtio per vic' vel per alium ballivum, in duplum querenti restituantur. § 3. Et si ballivus alicujus habentis libertatem retorn' - brevium, postquam vic' sibi præcept' Reg' vel aliud mandatum ex officio suo dependens, averia, ut prædictum est, detenta non deliberet, vic' extunc habeat ingressum, & fac' quod suum est, sicut prædictum est. § 4. Et eodem modo fiet deliberatio, licet sine brevi, accepta securitate de prosʼ &c. & idem servetur processus, & eadem pœna. Et sciend' quod ista constitutio non se extendit ad loca, in quibus brevia Regis non currunt. § 5. Item provisum fuit apud Marleberg', quòd si

averia alicujus capiantur & injuſtè detineantur, quòd vic' illius com' poſt querimoniam inde ſibi factam, non obſtante impedimento vel contradictione ejus qui averia ceperit, ea deliberari fac' indilatè, dum tamen extra libertatem detenta fuerint; quæ ſi infra libertatem aliquam fuerint detenta, & ballivus libertatis ejuſdem ea deliberare per pleg' noluerit, extunc licebit vic' ex officio ſuo libertatem illam ingredi, & deliberationem facere diſtrictionis. § 5. Si autem tenens conqueratur de injuſta captione & injuſta detentione ſimul & ſemel, bene poterit utramque injuriam, ſi velit, proſequi, per eoſdem teſtes & eandem ſectam; qui ſi fuerint concordes & idonei & ſufficientes, ponere poterit captorem & detentorem ad legem, & vadiata lege habebit diem ad faciend' legem ad proximum comitatum. § 6. Ad quem ſe uterque eſſoniare poterit, ſi voluerit; & ſi ad legem faciend' defuerit aliquis de duodecim conjuratoribus, vel ſi contra ipſos excipi poſſit quod non ſunt idonei ad legem faciend', eò quod villani ſunt vel aliter inſufficientes, tunc dominus incidet in miſericordiam vic', & dampna reſtituet. § 7. Et contingit multoties quod dominus ſalvò poterit defendere detentionem contra vad' & pleg', ſed non injuſtam captionem; & quo caſu uterque incidit in miſericordiam vic', dominus propter injuſtam captionem, & tenens pro falſo clamore de injuſta detentione, quæ legitimè defenditur. § 8. Si autem dominus poſt legem vadiatam defaltam fecerit, diſtringendus eſt, quod veniat ad proximum comitatum auditur' judicium ſuum de defalta ſua; ad quem comitatum ſive venerit ſive non, debet tenens habere averia ſua deliberata, eo quod dominus deficit in lege ſua faciend', & poſt talem diſtrictionem nullum habebit reus eſſonium in odium defaltæ quam fecit. § 9. Officium vero vic' eſt, ſi quis conqueratur de injuſta captione vel detentione injuſta contra vad' & pleg', & cum breve Reg' ſuſceperit, accepta ab eo ſecuritate de proſequendo in propria perſonâ, ſi ad hoc intendere poſſit, accedere ad locum ubi averia vel catalla dicuntur eſſe detenta, vel ſi non poſſit, tunc mittere ſervientem ſuum, & ſtatim cum ſerviens venerit, petat viſum de avariis vel catallis, ubicunque incluſa fuerint & ſi aliquem contradictorem inveniat, qui impediat ipſum quo minus viſum inde habere poſſit, vel manus violentas in ipſum temerè propter hoc; mittentem, ſtatim levet hutes' & clamorem, & cum hutes' capiat hujuſmodi delinquentes, ſicut paci Regis hoſtes & rebelles, quos in gaolam projiciat; quouſque Rex inde ſuam præceperit voluntatem, & averia capta deliberet, ſi inveniantur. § 10. Si autem inveniri non poſſint, eò quòd alibi fugata ſunt fortè, ut extra com', in fraudem fortè, & captor terram habuerit in com', & catalla capiat ſerviens Regis de averiis illius in duplum, nomine wythernamii, & illam diſtrictionem detineat donec averia ſic abducta reducantur. Et ſi captor nullam terram habuerit in com', nec catalla, recurrend' eſt ad poteſtatem Regis, & fiat tale breve: Quia A. fecit nos ſecuros de, &c. vel aliter, Si A. fecerit te ſecur' &c. tunc pone per vad' & ſalvos pleg' B. quod ſit coram Juſticiar' noſtris apud Weſtm' tali die, oſtenſur' quare cepit averia ipſius A. in com' tali, ubi idem B. non habet terr' nec ten' licet hebeat feodum, & ipſa fugavit à prædicto com' uſque ad com'

com' tuum, in fraudem, extra poteſtatem vic' noſtri talis loci, & ibi ea detinet contra pacem noſtram, &c. ut dicit. Eodem modo fiat breve ſi hoc fecerit ad gravamen tenentis ſui, cum in com' ubi tenens degerit, feodum habuerit & capitalem cur', ad quam tenens ſectam debuerit, cum hoc faciat de voluntate, & in fraudem, & non de neceſſitate pro defectu cur', & tunc ſic oſtenſur' quare cepit averia ipſius A. in com' tali, ubi idem A. terr' habet & ten' & cur' capitalem, & ipſa fugavit, &c. ut ſupra. Et ad hujuſmodi malitiam reprimendam conſtituta eſt pœna, prout patet per hoc Statutum: § 11. Proviſum eſt quod nullus averia aliena capiens per ſe vel ſuos notos vel ignotos, extra com' in quo capt' fuerint, fugare præſumat; quod ſi quis fecerit eo ipſo graviter ſit redimendus; Secundum quòd in Statutis bonæ memoriæ H. Regis tertii apud Marleberg' editis continetur. § 12. Eademque pœna hiis qui in alieno feodo diſtringunt infligatur, & graviùs puniantur ſi delicti quantitas hoc exigerit. § 13. Verba autem conſtitutionis de Marleberg' ſunt hæc: Anno Domini 1267. regni autem Regis H. filii Regis Johan' 52. in Octabis Sancti Martini, apud Marleberg', providente ipſo domino Rege ad regni ſui Angliæ meliorationem, & exhibitionem juſtitiæ, prout Regalis officii expoſtulat utilitas, pleniorem, convocatis diſcretioribus ejuſdem regni, tam de minoribus quam de majoribus, ita proviſum eſt & ſtatutum, ac concorditer ordinatum, ut cum regnum Angl', multis tribulationibus & diſſentionibus incommodis nuper depreſſum, reformatione legum & virium, quibus pax & tranquilitas incolarum obſervetur, indigeat, ad quod remedium ſalubre per ipſum Regem & ſuos fideles oportuit adhiberi, proviſiones, ordinationes & ſtatuta ſubſcripta ab omnibus Regis ipſius incolis firmiter inviolabiliterque imperpetuum ſtatuit obſervari. Cum igitur tempore turbationis nuper in regno ſubortæ, & deinceps, multi magnates & alii juſtitiam non dignati fuerunt recipere per Regem & cur' ejus, prout debuerunt & conſueverunt temporibus prædeceſſorum Regis, & etiam tempore ſuo, & etiam de vicinis ſuis & aliis per ſeipſos graves fecerint ultiones & graves diſtrictiones, quouſque redemptiones ceperint ad voluntatem ſuam; Proviſum eſt & concorditer conceſſum, quòd tam majores juſtitiam recipiant & faciant in cur' Reg' quam minores, & quod nullus de cætero cohærtiones vel diſtrictiones faciat propriâ voluntate ſuâ, abſque conſideratione cur' Reg', licet dampnum & injuria ſibi fiat ab aliquo vicino majore vel minore, unde emendas habere voluerit. Et ſuper iſto articulo ita proviſum eſt, concorditerque conceſſum & ordinatum, quod ſi quis de cætero hujuſmodi ultiones capiat per voluntatem ſuam ſine conſideratione Curiæ Regis, & ſuper hoc convincatur, puniatur per redemptionem, & hoc ſecundùm quantitatem delicti. § 14. Et ſimiliter ſi quis ſuper vicinum ſuum diſtrictionem faciat ſine conſideratione Curiæ Regis, per quod damnum accipiat, puniatur eodem modo ut ſupra, & nihilominus fac' inde plenariam reſtitutionem eis per hujuſmodi diſtrictionem de dampnis quæ ſuſtinuerint. § 15. Nullus inſuper major vel minor diſtringat aliquem ad veniendum ad curiam ſuam, qui non ſit de feodo ſuo, aut quòd in ipſum non hebeat juriſdictionem, vel hundred', vel ballivum quæ ſua ſit, vel domin', nec diſtrictionem faciat extra feodum

dum suum sive locum in quo balliviam suam seu jurisdictionem non habeat. § 16. Et qui contra hoc Statutum fecerit, puniatur eodem modo, ut supra, & hoc secundùm qualitatem & quantitatem delicti. § 17. Districtiones etiam sint rationabiles & non nimis graves, & qui districtiones fecerint irrationabiles & indebitas, graviter amercientur propter excessum ipsarum districtionum. § 18. Cum autem vic' vel serviens visum habuerit de averiis captis, sine impedimento & contradictione, statim faciat ea deliberari querenti, & statim det utrique eorum diem ad proximum com', ut ille qui cepit averia, quorum captio dedici non poterit contra recordum vic' vel servientis, sive justa fuerit sive injusta, ostendat rationem, quòd illa justè ceperit, & tunc ille qui queritur, doceat, si possit, quòd injustè: Ad quem com' de jure nullum competeret captori essonium, cum injusta captio & detentio contra vad' & pleg' dici potest quædam robberia contra pacem Reg', & plus quam disseisina. § 19. Cum ergo uterque præsens fuerit in Com', tunc dicat captor quòd justè cepit, & per considerationem cur' suæ pro servitio quod idem querens & tenens suus debuit & injustè detinuit, & inde poterit cur' suam vocare ad warrantum, vel defendere quòd illa nunquam detinuit contra vad' & pleg'. § 20. Ad quod querens respondere poterit, quòd illa injustè cepit & detinuit, quia cum ad curiam ipsius captoris summonitus esset ad respondend' ei de servitio & consuetudinibus, ipse respondet quod nullum tale servitium ei debuit, & judicium petiit si debuit ei inde sine brevi respondere, desicut hoc tetigit liberum tenementum suum, & super hoc nihilominus ceperit idem dominus averia sua, peteret sibi deliberari illa quietè, noluit deliberare; & inde producat sectam sufficientem, scilicet probos homines, qui præsentes fuerint in cur', qui si benè examinati concordes inveniantur, tunc summoneatur cur', quæ cum venerit concordans fuerit cum secta, tunc refert utrum captor districtionem fecerit per judicium cur' vel propria voluntate; si autem per judicium cur', tunc erit curia in misericordia pro falso judicio, & averia remanebunt deliberata. Si autem propriâ voluntate, & Cur' ei defecerit de warrantia, tunc erit ipse dominus in misericordia vic', & averia remanebunt deliberata. § 21. Sed quid si cur' recordetur, quòd querens servitium petitum recognovit, & curia ipsa judicium advocet, & quòd justa fuerit captio propter recognitionem, querens recordum cur', quia esto quod in cur' domini nullum fuit placitum de servitio, & immediatè perventa sit querela ad vic' de injustâ captione, & quo casu quod dominus cognoscat quod justè & pro servitio suo, ut prædictum est, tunc aut querens omnino dedicit quod servitium illud nunquam vel cognovit vel aliquando fecit, sed injustè quia chartam habet quæ ipsum indè acquietet: si autem omninò dedicit, tunc quia vic' non habet ulteriùs potestatem cognoscendi, nec judicare poterit utrum servitium sit debitum vel non, remaneant averia deliberata, & dominus sibi perquirat per breve, si voluerit, quod tenens suus faciat ei recta servitia & consuetudines quæ ei facere solet, si recenter fuer' in seisina & propter seisinam recentem, dicatur, solet, & quo casu recuperabit omnia dampna sua, quia agit tantum super possessione, si amoveat loquelam per pone. § 22. Si autem cognoscat querens quod aliquando fecit ei servitium, sed

ſed injuſtè, tunc quia cognoſcit ſeiſinam domini juſtam vel injuſtam, retornentur averia donec ſatisfecerit domino de ſervitiis quæ cognovit propter ſeiſinam, licet jus non habuerit, & tenens ſibi perquirat per breve, quod non exigat dominus ab eo ſervitia vel conſuetudines quæ facere domino non debet: Et ideo ſi ſeiſina ipſum gravet, liberabit ipſum actio ſuper jure. § 23. Dicere enim poterit captor, quod averia juſtè cepit, quia cum habeat fundum ſuum liberum, ita quod nec iſte querens nec alius communiam in eodem habere poſſit, nec aliquam ſervitutem: Et cum idem querens immiſiſſet averia ſua cum jus non haberet immittendi, & pluries eſſet inhibitum nè immitteret, ipſe nihilominus immiſit contra prohibitionem,& ita cepit averia ſua juſtè,paratus illa retinere ſi vellet ſe ab hujuſmodi injuriâ abſtinere, quod quidem penitus facere hactenus recuſavit, nec voluit averia ſua alio modo recipere. § 24. Ad quod querens quod juſtè, quia ipſe communiam ibi habere debet & ſemper habuit, & hoc paratus eſt docere, ubi & quando, &c. & ex quo noluit illa quietè ſine plegiis dimittere, ideò voluit pleg' tali modo invenire. Et quia vic' non habet poteſtatem procedendi ulterius, remaneant in hoc caſu averia deliberata, & ſi querens uti voluerit cum jus non habeat, ſi dominus aliter defendere non poſſit,habeat breve cōtra ipſum de nova diſſeiſina de libero tenemento ſuo, & ſi querens jus habeat utendi, & dominus hoc non permittat, habeat breve contra dominum de communia paſturæ ſuæ. § 25. Item dicere poterit captor quod juſtè cepit averia ſua, quia invenit illa in dampno ſuo,& ſecundùm conſuetudines regni impercavit illa donec dampnum ſuum fuerit emendatum, & non alio modo, & ipſe querens noluit dampnum emendare nec ſecuritatem dare,vel quod nunquam illa petiit per pleg',vel ſi petierit,oblata fuerint ei tali modo,ut prædictum eſt,& inde producat ſectam; & ſi querens hoc negaverit,præciſè defendat ſe per legem; vel ſi dicat quod prædicta occaſione capta fuerint & juſtè, tamen retenta fuerint injuſtè contra vad' & pleg', quia ille querens venit ad captorem cum probis hominibus, & coram eis paratus emendare ei dampnum ſuum per viſum eorundem, & ipſe hoc recuſavit, & nihilominus averia ſua detinuit injuſtè & contra vad' & pleg', & ſi ad hoc ducat ſectam ſufficientem, & ille captor ſe defendere voluerit, vadiet legem, & ſic ex utraque parte poterint leges vadiari. § 26. Item, ſi querens dicat quòd injuſtè cepit averia, quia nullum dampnum ei fecerunt, & cum obtuliſſet ei ſatisfacere de dampno, nullum dampnum ei oſtendat, quo caſu oportet quòd captor ſectam producat ſufficientem, quòd illa cepit in dampno ſuo. § 27. Item juſtè, quia pro ſervitio ſuo recognito ſed injuſtè retento. § 28. Si autem ad ſervitium, reſpondeat querens cum illud recognoverit quod averia injuſtè capta ſint, quia totum fecit ſervitium, ita quod ei nihil à retro ſit, tunc indè ſi habeat ſectam ſufficientem, quæ ſufficiat ad probationem, injuſta erit captio, eo quod captor per legem ſe defendere non poterit. § 29. Item dicere poterit captor, quòd juſtè, quia quidam talis quæſtus fuit de querente de tali injuria, ſicut de verberibus vel alio delicto ſine brevi, & unde talis ſummonitus fuit quòd ſit ad talem diem certum, &c. indè reſponſur'. Ad quem diem non venit, nec

eſſon';

esson'; & ita per considerationem cur' captoris districtus fuit quod esset, &c. ad alium diem, ad quem diem non venit, propter quod per considerationem ejusdem cur' præc' fuit quod averia primò capta retinerentur, & caperentur plura: Ita per judicium justè capta fuerunt, & non detenta injustè contra vad' & pleg', quia nunquam petita. § 30. Vel sic, cum primo post summonitionem capta essent averia pro defalta ipsius querentis, & petita per pleg', ei deliberata essent per sic quod veniret ad alium diem rationabilem inde responsur'; & nisi veniret, quod averia sua retornarentur. Ipse ad diem illum non venit, ad quem retornata fuerint averia per defaltam suam, & ita justè capta: ad quæ respondeat querens quod injustè, & ostendat suam rationem; & sic justè capi poterunt averia vel injustè assignatâ ratione, & quo casu semper inquirend' erit qua occasione capta fuerint, & sive justè capta fuer' sive injustè, tamen contra vad' & pleg' denegari non debent, dum tamen ille cujus fuerint, paratus sit facere quod de jure facere debeat. Injusta autem captio emendari poterit per vicinos, injusta autem detentio non, quia hoc est manifestè contra pacem Regis & contra Coronam suam; vadium autem pacem significat, qui ergo vad' refutat, paci contrarius esse videtur. § 31. Sed quid si serviens alicujus dominii ceperit averia alicujus tenentis domini sui, & ipse tenens conqueratur de serviente illo, quod averia sua injustè ceperit, & contra vad' & pleg' detinuerit, & serviens cur' domini sui inde vocaverit ad warrantum, & cur' illa ipsum warrantizaverit pro servitio domino debito, quod tamen dominus non cognovit, & quo casu quietus recedet serviens, nec onerabitur cur'; sed nunquam poterit curia sine domino respondere, cum servitium tangat ipsum dominum, imo ita quòd judicium curiæ emendetur. § 32. Si averia capiantur per servientem sine judicio curiæ domini, & postea petita fuerint ab ipso domino cum præsens fuerit, & ipse ea vetuerit per vad' & pleg', uterque tenebitur, serviens pro captione, & dominus de vetito. Et licet dominus advocaverit captionem, servientem tamen non liberat sed onerat seipsum, & uterque tenebitur de facto servientis; serviens quia cepit, & dominus superior quia advocavit injuriam servientis, & quia vetuit. § 33. Item sunt quidam qui dicunt quod non tenetur quis respondere de vetito priusquam convincatur captio injusta vel justa, sed tamen aliud erit si tamen omnino fuerit captio, quia ubi nihil captum, nihil omninò erit ex eo vetitum: Item si captum & nil petitum, tunc non erit aliquid vetitum. § 34. Item, esto quod nil actum sit per cur' nec per dominum cur' sed tantum per servientem, ut si serviens sine domino & sine cur' talliaverit tenentes qui sunt liberi, vel saltem dicant se esse liberos cum sint servi, vel ipsos talliaverit pro filio domini primogenito milite faciendo, vel filia domini primogenita maritand' citius quam debent talliari, vel si sectam indebitam petierit, vel si aliquis querelam fecerit de aliquo tenente ipso serviente procurante ut tenentem sic gravet, & postea auctoritate propria fecerit districtionem, & averia ad querelam tenentium fuerint deliberata per vic' ad vad' & pleg', & querela facta sit tantum de serviente sine domino, queritur an serviens respondere possit & debeat sine domino, & rem in judicio deducere sine eo, & quo

casu

casu inquired' est à domino, utrum factum servientis sui advocaverit vel non: si autem non, tunc poterit ipse dominus hoc emendare; quod si advocaverit vel non emendaverit, extunc facit injuriam illam suam propriam, si injuria fuerit; & cum advocaverit poterit descendere ad inquisitionem de tallagio, utrum justè petatur vel injustè, præcipuè si cautela fuerit ad magnam cur' remota. § 35. Cum autem averia semel per judicium comit' fuere deliberata, capi non debent pro eodem antequam placitum primæ captionis terminetur; quæ si iterum capiantur, vic' ea iterum deliberari faciat, cum dampno capientis per tale breve. § 36. Rex vic' salutem; Monstravit nobis A. quod cum ipse breve nostrum nuper detulisset tibi de averiis suis replegiandis, quæ B. cepit & injustè detinuit ut dicit, & tu eadem averia eidem A. replegiasses, & ei dedisses diem ad proximum com' tuum,& prædictum B. attachiasses ad respondend' super hoc eidem A. prædictus B. post attachiamentum illud averia ejusdem A. ceperit iterum eadem occasione, vel alicujus quod tangit illud principale placitum,& illa detinet sicut prius; & quia hoc est manifestè contra pacem nostram, tibi præcipimus quod averia ipsius A. deliberari fac' quousque principale placitum inde inter eos pendens terminetur: Et si inveneris quod præd' B. averia ipsius A. iterum ceperit ea occasione quia illa prius cepit, & idem A. fecerit te,&c. & tunc habeas coram Justiciar', &c. corpus ipsius B. ad respon' præd' A.de secunda captione, & habeas ibi,&c. § 37. Et unde si prima captio justa est sive injusta,secunda omninò erit injuriosa: Vel aliter sic; Et si inveneris quod præd' B. averia ipsius A.iterum ceperit ea occasione quâ prius ceperat, tunc corpus prædicti habeas coram te & coram custodibus placitorum Coronæ nostræ ad proximum com' tuum;Et si per ballivos tuos per quos averia dicti A. secundò replegiata fuer', & per alios legales convinci poterit de secunda captione, & pro una eademque occasione, tùnc præd' B. ita castiges per gravem misericordiam, ut castigatio illa in casu consimili aliis timorem præbeat delinquendi, & quo casu semper oportebit quod inculpatus defendat servi captionem & defensionem & dampnum, & totum secundum quod fuerit inculpatus contra querentem & contra sectam suam, & sectam producit sufficientem, cum ei non sit credend' ad simplicem vocem suam; & si sectam produxerit, tunc per legem suam se defendat propter sectam. § 38. Poterit tamen inculpatus ita recipere & respondere, quod uterque onerabitur ad sectam producendam, & cum hinc & inde fuerit diligenter examinat' pro ea judicabitur quæ veri probabilior & verisimilior esse probabitur. Sed si secta examinata non concordet, nec deponat secundum intentionem querentis, quia fortè dicit contrarium vel diversum, vel quia nihil scit nisi de auditu, vel quia nihil actum fuit in præsentia eorum qui producti fuerint, tunc ille de quo queritur recedat sine die.

Per quæ averia non debet quis distringi. CAP. 48.

ET sciend' quod pro communi utilitate regni inhibitũ fuit nè quis distringeret alium per oves suas,vel per averia carucarum suarum,quamdiu alia sufficiens districtio inveniri possit; & quo casu provisum fuit hoc breve.

§ 2. Rex vic' salutem: Si A. fecerit te, &c. tunc summon' per bonos summon', &c. B. quod sit, &c. ad ostendend' quare cum ad utilitatem regni nostri statuerimus quod nullus distringatur per averia carucarum suarum, vel per oves suas pro debito nostro aut alieno, dum alia inventa fuerint, secundùm legem & consuetudinem Regni nostri, imparcari contigerit præd' B. oves ipsius A. cepit contra formam Statuti præd', & eas imparcavit, & adhuc detinet ad grave dampnum ipsius A. ut dicit, & habeas, &c. § 3. Sunt etiam catalla quæ aliquando petuntur sub nomine averiorum, cum quis in solo alieno opus fecerit manificum, ut si hawyaverit, fossatum fecerit, vel carucam immiserit, & hujusmodi, utensilia vel caruca capiantur, & per vadii & plegiorum oblationem petantur & vetentur, & vic' vel ballivus ad querelam cujus fuer' illa deliberaverit usque ad com', ubi cum captor dixerit quod justè capta sint propter opus manificum quod fecit in fundo suo contra voluntatem suam, & alius dicat fundum illum esse suum quia hoc tangit liberum tenement', nec poterit sciri quis eorum dominus sit, nec comitatus potestatem habet cognoscendi, & tunc recurrend' erit ad assisas novæ disseisinæ per illum qui queritur, & retornentur utensilia & averia sic capta, & ante captionem assisæ non deliberentur; & sic fiat in similibus.

Exceptiones in captionis actione. CAP. 49.

POssùnt enim captiones advocari, eò quod dici poterit quod averia capta fuerunt in loco certo in dampno suo, ut in prato, vel alibi in suo separali. Item in qualibet captione tria principaliter requiruntur; videlicet certus locus, certa causa propter quam facta fuit, captio & seisina alicujus. § 2. Item quia duo homines qui averia duxerunt debuer' venisse ad tractand' de pace & non venerint. § 3. Item quia querens esse debet præpositus suus vel pro arrerag' homagii, vel relevii, vel scutagii, vel alterius hujusmodi servitii, vel pro defalta quam fecerit in curia domini, vel pro auxilio ad primogenitum filium militem faciend', vel primogenitam filiam suam maritand'. § 4. Item ubi plures tulere breve de captione averiorum in communi oportet quod quilibet habeat averium captum, vel cadet breve, vel peti poterit judicium deficut quilibet habet personalem actionem. § 5. Item peti poterit judicium deficut breve impetratum fuit priusquam captio averiorum petitorum esset facta, si causa sit vera. § 6. Item dici poterit quod captio facta non fuit die in narratione ostensa, quo probata cadet breve. § 7. Item peti poterit judicium de advocatione deficut ipse vel ejus antecessores antequam fuerit in seis. de eodem redditu per manum ipsius tenent' vel ejus antecessoris. § 8. Item deficut captionem advocat esse justam pro relevio, & non cepit homagium judicium. § 9. Item ex parte tenentis si vera sit responsio optimè respondebitur, & præcisè deadvocaverit aliquid ten' de ipso distringente tenere; quod dupliciter poterit intelligi, videlicet quod distringens nullum feodum habet in ten' in quo districtio facta fuit, & sic puniendus est per istas constitutiones. § 10. De magnatibus & eorum ballivis & aliis exceptis ministris Regis, quibus ad hoc autoritas data est, qui ad querimoniam aliquorum vel autoritate propria attachiant alios per

bona

bona eorum, qui per eandem poteſtatem & juriſdictionem venerunt ad reſpondend' coram eis de contractibus & conventionibus & tranſgreſſionibus factis extra eorum poteſtatem & juriſdictionem, ubi nihil tenent de eis, nec ſunt de libertate eorum aut juriſdictione: Statutum eſt quod ſi quis de hujuſmodi convictus fuerit, reddat querenti dampna in duplo, ac etiam graviter amerciętur. § 11. Inhibitum autem fuit apud Marleberg' & proviſum quod nulli liceat extra feodum ſuum diſtringere, nec communi via, nec ſtrata regali, præterquam domino Regi & Miniſtris ſuis; quod ſi quis temerè fecerit, ſuccurritur querenti per tale breve. § 12. Rex vic' ſalutem: Si A. fecerit te, &c. tunc pone per vad', &c. B. quod ſit coram, &c. oſtenſur' quare quendam equum precii quadraginta ſolidor' in quadam terra ejuſdem A. apud N. inventum paſcentem cepit, & captum ſine cibo & potu detinuit, donec ſemi mortuus eſſet, non permittens equum illum eidem A. replegiari ſecundum legem & conſuetudinem Regni noſtri, & alia enormia ei intulit ad grave dampnum ipſius A. & contra pacem noſtram, & habeas, &c. § 13. Aliter ſic: Si A. fecerit te, &c. oſtenſur' quare intravit quoddam ten' prædicti A. in N. quod de nobis tenuit in capite, vel de feodo talis honoris, vel de feodo alicujus talis ubi nihil de præd' B. tenet aut tenere clamat, & averia ipſius A. cepit, & ea fugavit extra feodum noſtrum, vel ipſius talis, uſque ad locum talem, & ea ibidem jam per menſes tres detinuit & adhuc detinet, non permittens ea replegiari, facias & habeas, &c. § 14. Vel aliter ſic oſtenſur' quare cum idem A. nihil de eo tenet nec tenere clamat, et idem B. averia præd' A. in quadam communi paſtur' in N. paſcentia extra feodum ipſius B. cepit, & ea fugavit, &c. & habeas, &c. § 15. Item quia ballivi ad quos ex officio ſuo pertinet diſtrictiones facere gravare volentes ſibi ſubditos mittunt ignotos ad diſtrictiones faciend', ea intentione ut quoſdam ſic gravent, pro eo fortè quod ſic diſtricti non habentes notitiam perſonarum hujuſmodi diſtringent, non permittunt hujuſmodi diſtrictiones ſuper eos fieri, ut ſic oriatur eis actio malitioſa, ut pecuniam ab aliquibus ſic extorqueant. § 16. Proviſum eſt quod nulla diſtrictio fiat per ballivos Reg', niſi jurati fuerint & noti; & ſi quis alio modo diſtrinxerit, & de hoc convincatur ad ſectam diſtricti, cui in hoc caſu conſulitur per breve de tranſgreſſione, dampna reddat gravato, & verſus Regem graviter punietur: Vel poterit intelligi deadvocatio, quod & quamvis feodum habuerit diſtringens in tenement' diſtricti, tamen ipſe tenens non tenet de eo in uno de alio qui medius eſt inter diſtringentem & diſtrictum, & quoniam quandoque melius eſt in tali caſu & tutius tenenti warrantum vocare, ſcilicet quod faciat medium acquietare ipſum diſtrictum, & defendere verſus dominum diſtringentem, quam in perſonam ſuam periculum defenſionis ſuſcipere, cum plures fortè, & aliæ competant quam tenenti, ideò de medio dicendùm eſt.

De Medio. CAP. 50.

CUm autem capitalis dominus distrinxit in feodo pro servitiis & consuetudinibus sibi debitis, ac quidam medius fuerit qui tenentem acquietare debuerit, cum non jacuerit in ore tenentis postquam districtionem replegiaverit dedicere demandam domini capital' advocaverit in Curia Regis districtionem justam super tenentem suum, videlicet super medium. § 2. Multi per hujusmodi districtionem frequenter gravati extiterunt temporibus retroactis, per hoc quod medius licet habuit per quod potuit distringi, magnas tamen fecerit dilationes antequam ad Cur' venerit ad respondend' tenenti suo ad breve de medio, per hoc etiam quod durius fuit quando medius fortè nihil habuit; in casu etiam quando si tenens paratus esset facere capitali domino consuetudines & servitia exacta, & capital' dominus hujusmodi consuetudines sibi debitas renuebat recipere per manus alterius quàm per manus proximi tenentis sui, scilicet medii, & sic amiserint hujusmodi tenentes in dominico proficua terr' suarum aliquando ad tempus, & aliquando toto tempore suo, nec fuit in hoc casu aliquod remedium debitum provisum: Ordinatum est & provisum in hoc casu remedium in hac formâ, quod quam cito hujusmodi tenens in dominico habens medium inter ipsum & capitalem dominum qui ipsum de aliquo servitio acquietare teneatur, & ille tenens distringatur, statim perquirat sibi ille tenens breve de medio, quod tale est. § 3. Rex vic' salutem: Præcipimus tibi quod justicies A. quod justè & sine dilatione acquietet B. de servitio quod C. ab eo exigit de libero tenemento suo quod de præd' A. tenet in N. & unde idem A. qui medius est inter eos eum acquietare debet, ut dicit, & unde queritur quod pro defectu ejus distringitur, sicut rationabiliter monstrare poterit quod eum acquietare debeat ne amplius, &c. Et sciend' quod breve de medio nisi in comit' et libertatibus habentibus retorna brevium, et coram Justiciar' de banco non conceditur placitari. Nec cessant districtiones super te ientem, licet hoc breve impetraverit super dominum suum, scilicet medium, eo quod capitalis dominus feodi secundum consuetudinem regni semper habet recursum ad feodum suum distringend' pro arrerag' servitii sui. § 4. Si autem perquisierint breve suum immediatè coram Justic' de banco, tunc sic: Rex vic' salutem; Præcipe A. quod justè, &c. acquietat B. de servitio quod C. exigit de libero tenemento suo quod de præd' A. tenet in N. &c. Et nisi fecerit, &c. § 5. Si autem medius sit paratus ipsum tenentem acquietare de servitio quod capitalis dominus ab eo exigit, tunc secundùm æquitatem juris subvenietur ten' per breve, videlicet quod capitalis dominus desistat; quod tale est: Rex vicecomiti salutem; Monstravit nobis B. quod cum tenet de A. quandam terram in N. de feodo C. capital' domini feodi illius, ac idem A. qui medius est inter præfatum B. & C. paratus sit acquietare præfatum B. de servitio quod prædictus C. ab eo exigit: idem C. licet præfat' A. coram te se pluries obtulerit ad quietand' ipsum B. de servitio prædicto, nihilominus prædictum B. & homines suos malitiose distringit pro servitio supradicto: Et quia hoc injustum est, & contra consuetudines regni nostri, tibi præcipimus,

pimus, quod si ita est, tunc non permittas ipsum C. vel homines suos præfatum B. distringere, nec de cætero vexare occasione prædict. &c. § 6. Si autem medius in eodem com' habens terram diffugerit, distringatur usque ad magnam districtionem, & detur querenti in brevi suo de magna districtione talis dies, ante cujus adventum duo teneantur com', & præcipiatur vic' quod distringat medium per magnam districtionem, prout in brevi continebitur; & nihilominus præd vic' in duobus præd' com' solempniter proclamar' fac', quod hujusmodi medius veniat ad diem in brevi contentum responsur' tenenti suo: Ad quem diem si venerit, procedat placitum inter eos modo consueto; & si non venerit, amittat hujusmodi medius servitium tenentis sui imperpetuum, & ulterius non respondeat ei tenens in aliquo. Sed omisso illo medio capitali domino, acapitet, & ei respondeat de eisdem servitiis & consuetudinibus quæ prædicto medio prius facere consuevit: Nec liceat hujusmodi capitali domino ulterius ipsum tenentem distringere, dum prædictus tenens se offerat acapitare ei, & facere ei servitia debita & consueta de quantitate sui tenementi. Et si capitalis dominus exigit plus quam medius ei facere debet, habeat tenens in hoc casu exceptionem contra ipsum dominum, qualem haberet medius. § 7. Si medius verò nihil habeat in potestate Regis, nihilominus perquirat sibi tenens breve de medio ad vic' illius com' in quo distringitur. Et si vic' retornaverit quod medius nihil habet in ballivia sua ubi potest summoniri, nihilominus sequatur tenens breve de attachiamento: Et si vic' retornaverit quod medius nihil habet in ballivia sua per quod potest attachiari vel distringi, nihilominus sequatur breve de magna districtione, & fiat proclamatio in forma prædicta. § 8. Si autem habeat medius terram in alio com', & non in illo in quo fit districtio hujusmodi, tunc sic; primò exea breve originale de medio ad vic' com' in quo fit districtio; Et cum retornatum fuerit per ipsum vic' quod nihil habet in com' suo, tunc exeat breve judiciale ad summonend' medium ad instantiam petentis ad vic' com', in quo petens dicet ipsum medium terram habere; & in illo com' fiat secta quousque perveniatur ad magnam districtionem, & fiat proclamatio, sicut superius dictum est de medio habente terram in com' in quo fit districtio, & nihilominus fiat secta in com' in quo nihil habet, sicut dictum est supra de medio nihil habente, quousque perveniatur ad magnam districtionem & proclamationem. Et sic post proclamationem in utroque com' factam, abjudicetur medius de feodo & servitio suo. Et cum aliquando contingat quod tenens in dominico feoffatus sit ad tenend' per minus servitium quàm medius facere debuit capitali domino, tamen post hujusmodi proclamationem attornatus sit tenens capitali domino omisso medio, & necesse habebit tenens respondere capitali domino de consuetudinibus & servitiis quæ medius domino prius facere debuit. § 9. Cum autem medius venerit & offerat se liti, petere poterit à tenente suo quid habeat quod obliget ipsum ad acquietantiam; Et si nihil tunc habeat promptum, recedet medius sine die de brevi illo, & tenens in misericordia remanebit, & perquirat sibi per aliud consimile breve si velit; & si cartam vel instrumentum protulit, per quam dicit ipsum

ad

ad acquietantiam obligari, dicere poterit medius, quod obligator habuit tres filias, quas omnes conjunctim obligavit ad acquietantiam tanquam hæredes suos pariter in genere, & nullum specialiter divisim; & cum ipse medius exiverit ex una filiarum prædictarum, & aliæ quæ superstites fuerint consimiliter teneantur ad acquietantiam quæ non nominantur in brevi, petere poterit judicium si ipse solus ad illum acquietand' debeat convocari; quo recognito vel probato, cadet breve. § 10. Vel dicere poterit quod non tenetur ipsum acquietare quia nunquam voluit ei facere fidelitatem nec aliquod servitium, sed semper hucusque dedixit tenere de eo, quo probato cadit breve. § 11. Cum autem nihil sit quòd excipi possit ex parte medii, si cognoverit quod acquietare debet tenentem suum, vel si aliter convincatur, tunc adjudicetur ad acquietantiam. § 12. Et quid si ipsum non acquietaverit post judicium, sed superséderit ut prius, nunquid reincipiendus erit primus processus? Super quo constitutum est sic, Quod si post judicium præmissorum querimonia pervenerit quod medius non acquietet suum tenentem sicuti adjudicatum fuerit, tunc exeat breve de judicio vic', quod vic' distringat medium ad acquietand' ten' suum, & ad essend' coram Justiciar' apud Westm' ad certum diem, ad ostendend' quare eum prius non acquietavit. Et cum venerit medius in cur', audiatur querens, qui si verificare possit quòd ille medius ipsum tenentem non acquietaverit, medius ille adjudicetur satisfacere querenti de dampnis, & quod ipse querens recedat quietus de suo medio imperpetuum, & domino capitali distringenti attornetur. § 13. Et si ad primàm districtionem non venerit, exeat breve de alia districtione, & fiant proclamationes & processus ut supra; & postquam testificata fuerit proclamatio per retornum vic' procedatur ad judicium, ut supra. § 14. Et sciend' quod per hanc constitutionem non excluduntur tenentes, quin habeant recuperare suum de warantiis habendis & escambiis versus dominos suos, medios, & eorum hæredes, si de tenementis suis ipsos contigerit implacitari, secundum quod habere consueverunt: nec etiam exclusi sint tenentes hujusmodi, quin sequi valeant versus medios suos, secundum consuetudinem antiquam si voluerint. § 15. Et notand' quod per hoc Statutum non providetur quibuscunque mediis, sed solummodo in casu cum sit unus medius tantum inter dominum distringentem & tenentem, & in casu quando medius ille est plenæ ætatis & sui juris, & etiam in casu quando tenens sine præjudicio alterius quam medii attornare se poterit capitali domino. Quod dictum est de mulieribus tenentibus in dotem, vel aliter per legem Angl', vel aliter ad terminum vitæ, vel per feodum talliat, & hujusmodi. § 16. Solent autem quidam tenentes per aliquem annuum reditum acapitare Templariis vel Hospitelariis, & in ten' suis cruces erigere, advocantes ten' illa esse de eorum feod', ut sic contra dominos suos pro servitiis sibi debitis distringentes injustè tuerentur per privileg' prædictorum Templariorum & Hospitelariorum. § 17. Et quo casu constitutum fuit sic: § 18. Quia multi tenentes erigunt cruces in ædificiis suis & ten', in præjudicium dominorum suorum, ut ten' hujusmodi per privilegia Templariorum & Hospitelar' tueri possint contra capitales dominos feodorum,

rum, Statutum eſt quod hujuſmodi ten' Regi aut capitalibus dominis incurrantur. § 19. Quia multa gravamina multis inferuntur per diverſas diſtrictiones, quæ quidem ſub colore priſarum advocantur, providentur remedia per hæc ſtatuta. § 20. Inhibetur in magna charta de libertatibus, nè aliquis conſtabular' vel ballivus blada capiat, vel catalla alicujus qui non ſit de villa ubi caſtrum ſitum eſt, niſi ſtatim proinde reddat denar', aut aliter ſatisfaciat, niſi de voluntate venditoris inde reſpectum habeat,& tunc ſi venditor fuerit extraneus, ſtatim ſibi ſatisfiat: ſi autem de villa in qua ſitum eſt caſtrum, tunc infra quadraginta dies precium inde ſibi reddatur. § 21. Item nullæ priſæ capiantur de aliquo per aliquem conſtabularium caſtellanum præterquam de villa in qua ſitum ſit caſtrum,& illis ſatisfactum ſit infra quadraginta dies, ſicut dictum eſt, niſi ſint priſæ antiquæ debitæ Regi, aut domino caſtri, aut caſtro debendæ. § 22. Proviſum eſt etiam & præceptum quod omnes per averia ſua pro debito Reg', vel ſervitio alterius, vel aliter diſtricti,hujuſmodi averia ſua de ſuo proprio ſine impedimento depaſcant dum fuerint imparcata, nec pro eorum cuſtodia aliquid tribuere compellantur. § 23. Item inhibetur nè quis hujuſmodi diſtrictiones infra quindecim dies à tempore captionis ſine aſſenſu diſtricti vendere præſumat vel aſſignare. § 24. Item conceſſum eſt quod ſi diſtrictus talliam ſolutionis de ſcaccario de eadem demanda protulerit, extunc ceſſet diſtrictio pro portione in tallia contenta. Si autem talliam vic' alicujus protulerit vel ballivi ſuper rei petitæ ſolutione, tunc inventis plegiis quod in proximo compoto vic in ſcaccario præſentialiter comparebit, & ſtatim attachietur ille vel ejus hæres qui diſtrictum acquietaſſe debuit, quod tunc ſit ibi ad eundem terminum, ut utrique tunc quod jus popoſcerit exhibeatur, & interim ab omni diſtrictione ſit quietus; & habeat ibi vic' nomina plegiorum. § 25. Proviſum eſt etiam quod nemo per beſtias per quas terras ſuas excoluerit, vel per oves ſuas diſtringatur pro debito Regis vel alieno, dum tamen alia diſtrictio ſufficiens pro petitionis portione poterit inveniri, exceptis averiis in alieno dampno inventis. § 26. Et conceſſum eſt & præcept' quod omnia debita per receptores in toto vel in parte recognita ſtatim ſint allocata, ita quod de cætero non veniat ſolut' in extractis. § 27. Item in magna charta libertatum continetur, quod equi vel carectæ alicujus non capiantur per aliquem ad cariagium faciend', niſi proinde reddatur liberatio antiquitùs conſtituta, videlicet pro carecta cum duobus equis decem denar' per diem, & ſi tres fuerint equi tunc quatuordecim denar', & ſic ulterius. Et ſciend' quod prohibitum eſt ſub pœna excommunicationis nè capiatur carecta dominica alicujus eccleſiaſticæ perſonæ, militis, vel dominæ. § 28. Item inhibitum eſt quod nullus conſtabularius diſtringat aliquem militem ad dand' denar' pro cuſtodia caſtri, dum ipſe in propria perſona, vel per alium probum hominem illud cuſtodire voluerit; quem ſi dominus Rex duxerit vel miſerit in exercitum, extunc erit quietus de cuſtodia ſecundum quantitatem temporis moræ ſuæ ibidem, de feodo videlicet pro quo fecit ſervitium in exercitu. § 29. Item inhibitum eſt nè boſcus alienus capiatur ad caſtrum Regis, vel alia inde faciend', niſi per voluntatem

ipſius

ipsius cujus boscus ille fuerit. § 3. Item inhibitum est nè quis in villis marchandiis quæ dimissæ sunt, & commissæ ad feodi firmam, indebita & injusta capiant theolonia; quod si quis fecerit, extunc eo ipso capiet Rex libertatem mercati in manum suam: Eodem modo faciet Rex, licet in alterius villa præmissa fieri contigerit. Et si ballivus hoc fecerit sine voluntate domini sui, reddat tantum querenti quantum cepisset ballivus ab eo, si theolnetum asportasset, & nihilominus habeat prisonam quadraginta dierum. § 31. Item qui muragium ad villam claudend' gravius, ceperint quam concessum fuit per chartam Regis, perdant extunc gratiam suæ concessionis, & graviter amercientur.

De nativis Regis recuperandis. CAP. 51.

IN provinciis coram vic' terminari poterit quæstio status per breve de nativis, quod tale est: Rex vic' salutem; Præcipimus tibi quod justè sine dilatione habere fac' A. de B. C. nativum & fugitivum suum cum omnibus catallis suis, & tota sequela sua, ubicunque inventus fuerit in ballivia tua, nisi in dominico nostro à coronatione domini H. Reg' tertii: Et prohibemus super forisfacturam nostram, nè quis eum injustè detineat; Teste &c. § 2. Si autem ille qui petitur excipiendo se dicat liberum, & coram Justiciar' Regis in adventu ipsorum se liberum esse probaturum paratum, pacem habebit usque ad adventum ipsorum per tale breve, nisi sine brevi allocetur ei exceptio prenotata. § 3. Rex vic' salutem: Monstravit nobis A. quod cum liber homo sit, & paratus libertatem suam probare, B. de C. clamans ipsum A. nativum suum, vexat eum injustè; & ideò tibi præcipimus, quod si prædictus A. fecerit te secur' de libertate sua probanda, tunc ponas loquelam illam coram Justiciar' nostris ad primas assisas cum in partes illas venerint, quia hujus probatio non pertinet ad te capienda, & interim præfato C. pacem inde habere facias: Et dic præfato A. quod tunc sit ibi loquelam illam versus prædictum C. prosecutur' si voluerit. Et habeas ibi nomina plegiorum & hoc breve, T. &c. In brevi autem superiori non debent poni nisi duo nativi ad plus, & hoc fuit constitutum in odium servitutis. In brevi verò de pace possunt poni quotquot voluerit impetrator, & hoc in favorem libertatis. § 4. Si autem clericus factus fuerit vel miles, obstabit petenti exceptio privilegii donec degradetur; si autem degradari non possit, ac bona eorum sufficiant ad satisfactionem dampnorum, respondeant ipsi per quos ad tales ordines absque licentia fuerint promoti. § 5. Inhibitum est enim, & in decretalibus statutum, quod nullus Episcopus spurios aut servos, donec à dominis suis fuerint manumissi, ad sacros ordines promovere præsumat. Et alibi habetur, Nullum vilem personam natione spurium, vel servilis conditionis, ad militiæ strenuitatis ordinem promovere licebit, sed cum à dominis suis petantur ut nativi, ipsis primò degradatis, statim ad judicium procedatur. § 6. Si quis verò servus dominum suum fugiens & latitans, vel testibus adhibitis conductis, & munere corruptis, aut quacunque calliditate vel fraude ad gradus Ecclesiasticos pervenerit, decretum est ut deponatur, & dominus ejus eum recipiat in servitutem

tutem. Si autem avus vel pater ab una patria in aliam migrans filium genuerit, ac idem filius ibidem educatus, ad gradus ecclesiasticos promotus fuerit, ubi ignotus sit an liber sit vel servus, ac postea veniens dominus & legibus eum acquisierit; sciend' est ut si dominus ei libertatem dare voluerit, in gradu suo permaneat; & si eum catenis servitutis à nostris dominicis abstinere voluerit, gradum amittat, quia juxta sacros ordines canon' vilis persona manens, Sacerdotii dignitate fungi non potest. § 2. Si quis etiam quenquam de servis suis permiserit literis edoceri, libertatem donaverit eidem, ac per ejus fuerit intercessionem ab Episcopo presbyteratus, illeque in superbiam illatus missam dominis suis erga Episcopum & Canonicas horas observare & psallere noluerit, nec mandatis eorum justè obedire, dicens se liberum esse, & tanquam liber, cujus homo voluerit fiet; hunc sancta Synodus anathematizat, eumque à communione artium indicat, donec resipiscat, & domino suo obediat secundum canonica præcepta. Si autem obstinato animo hoc contempserit, & apud Episcopum accusetur qui eum ordinavit, degradetur, & fiat servus domini sui, sicut natus fuit. Et eodem moda fiat de milite non manumisso elato, quem catena ingratitudinis erga dominum constrinxerit. § 8. Et si talis manserit in dominica terra, vel dominica villa Reg' per unum annum sine calumpnia ipsius A. sic obstabit petenti exceptio per negligentiam & dissimulationem suam. Et si per minus tempus manserit, tunc competit A. tale breve. § 9. Rex vic' salutem: Præcipimus tibi quod nisi C. quem A. de B. clamat in nativum suum, in com' tuo per breve nostrum manserit in dominico nostro per unum annum & unum diem sine calumpnia, non remaneat loquela illa in com' tuo, eo quod manserit in dominico nostro per minus tempus quam per unum annum & unum & diem. Teste, &c. § 10. Item transferri poterit probatio ad magnam curiam si placuerit Regi per tale breve. § 11. Rex vicecomiti salutem: Pone ad petitionem petentis coram Justiciar' nostris apud Westm', loquela quæ est in com' tuo per breve nostrum inter A. de B. & C. quem idem A. clamat in nativum suum: Et summ' per bonos summon' prefat' C. quod tunc sit ibi præfat' A. respons' ; & habeas ibi summon', & hoc breve. Teste, &c. § 12. Ad quem diem si summon' non venerit, & summon' testata fuerit, tunc compellatur venire per ordinem attachiamentorum & magnæ districtionis. § 13. Causa verò quare vic' & com' judicare non possunt de alicujus libertate, sicut de ipsius nativitate, cum probatio libertatis sit quasi incidens placito de nativis, sicut potest cur' Reg' est propter favorem libertatis, quæ est res inæstimabilis, & quæ insipientibus & minus discretis committi non debet ad discrimen. § 14. Potest peti judicium de probatione, quia illi quos duxerit ad probationem fortè sunt parentes ex parte matris & non ex parte patris, ex cujus parte ipse clamat ipsum esse liberum. 15. Item exceptio villenagii non tenet nisi ex ore veri domini fuerit pronunciata. Sed si exceptio villenagii valebit, oportebit dare vad' & offerre pleg' ad perquirend' illum tanquam villanum suum. § 16. Item potest peti judicium si mulieres ducat ad probationem sanguinis & non homines, desicut mulieres ad probationem status

hominis admitti non debent. § 17. Item poterit dici ad probationem, quod omnes ante sui recognitionem fuerunt liberi, & hoc verificare. § 18. Item ex parte servi petiti poterit excipi, quod deficut recuperavit versus eundem dominum ten' per breve novæ disseisinæ, ipso non reclamante vel excipiente coram talibus Justiciar' de servitute, & petere judicium. § 19. Item porrigenti breve de libertate probanda, & non prosequente, ita quod amercietur; extunc nunquam recipietur in cur' ad libertatem probandam. § 20. Item solus non sufficit ad libertatem probandam. § 21. Item in com' & coram vic' placitari possunt plura placita, sicut de medletis, verberibus, plagis, & hujusmodi actionibus personalibus quibus competit processus per attachiamenta & per districtiones; nisi accusatus adjiciat, de pace Regis infracta, & sicut de servitiis & consuetudinibus de debitis & aliis placitis & injuriis infinitis, in quo casu oportebit in banco Regis, vel in banco Westm' placitare.

De Curia Regis in turnis Vic' & alibi. CAP. 52.

HAbet etiam Rex cur' suam in turnis vic' & visibus hundred', quæ fiunt bis per annum, & non pluries, per constitutionem magnæ chartæ libertatis, quæ talis est. § 2. Nullus comitatus teneatur nisi de mense in mensem, ubi cum major solebat esse terminus, major sit; nec liceat alicui vic' vel ballivo tenere turnum suum per hundred' nisi bis per annum, & hoc non nisi in loco debito & consueto, videlicet semel post Pascham, & iterum post festum Sancti Michaelis; & visus francii pleg' fiant ad eundem terminum Sancti Michaelis sine occasione: videlicet, quod quilibet habeat libertates suas quas justo titulo habuit, vel habere consuevit tempore H. Regis secundi, vel quas postea bene perquisivit. Et fiant visus de franco pleg', sic quod pax inviolabiliter observetur, & quod decennæ integræ sint, sicut tempore H. Regis prædicti esse consueverunt. § 3. Item non capiant aliquid vic' per sic quod non quærant occasiones, sed contenti sint de eo quod percipere consuevere absque occasionibus in suis turnis & visibus tempore Regis H. prædicti. § 4. Articuli autem visus franc' pleg' sunt hii. § 5. Si omnes capitales plegii venerint sicuti venire debent, & si decennas suas habuerint. § 6. Item si omnes duodecim annorum & ultra sint in decenna. § 7. De hiis qui non sunt in decenna, qui fuerint clerici, qui milites, qui forisfamulaverint, & qui alii, & de quorum manupastu fuerint. Et si qui fuerint vagantes, de quibus habeatur aliqua præsumptio vel suspitio mali, tunc de eorum receptoribus. § 8. Item si omnes duodecim annorum ut ultra vener' sicut debuerint. § 9. Item de burgatoribus, robbatoribus & latronibus, falsariis, homicidis, combussoribus domorum, & eorum fautoribus & receptatoribus. § 10. Item de utlagatis vel abjuratoribus regni reversis, & de eorum bonis & receptatoribus. § 11. Item de thesaur' invento, murdris, & weyvio prosecuto retento. § 12. Item de fractoribus gaolarum, raptoribus mulierum, & abductoribus uxorum & monialium, & malefactoribus in parcis, & vivariis, & cuniclariis, & warennis. § 13. Item de mahematoribus, & vulneratoribus, imprisonatoribus, & alia contra pacem

cem terr' facientibus. § 14. Item de usurariis, sortilegis, apostatis, traditoribus, & eorum catall', & receptatoribus. § 15. Item de scissoribus bursarum, & latronibus de modicis latrociniis, aucarum, garbarum, pannorum, & hujusmodi. § 16. Item de hutes. levat' injustè; vel si justè, tunc non prosecutis qui ea levaverint, & per quos deficit secta. § 17. Item de divisis fractis remotis vel minoratis. § 18. Item de aquis trestornatis vel obstructis. § 19. Item de fossatis, muris, calceis, stagnis, vel hujusmodi ad nocumentum levatis, prostratis vel exaltatis. § 20. Item de viis & semitis, injustè obstructis vel arctatis. § 21. Item de falsis mensuris & ponderibus, & rectas assisas Regis violantibus. § 22. Et si in turnis vic' vel visibus hundr', tunc sic, de jure Regis celato, vel alienato in terra, vel in mari, per quem fuerit alienatum, vel celatum, & à quo tempore. § 23. Item de villanis Regis extra dominica sua manentibus. § 24. Item de hominibus domini in alieno visu existentibus. § 25. Item de purpræsturis super Regem vel dominum factis. § 26. Item de feloniis quorum clamor non pervenit ad coronatores. § 27. De violatoribus assisæ panis, cervisiæ, vini, & pannorum. § 28. Item de vigiliis non observatis, & viis regalibus non elargatis. § 29. Item de replegiabilibus injustè detentis, & irreplagiabilibus dimissis. § 30. Item de redemptoribus latrocinii. § 31. Item de hiis qui retinuerint probatores. § 32. Item de novis consuetud' in terra vel in aqua levatis. § 33. Item de pontibus & calcetis fractis. § 34. Item de wrecko maris retento. § 35. Item de albatoribus coreorum, præterquam in civitatibus & burgis, & etiam de hiis qui duobus utuntur officiis, videlicet sutoriæ, & tanneriæ, vel tanneriæ & carnificis, vel officio scissoris & dubberrie, & etiam dubberrie, præterquam in burgis & locis communibus; & plures sunt Articuli. § 36. Cum autem capitales pleg' ad hæc capitula distinctè responderint, non solum est eorum veredicto fides adhibenda, verumetiam sacramento & veredicto duodecim liberorum hominum, qui super indictamentis prædictis, & etiam de concelamentis prædictis onerentur veritatem declarare; nec poterunt à sacramento excusari per exceptionem, quod non sine brevi Reg', eo quod illo die non habebit exceptio locum, quia concessum est omnibus libertatem vis' francii plegii habentibus, quod sui liberi tenentes, vel alii liberi ad visus suos sectatores in turnis & visibus jurent, non obstante ullo regio mandato, vel graviter pro contemptu amercientur, eo quod dies Regis est, & in favorem pacis fuit inventus. § 37. Cum igitur liberi præsentationes pleg' declaraverunt, & sit aliquis præsens qui super aliqua causa criminali fuerit indictatus, statim capiatur & gaolæ mittatur, nisi seisitus fuerit & insecutus, & quo casu in continenti respondeat; qui si noluerit, ad gaolam mittatur & ad pœnam. § 38. De absentibus autem indictatis fiat secundùm formam Statuti, quod tale est. § 39. De vic' & ballivis in turnis, & visibus, de franco pleg', de malefactoribus inquirentibus; statutum est, quod si aliquem ceperint & imprisonaverint, alio modo quam indictati fuerint per duodecim liberos Juratores, qui suo indictamento sigilla sua apposuerunt, eo ipso habeant imprisonati actionem versus eos per breve transgressio' de imprisonamento,

ſicut verſus aliam quamcunque perſonam extraneam. § 40. Et cum indictati capiantur, qui debent per pleg' dimitti, & qui non declarat hoc Statutum. § 41. Cum vic' & alii qui temporibus præteritis ceperint, & in priſona detinuerint homines felonia rettatos, & frequenter irreplegiabiles dimiſerint, & replegiabiles in priſona detinuerint, oblatis pleg', occaſione lucrandi à quibuſdam alioſque gravandi; quia verò nihil certum hactenus erat ordinatum qui replegiabiles extiterint, & qui non, exceptis quinque articulis in communi brevi contentis. § 42. Statutum eſt quod omnes utlagati, regni abjuratores, probatores, cum manuopere capti, priſonæ Regis fractores, latrones publici & notorii, appellati de probatoribus ipſis ſuperſtitibus, niſi appellati ipſi fuerint bonæ famæ & laudabilis, capti pro incendio felonicè facto, falſarii, excommunicati, capti ad inſtantiam Epiſcopi, accuſati de crimine læſæ majeſtatis, capti pro morte hominis, capti per ſpeciale præceptum Regis, capti per judicium Juſtic', capti pro foreſta, pro rediſſeiſina, pro arrer' compoti, niſi fuerit ad reiterand' compot', capti per Statutum mercatorum, pro raptu mulieris, pro abductione monialium, convicti de abductione injuſta pueri maritand', & convicti de maleficiis factis in parcis & vivariis, vel de detentione injuſta theſauri inventi, nullo modo per pleg' dimittantur. § 43. Illi verò qui per inquiſitiones hujuſmodi de levibus ſuſpitionibus, modicis furtis duodecim denar' non excedentibus, niſi alias de hujuſmodi maleficio fuer' rettati, vel de receptamento felonum, vel de forcia, præcepto, vel auxilio & conſilio, vel etiam de ſimplici crimine, pro quo vitam amittere non debent neque membra fuerint indictati. § 44. Illi etiam qui à probatoribus ipſis mortuis fuerint appellati, niſi de alio fuerint maleficio rettati, per ſufficient' pleg' quieti dimittantur. § 45. Qui autem hoc Statutum violare præſumpſerit & dimittat irrepleg', & ſit vic' de feodo, perdat balliviam illam imperpetuum: qui ſi ſubvic' fuerit, vel ballivus de feodo non exiſtens, habeat priſonam per tres annos, & poſtea redimatur pro voluntate Reg': Et quicunque replegiabilem detinuerit, oblatis ſufficientibus pleg', graviter amercietur. § 46. Cum autem de miſis remotis, vel viis obſtructis, vel aquis diverſis, & hujuſmodi levibus injuriis infra annum & diem perpetratis, contigerit aliquem indictari qui præſens fuerit, ſtatim reſpondeat ſi velit; qui ſi noluerit, vel abſens fuerit, præcipietur capitalibus pleg' quod illam injuriam ſine dilatione ad uſum debitum convertant. § 47. Illi verò qui nondum fuerint in decenna, ſed ſe ad hoc offerentes, & unde quilibet invenire poſſit novem pleg', tunc facto Regi fidelitatis Sacramento, & nominibus irrotulatis, ſtatim liberetur quilibet ſuis pleg'. § 48. Illi autem qui non advenerint ſicuti debuerunt, illi etiam qui decennas ſuas non habuerint ſicut debuerunt, ac illi qui majorem habent ætatem quàm duodecim annorum, & non fuerint in decenna, & de levibus injuriis indictati, in miſericordia remanebunt: de aſſiſis autem fractis fiat ſicut ſuperius eſt expreſſum.

De-

De Curia Baron'. CAP. 53.

HAbet etiam Rex cur' suam in comitat', hundred' & in maner' suis, ubi Justiciar' non habet. Sed per sectatores proferuntur judicia querelarum quæ fiunt contra pacem vic' & ballivorum, sicut de verberibus, ictibus parvis, debitis injustè detentis, & hujusmodi modicis injuriis per vad' & pleg' tantum sine brevi. § 2. Et unde si vadiatio legis interveniat inter partes litigantes, detur vadianti alius dies, ad quem si non venerit nec se essoniaverit, statim distringatur quod veniat ad proximam cur' auditur' judicium suum de defalta quam fecit; & sive venerit sive non, considerabitur pro querente, nec poterit reus dedicere recordum cur' per aliquem audientem & intelligentem, viz. quod ipse legem non vadiavit; quia si hoc facere possit, eadem ratione posset quilibet dedicere de cognitionibus, de warranto vocato, & attachiamentis, & hujusmodi; & inde sequeretur quod hujusmodi cur' nullum placitum perducere possent ad effectum. § 3. Ad quod sciend' quod nullus potest in com', vel alibi, aliquid dedicere de recordo adversarii sui, nec de Recordo illo quicquid augere vel minuere ad dampnum sui adversarii, quia si posset, sic sequeretur illud inconveniens, quod quicquid boni adversarius diceret pro se, amovere posset & in pejus convertere: sed de Recordo suo proprio per com' vel aliam cur' recitato augere poterit & minuere, totum tamen dedicere non potest, nec ea quæ sunt de substantia negotii: Quia esto quod si quis petat quandam terram per breve de recto de seisina antecessorum suorum per verba duellum facientia,& non nominaverit tempus Regis Richardi,& quod expletia ceperit ad valentiam quinque solidorum; hoc ad aliam cur' dedicere poterit, & dicere quod petiit de seisina antecessorum suorum de tempore Regis Johannis, & ita mutare, vel quod petiit de tempore Reg' H. & Johan' simul & ita augere, & quod expletia ceperit ad valentiam duorum solidorum, & sic minuere. Sed ad hoc quod hujus probatio sit valida, oportet quod habeat ad manum unum audientem & intelligentem, qui incontinenti paratus sit hoc probare per corpus suum, sicut cur' consideravit. Et sic poterit quis recordum proprium mutare, augere & minuere, dum tamen nullum dampnum per hoc adversario suo accrescat; relinquitur igitur quod hujusmodi curia recordum habeat quodammodo. § 4. In com' autem & in cur' dominorum placitari poterit breve de recto, donec ex causa usque ad bancum transferatur. Ad quod quidem placitum locum habent istæ generales exceptiones; & sicut est ordo agendi, ita habetur ordo excipiendi.

De Ordine accipiendi. CAP. 54.

ORdo proponendi exceptiones talis est: Imprimis calumpniari poterit summonitio, jurisdictio, persona Judicis, persona Actoris, persona rei, vitium brevis, variatio narrationis & brevis, quæ locum habent ante visum petitum. § 2. Omissis autem illis exceptionibus, statim vocet warrantum suum per auxilium cur', & cum warrantus venerit & warrantizaverit, excipere poterit multipliciter, & omissis exceptionibus vel transactis de summonitione,

monitione, jurisdictione, persona Judicis, tunc locum habebunt exceptiones de persona actoris, & de persona ipsius rei, & postea de vitio brevis, quibus omnibus confirmatis petere poterit visum rei petitæ, & cum illum habuerit, tunc ad prox' diem declinet breve per non tenuram si possit, alioquin excipere poterit sic. § 3. Dicere enim poterit quod respondere non debet, eò quod excommunicatus vel nativus tenentis, vel furiosus, vel infra ætatem, vel à nativitate fatuus vel non hæres propinquior, vel si habeat paticipem non nominatum in brevi sine quo non poterit respondere, cadit breve. § 4. Et si in brevi nominentur omnes participes, ac quidam sequantur & quidam non, sic differtur placitum, saltem quo ad unum diem. § 5. Item si petens habeat uxorem cujus jus res petita fuerit, & ipsa in brevi non comprehendatur; vel si uxor sola petierit cum nupta sit viro, nec refert utrum ante breve impetratum nupserit, vel lite pendente, vel cum vir & uxor simul petierint vel tenuerint in communi, si alter eorum decesserit ante judicium, cadet breve. Et quod dicitur de viro & uxore tenentibus vel petentibus simul vel separatim, dici poterit de extraneis personis, vel sanguine conjunctis tenentibus separatim, vel in communi. § 6. Item differtur actio, cum una participum nupta fuerit villano tenentis ratione servitutis, quia quicquid per servum juste acquiritur domino adquirit. § 7. Sunt etiam aliæ dilatoriæ exceptiones quæ ex privilegio personæ tenentis proveniunt, locum namque habet ista exceptio in personis quorundam, quod non tenentur alicubi respondere, nisi coram ipso Rege vel suo capitali Justic' per libertates Regias eis concessas. § 8. Quædam autem ex privilegiis locorum, cives namque & burgenses magnarum civitatum & villarum exemptarum super nullo placito extra civitates suas vocari debent, nec respondere, nisi de tenuris, contractibus, & trangressionibus forinsecis; Baron' namque quinque portuum alibi convenire vel respondere non debent nisi apud Shepeye. § 9. Quædam etiam ratione dignitatum & officiorum motibilium. Abbates verò & Priores petentes vel tenentes agere non poterunt, nec implacitari objecta motibilitate & probata, vel non negata sine suis superioribus. § 10. Præterea si A. de B. sit magister alicujus hospitalis, & petat aliquod ten' hospital' illi annexum, non vocando ipsum magistrum illius hospitalis in brevi, cadet breve. Et eodem modo de rectore alicujus ecclesiæ petente ten', ut jus ecclesiæ suæ, non appellando ipsum in brevi ecclesiæ ejusdem parsonam. Et eodem modo de Canonico præbendato ten' vel libertates præbendæ suæ annexas, non nominando ipsum in brevi Canonicum Ecclesiæ, ád quam spectaverit hujusmodi præbenda. Et eodem modo de dignitatibus, nisi Decanus, Thesaurarius, vel Cancellar', vel hujusmodi petens aliquid ad suam dignitatem annexum, ipsum per dignitatem officii sui in brevi se fecerit cognominari, cadet breve. § 11. Et eodem modo nisi sic nominentur in casu quo fuerint deforciatores. § 12. Confirmata autem persona de circumstantiis brevis, multipliciter excipi poterit; provenit enim exceptio tenenti ex vitio brevis, ut si patens sit rasum, vel abolitum, vel in aliqua sui parte viciosum. Et eodem modo ex vitio formæ, ut si in brevi contineatur, *quam talis tenet*, ubi diceretur

ceretur, ***quam talis ei deforciat***, vel è converſo, & quo calumpniato cadet breve. Et eodem modo ſi breve malè ſit conceptum in illo caſu; & eodem modo ſi error inveniatur in brevi, ut ſi Reynerus pro Reginaldo, Amicia pro Avicia nominetur, vel è converſo: & eodem modo ſi in cognominibus fuerit erratum. § 13. Proveniunt etiam exeptiones ex errore de loco, ut ſi hamletus nominetur pro villa; vel cum duæ villæ fuerint in uno com' idem nomen habentes, & non habeatur differentia in brevi; vel ſi locus fuerit ſic privilegiatus, quod hujuſmodi breve locum habere non debeat in eodem. § 14. Item ex vitio narrationis, ut ſi quis petierit per breve de recto, & non fundaverit intentionem ſuam niſi ſuper poſſeſſione, vel è converſo. § 15. Item ex variatione brevis à narratione, ut cum quis narraverit & petierit in communi quod in brevi comprehendatur in ſeparali, vel è converſo. § 16. Item ex tempore, ut ſi quis narraverit ultra tempus ſtatutum in illo caſu. § 17. Item differri poterit actio multipliciter, ut ſi quis petat verſus Rectorem alicujus eccleſiæ parochial' aliquid unde invenit eccleſiam ſuam ſeiſitam, tunc differri poterit actio per hanc exceptionem, quod talis ſine Epiſcopo & Patrono ſuo non poterit inde reſpondere: Canonicus etiam Eccleſiæ Cathedralis non ſine Decano & Capitulo. Præterea, ſi petens vel tenens infra ætatem fuerit, in jure proprietatis non reſpondebit nec reſpondebitur ante ejus plenam ætatem. Si autem petatur verſus mulierem per tenentem in dotem, tunc debet ſic reſpondere in caſu ſuo: Agn' quæ hic eſt defendit, &c. & dicit quod nihil clamat in ten' petito, niſi dotem de hæreditate I. filii & hæred' R. quondam viri ſui, ſine quo jus illius ten' non poter' in judicium deduci, & ſic vocat ipſum I. ad warrantum. Et ſi talis ſit præſens & warrantizaverit, tunc dicatur ſic: I. filius & hæres R. qui vocatus eſt ad warantum, warrantizat A. matri ſuæ. § 18. Et quod ad petentem, dicit quod ten' petitum eſt ſua hæreditas, unde prædictus R. pater ſuus obiit ſeiſitus, ut in dominico ſuo ut de feodo, & I. eſt infra ætatem, & petit quod hujuſmodi placitum ſuſpendatur donec plenam attigerit ætatem. Et eodem modo de ten' petito de illo qui illud non tenuerit, niſi ad vitam per legem Angl', vel aliter ad terminum vitæ vel annorum, vel in cuſtodia de hæreditate talis, vel non niſi in villenagio de tali ſine quo jus in judicium deduci non poterit. § 19. Item dicere poterit tenens excipiendo, quod tenet terram verſus ipſum petit' tanquam terr' quæ ſibi deſcendit in perpartem de hæreditate talis anteceſſoris, cujus hæres ipſe cum talibus vel tali participe qui eſt infra ætatem, vel qui non nominatur in brevi ſine quo non poterit reſpondere, in quibus caſibus differtur actio, § 20. Item cadit breve cum res communis, inter participes vel extraneas perſonas ante diviſionem petatur in ſeparali: Et eodem modo cum res in communi petatur poſt diviſionem: Et eodem modo cum petatur ten' verſus virum & uxorem de re viri, & eodem modo cum petatur verſus eum virum tantum res uxoris: Et eodem modo cum petatur verſus eum qui nihil omnino clamat in re petita; vel ſi reus non tenuerit rem petitam, nec tenuit die quo breve fuit impetratum, in quibus caſibus cadet breve. § 21. Item dicere poterit quod reddere non poterit manerium petitum, cum pertinen-

tiis,

tiis, quia talis Prior, vel alius non nominatus in brevi, tenet advocationem ecclesiæ ejusdem villæ: vel sic, quia in eadem villa habetur una virgata terr', vel tot solidati reditus unde reus nihil habet in dominico nec in servitio, neque in eleemosyna. § 22. Item dicere poterit quod ad hoc breve respondere non poterit nec debet, quia aliud breve adhuc dependet de eodem ten' inter eosdem, & de eadem natura, vel quia idem petens seisitus est de homagio tenentis per quod tenetur ad warrantiam. Et si petens fuerit persona ecclesiæ & rem petierit ut jus ecclesiæ suæ, & fidelitatem fortè vel reditum ceperit pro ten' petito, tunc obstabit ei illa exceptio quoad vixerit. § 23. Item cadit breve cum versus duos vel plures tenentes in communi, vel versus virum & uxorem simul, & aliquis eorum decesserit vel nupserit lite pendente. Et eodem modo in casu quo ipsi fuerint petentes. § 24. Generales autem exceptiones peremptoriæ judicii sunt istæ; ut si actor aliàs versus eundem tenentem agendo, de eodem ten' se palam in cur' ab actione retraxerit, dum tamen illa retractio veraciter fuerit irrotulata, quamvis namque talis fiat irrotulatio talis qui tulit breve versus talem, &c. & non est prosecutus, ideò ipse & sui pleg' de prosequend' in misericordia, vel talis qui tulit breve versus talem, &c. venit & petiit licentiam recedendi de brevi suo, & habet nihilominus ad consimile breve habere regressum quotiescunque sibi viderit expedire. § 25. Item finis factus unde annus præteriit & dies sine calumpniâ, præsumptio temporis, magna assisa, duellum percussum cum judicio, judicium redditum, & quieta clamatio, bastardia, felonia, & servitus, & omissio sanguinis in narrando, & quibus casibus verificatis vel non dedictis, si petens expectaverit judicium ab actione imperpetuum excludetur; sed si se absentaverit non amittet nisi breve. § 26. Et sciendum quod ab inferiori actione ad superiorem poterit quilibet occursum habere, è converso verò minimè, & præcipuè post visum petitum. Et quicunque in brevi de recto se retraxerit à brevi suo post visum petitum ab eadem actione imperpetuum repelletur, & quod hic defuer' super tractatu de recto inferius invenietur.

Cur' Reg' in burgis & in civitatibus. CAP. 55.

HAbet etiam Rex curiam suam in civitatibus, & burgis, & locis exemptis, sicut in Hustengis, London', Winton', Lincoln', Ebor', & apud Shepey, & alibi ubi baron' & cives recordum habent in hiis quæ coram eis fuerint terminata, ibidem secundùm consuetudines suas, quibus secundùm magnæ chartæ constitutionem debent liberè gaudere, per quam statutum est quod cives London', & aliarum civitatum, burgorum, & villarum privilegiatarum, Baronesque de quinque portubus, & etiam de aliis, suas libertates habeant illæsas, & suis gaudeant liberis consuetudinibus, & unde cives London' statuto utuntur tali. § 2. Provisum est quod si Archiepiscopi, Episcopi, Comit', Baron', & alii qui feodum habent in London, & redit' proveniens inde à retro fuer', quod liceat eis distringere, & tenentes suos pro arrer' suis tam infra domum quàm extra, quamdiu aliquid inveniatur in hujusmodi feodis per quod distringi possint. Si autem nihil inveniatur, tunc implacitentur

implacitentur ipsi, tenentes de ganelecto per quoddam breve de consᶠ & servitiis, quod fieri potest per Sokereves eorum in hustengo præsentatos ad custod' Sokerevæ suæ ad reddit' suos colligendos: Ita quod si tenens cognoverit servitium suum, statim satisfaciat dominis suis de servitiis & arrer'; & si servitia sua eis denegaverit, petentes statim nominabunt pro secta duos testes, quorum nomina imbreviabuntur, & habebunt diem producendi eos ad proximum husteng': ad quem si ipsos produxerit, & per eos in plena curia ostendatur ut de visu suo & auditu, quòd ipsi querentes aliquando receperint redditus petitos de hujusmodi ten', tunc amittent ipsi tenentes feoda sua per judicium illius cur', & querentes recuperabunt ten' illa in dominico: Si autem recognover' dominis suis servitia sua, & similiter arrerag', tunc per judicia cur' duplicabuntur hujusmodi arrerag' & nihilominus dabunt vic' centum solid' pro injusta detentione, si absque majori gravamine ad hoc sufficiant. Si autem tenentes post debitam summonitionem ad hustengum non venerint, tunc feoda illa in pleno hustengo querentibus liberabuntur tenend' per annum & diem; infra quem terminum si tenentes venerint ad eos, & obtulerint eis satisfacere de arreragiis suis duplicand' & vic' de misericordia sua, rehabeant ten' sua, alioquin, completo anno & die, remaneant ten' illa hujusmodi dominis in dominico imperpetuum: & extunc vocentur illa ten' forisfact': Et eodem modo observand' erit, si tenentes cognoscant servitia & arrer', & non possunt satisfacere secundùm quod dictum est. §3. Si autem breve de recto in hujusmodi cur' differatur, per duellum, vel per magnam assisam, non debet terminari, eò quòd hujusmodi loca sunt antiqua dominica coronæ, & non feoda militar': ideoque dirationem non prætendat quis, sed sectam secundum consuetudinem civitatis. § 4. De warrantis vocatis extra jurisdictionem hujusmodi locorum privilegiatorum talit' statutum est, quod si implacitati per breve de recto aliquem forinsecum vocaverit ad warrantum, tunc perquirant sibi de cancellaria duo brevia, unum videlicet ad summonend' warrantum coram Justic' de banco ad certum diem, & aliud ballivis civitatis, quòd placitum illud supersedeant, donec de placito warrantiæ fuerit terminatum, quo terminato dicatur warrantis quod adeant civitatem, & respondeant de placito principali, & petentes habeant brevia judicialia ad ballivos, quod tenementa petita extendantur si fuer' amissa, & retornentur extentæ ad certum diem coram Justic', per quos mandetur vic' quod faciat tenentibus habere ad valentiam escambium. § 5. Et inhibitum est nè tenentes implacitati pedente placito vastum faciant vel destructionem in hujusmodi locis sic privilegitatis, & super hoc apponatur custodia per ballivos libertatis. § 6. Item de disseisinis factis in hujusmodi civitatibus provisum est, quod disseisiti statim recuperent dampna, ubi prius expectare solebant adventum Justiciar', & amercientur disseisitores coram duobus Baron' de scaccario semel per annum, coram quibus etiam amercientur venditores vini contra assisam. § 7. Nec locum habebit breve novæ disseisinæ in hujusmodi locis, sed sufficit sola querimonia infra quadraginta dies à tempore disseisinæ factæ, post quod tempus non habebit locum nisi breve de recto

secundùm consuetudinem loci. Ideo non habent locum convictiones sed certificationes. § 8. Constitutum est quod si quis in hujusmodi locis ten' dimiserit ad terminum annorum, & ille, cujus liberum est ten', permiserit se inde implacitari per collusionem, & defaltam fecerit post defaltam, vel reddere voluerit ut faciat firmarium terminum suum amittere, & petens querelaverit, ita quod firmarius habere poterit recuperare per breve de conventione, quod Major & Ballivi inquirere possint per visnetum in præsentia firmarii & tenentis, an petens implacitaverit per jus quod habuerit, vel per collusionem, vel per fraudem firmarii: Et si compertum fuerit per inquisitionem, quòd petens moveat placitum per jus quod habuit, procedatur ad judicium pro petente: Et si inveniatur quod in fraud' firmarii, remaneat firmarius in termino suo, & executio judicii remaneat in suspensio pro petente quousque terminus prӕterierit. § 9. Et eodem modo fiet de æquitate in tali casu coram Justic', si firmarius ante judicium redditum hoc calumpniaverit.

De actione debiti. CAP. 56.

Obligatio autem est juris vinculum quo necessitate astringimur ad aliquid dandum vel faciend': ut si quis ligatus fuerit & astrictus alicui ad aliquid, & ille alius ei ad aliquid contraligatus; est enim obligatio quasi contraligatio, & quatuor habet species quibus contrahitur, & plura vestimenta. § 2. Obligatio autem, quæ est mater actionis, originem ducit & initium ex aliqua causa præcedente, sive ex contractu vel quasi, sive ex malefacto vel quasi. § 3. Ex contractu verò oriri poterit multis modis, sicut ex conventione per interrogationes & responsion', ex verborum conceptione quæ voluntates duorum in unum trahit consensum, sicut sunt pacta conventa, quæ nuda sunt aliquando, & aliquando vestita; quæ si nuda fuerint, exinde non sequetur actio, quia ex nudo pacto non nascitur actio, oportet igitur ut habeat vestimenta, & hujusmodi causa ex contractu vel quasi semper erit civilis. § 4. Contrahitur enim obligatio ex sex vestimentis, quæ omnia dicuntur vestimenta pactorum sicut & donationum. § 5. Re autem contrahitur obligatio veluti mutui datione, quæ consistit in rebus, quæ sunt numero, pondere & mensura; quæ quidem res in appendendo, numerando, metiendo, in hoc dantur, ut statim fiant accipientium, quia mutuum propriè dicitur id quod ex meo tuum fit, & quandoque non eædem res sed aliæ ejusdem naturæ reddūtur creditori: Is autem cui res aliqua utenda datur, re obligatur quæ commodata est; is enim qui rem commodatā accipit, ad ipsam restituendam tenetur vel ejus precium, si fortè incendio, ruina, naufragio, aut latronum hostiúmve incursu consumpta fuerit vel deperdita, substracta vel deperdita, substracta vel sublata: Et qui rem utendam accipit, non sufficit ad rei custodiam quod talem diligentiam adhibeat qualem suis rebus adhibere solet, quia alius eam poterit diligentius custodire; ad vim autem majorem vel casus fortuitos non tenet' quis, nisi culpa sua intervenerit: sed si rem sibi domi commodatum secum detulerit quis, cum peregrè profectus fuerit, & illam incursu hostium, vel prædonum, vel naufragio amiserit, ad rei tenebitur

bitur restitutionem. § 6. Commodata autem res dicitur ad commodum data, & propriè intelligitur commodata cum nulla mercede accepta res utenda datur; gratuitum enim debet esse commodatum, & si merces intervenerit, potius debet dici locatio & conductio quam commodatum. 7. Is apud quem res deponitur re obligatur, & de eadem re restituenda, tenetur etiam ad id si quid in re deposita dolo commiserit, culpæ autem nomine non tenetur, id est, desidiæ vel negligentiæ, quia qui negligenti amico rem custodiendam tradit sibi ipsi & propriè facilitati hoc debet imputare si ipsam amittat. § 8. Creditori verò qui pignus acceperit re obligatus,& ad illam restituendam tenetur, & cum hujusmodi res in pignus data utriusque gra', sc. debitoris, quo magis pecunia ejus crederetur data sit, & creditoris quo magis ei in toto sit creditum, sufficit ad illius rei custodiam exactam diligentiam adhibere; quam si præstetirit, & rem casu amiserit, secus esse poterit, nec impedietur creditum petere. § 9. Verbis autem contrahitur obligatio, scilicet per stipulationem, est enim stipulatio quædam verborum conceptio, quæ consistit in interrogatione & responsione, ut si dicatur, Permittis? & respondeatur, Permitto, Dabis? Dabo: Facies? Faciam: Fidejubeo? Fidejubeo. Et omnes talis stipulatio aut fit purè, aut in diem, aut sub conditione: Purè, ut si dicatur, tantam pecuniam dare spondes sine aliqua adjectione diei vel conditionis, pecunia illa statim peti,poterit. Sed si dies adjiciatur quo solvi debet, tunc primo debetur, nec peti poterit ante diem, nec etiam eo die, qui totus dies relinquitur arbitrio solventis, nec certum erit eo die solutum non esse priusquam dies prætererit, nec eodem modo rectè petit quis. Si quis hoc anno vel mense dare stipulatus est, nisi omnibus partibus præteritis anni vel mensis; eodem modo si quis hominem vel fundum stipulatus fuerit non rectè petet antequam tantum spacium prætererit quod tradi possit. § 10. Fit aliquando stipulatio sub conditione, ut si dicatur, Si Ticius consul factus fuerit, tantam pecuniam dare spondes; & notand' quod in conditionali stipulatione tantum concipitur spes, & conditiones quæ ad præteritum vel præsens tempus referuntur, aut statim infirmant obligationem, aut omnino differunt, ut si sic dicatur, Si talis vixerit vel consul factus fuerit dare spondes, nam si ita non fuerit, nil valet: Si autem res ita se habeat, statim valet; quia ea quæ per rerum naturam sunt certa, non morantur obligationem, quamvis apud nos incerta fuerint. § 11. Facta etiam in stipulatione deducuntur, ut si facta fuerit stipulatio aliquid fieri, vel non fieri, quo casu oportunum erit pœnam adjicere, nè quantitas stipulationis sit in incerto, vel necesse sit actori probare quod ejus intersit, & tali modo adjiciatur pœna,& si hoc non fiat, tunc nomine pœnæ tantum dare spondes. § 12. Loca etiam in stipulationem deducuntur, ut si dicas excipiens exceptione hodiè London' dare spondes, talis stipulatio erit inutilis nisi tempus adjiciatur quo fieri possit, id quod deducitur in stipulationem, quia omnino erit impossibile; ac si quis rem promitteret quæ in rerum natura non esset vel esse non possit, vel si rem sacram vel publicam quæ non est in alicujus bonis. § 13. Item si de una re senserit stipulator, & de alia promissor, non valet, non magis quam si ad

interrogata non esset responsum. § 14. Item non valet si quis ita stipuletur, quod quis homicidium perpetret, vel furtum, vel hujusmodi. § 15. Item si quis stipulatus fuerit qui alium daturum vel alium facturum promiserit, quam eum qui in potestate sua extiterit; vel si quis ad ea quæ interrogatus fuerit non responderit, nec secundùm quod interrogatus fuerit; ut si quis decem aureos dare stipuletur, & alius quinque promittat; vel si unus purè & alius sub disjunctione, stipulatio non valebit. § 16. Item erit inutilis, ut si quis ita stipulatus fuerit, Si navis venerit de Asiâ hodiè dare spondes, quia præpostere concepta est, sed tamen licet præpostera fuerit, non erit rejicienda. § 17. Item non valebit si impossibilitas adjecta fuerit vel impossibilis conditio, cui natura impedimento fuerit quod existat; veluti si dicat, Si digito cœlum tetigero, dare spondes. Si autem sic, Si cœlum digito non tetigero, tunc valebit, quia tunc purè facta est, & statim peti poterit. Judicialis etiam poterit esse stipulatio vel conventionalis: Judicialis, quia jussu judicis fit vel prætoris; Et quarum totidem fiunt genera quot penè rerum contrahendarum, de quibus omnibus cur' Reg' se non intromittet, nisi de gratia aliquando. § 18. Si tamen plures res in stipulatione deducantur, promissor simpliciter respondeat sic, Dare spondeo, propter omnes tenetur, ut si unam rem tantum ex pluribus se daturum promiserit vel quasdam, obligatio in hiis contrahitur pro quibus responderit; ex pluribus enim stipulationibus una vel quædam esse perfecta,& si plures sint,ad singula respondere deberet. § 19. Mutus verò non potest stipulari neque promittere, cum loqui non possit, nec verba stipulationi congrua proferre; quod quidem in surdo exceptum est, quia is qui stipulatur verba promittentis, & is qui verba promittit stipulantis audire oportet, nisi sit qui dicat quod hæc facere poterint per vultus & per scripturam; nec dicitur hoc de surdo qui omninò non audit, per scripturam enim fieri poterit stipulatio & obligatio, nam si scriptum fuerit in instrumento alicui promisisse, perinde erit acsi interrogationi præcedenti responsum fuerit. Furiosus autem stipulari non potest, nec aliquod negotium gerere, quia nescit nec intelligit quid agit. Eodem modo nec infans, nec qui infanti proximus est, qui multum à furioso non distat, nisi hoc fiat ad commodum suum, & cum tutoris autoritate. § 20. Inventæ autem fuere hujusmodi stipulationes ad hoc, quod unusquisque adquirat sibi quod sua interest, si contra ea agatur quæ in stipulationem deducuntur. Et si res in stipulatione deducta alii debeatur, nihil interest stipulatoris, quia ille qui promisit tenebitur ad interesse, vel ad pœnam, si pœna fuerit in stipulatione deducta. Per scripturam verò obligatur quis,ut si quis scripserit se debere,sive pecunia numerata sit,sive non, obligatur ex scriptura, nec habebit exceptionem pecuniæ non numeratæ contra scripturam, quia scripsit se debere: & non solum obligatur quis per verba, sed per scripturam, & per literas; litera tamen vel figura literarum non obligat, sed oratio significativa quam exprimunt literæ; sed utrumque comparatur ad obligationem, oratio significativa simul cum litera. § 21. Contrahitur etiam obligatio non solum scripto & verbis, sed consensu, sicut in contractibus bonæ fidei, ut in legatis, emptionibus, vendi-

venditionibus, locationibus, conductionibus, societatibus, & mandatis.

De Testamentis. CAP. 57.

Contrahitur etiam obligatio ex testamento, quæ morte confirmatur: cujus tres sunt species; una, cum quis nullo præsentis metu periculi conteretur, sed sola cogitatione mortalitatis promittit, legat vel donat: Alia autem species est, cum quis imminente periculo mortis commotus, ita donat vel legat, ut statim fiat accipientis. Tertia, ut si quis commotus periculo, non dat, sic ut dicat statim fiat accipientis, sed tunc demum cum mors fuerit secuta; & mortis causa donatio multiplex esse poterit: cum si quis contemplatione vel suspitione mortis alicui dat vel legat, cujusmodi donationes sæpe fiant ab ægrotantibus, vel ab eis qui in aciem sunt intraturi, vel per mare navigaturi, vel peregrè profecturi, & in se tacitam habent conditionem, ut hujusmodi donationes vel legata revocentur, si ægrotus convaluerit, vel si ab acie redierit, vel à navigatione, vel à peregrinatione; & donationes & legata quæ sic fiunt propter mortis suspitionem, morte testatoris confirmantur: & sic fiunt, ut si quid humanitùs attigerit de testatore, habeat is cui legatum est; si autem convalescat, retineat & rehabeat legat', vel si prius moriatur cui legat' est, vel si duo, qui sibi invicem mortis causa donaverint, pariter decesserint, neutrius hæres repetet, quia neuter alteri supervixit. Et est revera talis donatio mortis causa, cum testatorem legatam se ipsum magis habere voluerit, quam eum cui legata fuerit, vel eum cui legata est magis quàm hæredem suum. Si autem sic donetur mortis causa ut nullo casu revocetur, causa donandi erit magis quam mortis causa donatio; & ideò perinde haberi debet sicut alia quævis inter vivos donatio. Et ideò inter viros & uxores non valet mortis causa donare; licet non tantum infirmæ valetudinis causa, sed periculi & propinquæ mortis ab hostibus vel prædonibus, vel ob hominis petentis crudelitatem vel odium, aut causa navigationis vel peregrinationis imminente, aut si quis fuerit per insidiosa loca iturus: hæc autem omnia instans periculum demonstrant. Inprimis autem debet quilibet qui testaverit dominum suum de meliore re quam habuerit recognoscere, & postea Ecclesiam de alia meliori, & in quibusdam locis habet Ecclesia melius animal de consuetudine, in quibusdam secundum vel tertium melius, & in quibusdam nihil, & ideò observanda est consuetudo loci. § 2. Item de morte uxoris alicujus viri, dum vir superstes fuerit, de toto grege communi secundum melius avernum, quasi de parte sua: sed hoc non nisi de permissione & gratia viri. Et quamvis non teneretur quis aliquid dare Ecclesiæ nomine sepulturæ, tamen cum consuetudo illa laudabilis existat, non vult dominus papa eam infringere. § 3. Postquam verò Ecclesiam suam quis ita recognoverit, deinde parentes & alias personas secundùm quod ei placuerit, respiciat. § 4. Mulier verò quæ juris sui extiterit, testamentum facere poterit, sicut alia quævis persona, & si vidua fuerit per Statutum sequens de Merton, & disponere de rebus suis & fructibus in dote sua existentibus, sive

separati

separati sint à solo, sive non; quod quidem olim facere non potuit. § 5. Provisum est quod omnes viduæ legare possint tam blada sua de dotibus suis, quàm blada aliarum terrarum suarum, salvis servitiis dominorum suorum, quæ de dotibus & aliis ten' suis eisdem dominis debentur. § 6. Si autem fuerit sub potestate viri constituta, testamenti factionem non habebit absque viri sui voluntate, propter honestatem; tamen receptum est, quod quandoque testari possit de rationabili parte quam habitura esset si virum supervixisset; & maximè de rebus sibi datis & concessis ad ornamentum, quæ sua propria dici poterunt, sicut de rebus & jocalibus. Cuilibet autem sit licitum facere testamentum de rebus suis mobilibus & se moventibus, & quatenus superfuerit deducto ære alieno, scilicet debitis aliorum, nam qui centum solidos habet, & centum debet, &c. Et si testator Regi teneatur, ipse Rex omnibus aliis creditoribus præferendus erit, & bene licebit vic' & aliis Ballivis & Ministris Regis attachiare catalla defuncti in laico feodo inventa ad valentiam debiti quod Regi debetur per visum legalium hominum, ostensis literis de summonitione scaccarii, donec debitum quod clarum fuerit persolvatur; residum verò catallorum executoribus relinquatur. § 7. Debitum verò defuncti quod debetur Judæis non usurabit vel multiplicabit quamdiu hæres fuerit infra ætatem, per constitutionem de Merton, quæ talis est. § 8. Provisum est, & a Rege concessum, quòd usuræ non currant contra aliquem infra ætatem existentem à tempore mortis antecessoris sui, cujus hæres ipse fuerit, donec legitimam attingeret ætatem suam, & propter mortem antecessoris sui remaneat solutio debiti principalis simul cum usuris ante mortem antecessoris sui, cujus hæres ipse fuerit, provenientibus. Et si debitum Judæi in manum Regis devenerit, non capiet Rex nisi sortem, hoc est, catallum in charta contentùm. § 9. Item, uxor defuncti, si superstes fuerit, nihil conferret de dote suâ: dos autem uxoris debet esse libera. § 10. Item si liber homo intestatus decesserit, & subito dominus suus nihil se intromittet de bonis suis, nisi tantùm de hoc quod ad ipsum pertinuerit, scilicet, quod habeat suum Heriettum, sed ad Ecclesiam & amicos pertinebit executio. Sed quia ordinarii hujusmodi dona nomine Ecclesiæ occupantes, nullam vel saltem indebitam faciunt distributionem, ideò provisum fuit quod hujusmodi ordinarii de debitis defuncti satisfacerent, quatenus bona & facultates sufficerent, nullàm enim pœnam meretur, quamvis intestatus decedat; postea verò deduci debent debita aliorum quæ clara sunt & recognita, inter quæ connumerari poterunt servitia servientium & stipendia famulorum, dum tamen certa sint: Si autem incerta sint, sicut de servientibus quæ sine certo precio steterunt in servitio alicujus, licet ex voluntate dependeant, tamen cum arbitrio testimoniorum & amicorum taxata fuerint, de bonis defuncti deducantur. Item prædeduci debent expensæ faciend' circa funus. Item necessaria uxor' usque ad quarentenam, nisi ei fuerit sua dos citius assignata; hiis igitur omnibus de bonis defuncti deductis, distribuend' erit quod superfuerit. Si autem nihil superfuerit, vel fortè defunctus tempore mortis nihil boni habuit, per hoc remanebit hæres oneratus. Si autem post debita sua prædeducta,

prædeducta, & poſt deductionem expenſarum, quæ neceſſariæ erunt, ut prædictum eſt; ideo totum quod ſuperfuerit in tres partes dividatur, quarum una pueris relinquatur, ſi pueros habuerit defunctus: Secunda uxori, ſi fuerit ſuperſtes & de tertia habeat teſtator liberam facultatem diſponendi. Si autem uxor' non habuerit, tunc medietas defuncto, & alia meditas liberis tribuatur. Si autem ſine liberis deceſſerit, & uxor ſuperſtes fuerit, tunc medietas defuncto, & alia medietas uxori reſervetur. Si autem ſine liberis & uxore, tunc illud totum defuncto remaneat. Eodem modo ſi ab initio in illis fuerit debitis oneratus, fiat de bonis ſecundùm quod prædictum eſt. Et ea quæ dicta ſunt locum habent & tenent, niſi ſit conſuetudo quæ ſe habeat in contrarium, ſicut in civitatibus, burgis & villis. § 11. Habet enim civitas London in conſuetudine, quod ſi dos certa uxori conſtituatur, ſive in denar', ſive in aliis catallis, ſive in domibus, ſive in aliis quæ loco catallorum habentur, nihil ulterius petere poterit quam dotem ſuam de jure; niſi hoc fuerit de voluntate & gratia ipſius viri, ſi ei ſpecialiter aliquid reliquerit ultra dotem plus vel minus, & ſecundum quod fuit bene merita in vita viri ſui vel non. Et eſt ratio quare plus petere non poterit quam dotem ſuam conſtitut' ſecundum quoſdam, quia ipſa ante omnes debitores dotem ſuam prædeducet totam vel partem, quamdiu tantum remanſerit de bonis viri ſui: Et cum totam dotem ſuam ſic habere debeat præcipuam, ſic vice verſa, ſi plura ſint bona dotem excedentia, nihil amplius capiet quam dotem nominatam, niſi hoc fuerit de ſpeciali gra' ut prædictum eſt, & bene merita: & illud idem erit obſervand' de liberis talium, ut quidam dicunt, ſcilicet quod amplius non capient de bonis defuncti mobilibus de jure quam fuerit eis ſpecialiter relictum, niſi hoc fuerit de gratia teſtatoris, ut prædicitur de uxore, & ſi bene meriti fuerint in vita parentum, & unde nihil petere poterint pueri mag' quam uxor defuncti niſi de gratia; vix enim inveniretur quis civis qui in vita magnum quæſtum faceret, ſi in morte ſua cogeretur invitus bona ſua relinquere pueris indoctis & luxurioſis & uxor' malè meritis. Et ideo neceſſarium eſt valdè quod ei in hac parte libera tribuatur facultas, per hoc enim tollet maleficium, animabit ad virtutem, & tam uxori quam liberis dabit occaſionem bene faciend', quod quidem non fieret, ſi ſe ſcirent indubitanter certam partem obtinere, etiam ſine teſtatoris voluntate. Si autem plura ſint debita; vel plus legatum fuerit ignoranter vel ſcienter, ad quæ catalla defuncti non ſufficiunt, excepto Reg' privilegio fiat ubique defalcatio, eo tamen excepto, quod ſi debitum fuerit, in eo quod defuerit remaneat hæres obligatus, ſi obligatio anteceſſoris intervenerit. § 12. Fieri autem debet teſtamentum liberi hominis ad minus coram duobus vel pluribus legalibus viris & honeſtis clericis, vel laicis ad hoc ſpecialiter convocatis, ad probandum teſtamentum, ſi opus fuerit, ſi de teſtamento dubitetur. § 13. Executores eſſe debent illi quos teſtator elegerit, ſive ſint extranei, ſive parentes propinqui vel remoti: Et ſi de teſtamento oriatur contentio, in foro eccleſiaſtico debet placitum terminari, quia de cauſa teſtamentaria, ſicut nec de cauſa matrimoniali, cur' Reg' ſe non intromittit: Teſtator autem actiones ſuas legare non po-

teſt,

test, eò quod actiones debitorum non fuerint cognitæ neque convictæ in vita testatoris, sed hujusmodi actiones competunt hæredibus. § 14. Cum autem convictæ fuerint vel recognitæ, tunc sunt quasi in bonis testatoris, & competunt executoribus in foro ecclesiastico: Si autem competant hæredibus ut prædictum est, in foro sæculari debent terminari, quia antequam convincantur, & in foro debito, non pertinet ad executores ut in foro ecclesiastico convincantur; permissum est tamen quod executores agant ad solutionem in foro sæculari aliquando. § 15. Et in fine notand' est quod de bonis defuncti trina debet esse dispositio, primò videlicet deducenda sunt ea quæ sunt necessitatis, secundò ea quæ sunt utilitatis, & tertiò quæ voluntatis.

De emptionibus & venditionibus. CAP. 58.

EST autem quædam causa obligationis quæ dicitur causa emptionis & venditionis; cum quis rem suam alicui vendiderit mobilem vel immobilem, emptor tenet' venditori ad precium, & venditor emptori è converso ad ipsam rem tradendam, secundùm quod observat' in donationib', quia sine traditione non transferantur rerum dominia; & quo casu oportet quod certa res sit quæ venditur, & quod certum precium constituatur; nulla enim emptio esse poterit sine precio certo, nec etiam res incerta peti poterit; certa itaque esse poterit ex certa quantitate, ut si dicat quis, Vendam tibi unam carucatam terr', vel hujusmodi. Item ex numero, ut si dicat quis, Vendam tibi tot acr', & hujusmodi. Item si dicat quis quod tantundem valeat, ut si dicat, Tantam terram quam talis tenuit, vel de qua talis fuit seisitus die quo obiit; vel totam terram quæ continetur inter tales divisas & tales. § 2. Emptio verò & venditio contrahuntur cum de precio convenerit inter contrahentes dum tamen à venditore arrarum nomine aliquid receptum fuerit, quia quod arrarum nomine datum est argumentum est venditionis & emptionis contractæ. Et si scriptura intervenire debeat, non erit perfecta emptio & venditio, nisi cum fuerit partibus tradita & absoluta. § 3. Et arræ non intervenerint vel scriptura, nec traditio fuerit subsecuta, locus erit pœnitentiæ, & impunè possunt contrahentes recedere de contractu: sed si precium fuerit solutum vel ejus pars, & traditio subsecuta fuerit, perfecta erit emptio & venditio, nec poterit postea aliquis contrahentium à contractu resilire prætextu precii non soluti in parte vel in toto, sed agere poterit venditor ad recuperandum id quod de precio defuerit per actionem competentem, & non ad ipsam rem rehabendam, nec se ponere poterit in seisinam rei venditæ quin faciat disseisinam si fuerit ten vel ten' annex' vel ten' pertinens. Et si mobile quid sit, tunc calumpniari poterit hujusmodi usurpator, vel captor de robberia & pace Regis infracta, nisi hoc faciat pactum, & in continenti appositum in ipso com' modus vel conditio. § 4. Si autem inter contrahentes ita convenerit quod res empta sit tanti quanti talis æstimaverit, nisi ille talis precium diffinierit, vel si ille diffinire noluerit vel non possit, nulla erit venditio vel emptio, quasi nullo precio diffinito vel constituto. § 5. Item cum arrarum nomine aliquid solutum fuerit ante traditionem,

tionem, si emptor emptionem pœnituerit, & à contractu resilire voluerit, perdat quod dedit; si autem venditor pœnituerit, quod arrarum nomine ceperit, emptori restituat duplicatum, nisi sit aliter ex consuetudine mercatorum, quorum consuetudo est secundùm legem mercatoriam, quod venditor in hoc casu aut liberet emptori rem venditam, aut pro quadrante arrarum reddat quinque solidos. § 6. Cum autem venditor rem ipsam vendiderit quasi sanam & sine mahemio, & postea mahemiata inventa fuerit vel minus sana, & probari possit ab emptore, quod tempore contractus talis fuerit, tenebitur venditor rem suam rehabere: sed si tempore contractus sana & sine mahemio fuerit, quicquid de eo postmodum contigerit, non tenebitur. § 7. Item cum rem immobilem vendiderit quis, ut terram, & in donatione promiserit ipsam esse liberam, cum non sit, sed serva; vel non oneratam, cum sit onerata; vel non obligatam, cum sit, propter hoc rescinditur contractus; sed agere poterit emptor contra venditorem ad hoc quod ei teneat quod promisit. § 8. Cum autem emptio & venditio contracta fuerit, ut prædictum est, ante traditionem & post, periculum rei emptæ & venditæ generaliter illum respicit qui eam tenet, nisi ab initio aliter convenerit, quia revera qui rem emptori nondum tradidit adhuc ipse dominus erit; ut si homo venditus mortuus fuerit ante traditionem, vel ædes incendio consumptæ, vel fundus in toto vel in parte flumine consumptus vel ablatus, & hujusmodi, quibus rationibus videtur quod totum periculum pertineat ad venditorem. A contrario verò videtur, quod si post emptionem, ante traditionem, fundo vendito aliquid per alluvionem, vel alio modo accreverit, quòd commodum ad venditorem pertinebit: ipsum enim sequi debent commoda quem sequuntur incommoda, & commodum ejus esse debet cujus est periculum. § 9. Item poterit emptio & venditio contrahi inter aliquos tam sub conditione quàm purè; sub conditione, ita, ut si talis res empta infra certum diem emptori placuerit, sit res empta tot aureis; & si displicuerit, emptori restituatur. § 10. Si quis autem rem sacram quæ vendi non potest à venditore emerit, cum contractus stare non possit, emptor à venditore consequetur quatenus sua interfuerit, non fuisse deceptus, quamvis emptor scire teneatur quæ & qualis sit ea res quam emerit, sacra vel non sacra, obligata vel non obligata; emptori vero & hæred' suis tenetur venditor & hæredes sui rem emptam warrantizare, sive mobilis sit sive immobilis; & si mobilis, fiat ut dicitur de furtis; & si immobilis, ut de warrantiis.

De locato & conducto. CAP. 59.

CUm autem locatio & conductio proxima sit emptioni & venditioni, eò quod sicut emptio & venditio contrahitur postquam de precio convenerit, ita locatio & conductio; ex locato enim & conducto solet res deberi, vel ad usum vel ad hæreditatem: Ut, si quis rem suam mobilem vel immobilem alicui locaverit usque ad certum tempus pro certa mercede constituta, tenetur locator obligatus rem locatam ad usum dare, & conductor tenetur mercedem solvere. Et si res immobilis locata fuerit & con-

S ducta,

ducta, sicut domus & hujusmodi, omnia injuncta & illata, tam pro mercede quam pro aliis pignori annexa. Et si nihil in domibus locatis vel conductis inveniatur, recurrendum erit ad corpora conductorum si inveniantur, quod locari potuissent, & prospiciatur de securitate, si ab initio non sit prospectum. Si autem corpora non inveniantur, hoc poterit locator suæ imputare negligentiæ vel imperitiæ, quod sibi cautiùs non prospexit. § 2. Si autem aliquis tenens fuerit, & reditum suum fortè domino non solverit, cum ad vitam suam tenuerit vel in feodo, ad districtionem faciend', aliter erit procedendum; mortuo vero conductore infra tempus conductionis, hæres ejus eodem jure in conductionem succedet, nisi ille conductor in vita vel in morte aliter duxerit ordinandum. § 3. Item elapso termino conductionis in vita conductoris, bene poterit locator se ponere in rem locatam autoritate propria, si eam vacuam invenerit & non obligatam. § 4. Qui autem pro usu vestimentorum, auri, vel argenti, vel alterius ornamenti, vel jumenti mercèdem dederit vel promiserit, talis ab eo desideratur custodia, qualem diligentissimus pater familias suis rebus adhibet; quam si præstiterit, & rem' aliquo casu amiserit, de ea restituenda non tenebitur. Nec sufficit aliquam talem diligentiam adhibere, qualem suis propriis rebus adhibet, nisi talem adhibuerit ut superius; sic autem, ut ad obligationes redeamus, dicuntur hujusmodi obligationes contrahi ex consensu, quia neque scriptura, neque præsentia semper est necessaria. § 5. In hiis autem contractibus prænominatis uterque obligatur alteri, sed in mutuo, vel literarum obligatione, vel in commodato, vel in deposito, vel ratione expensarum, & aliis hujusmodi, quamvis non ab initio, tamen poterit postea uterque alteri incipere obligari.

De obligatione oriente ex quasi contractu. CAP. 60.

ET sciend' quod ex quasi contractu nascuntur actiones, sicut negotiorum, gestorum, tutelæ, commun' dividend' familiæ herciscundæ, actio ex testamento, conditio indebiti, & hujusmodi; de traditione fiat ut inferius. § 2. Junctura, ut si plura pacta de eadem re deducantur in stipulationem; plura enim pacta in stipulationem deduci possunt, sicut plures res; & si incontinenti adjiciatur initio contractus, insunt contractibus, & legem dant eisdem, & contractus infirmant: Si autem ex intervallo, non fit, ut, si in primo pacto intervenerit, nè peteret, & postea de eadem re, ut peteret. § 3. Primum pactum per posterius eliditur, non quidem ipso jure sed ope exceptionis; per nosmet ipsos autem adquiritur obligatio, & per filios nostros & liberos homines servientes nostros ex duabus causis; scilicet ex operibus suis, & re nostra per procuratores & per liberos quos sub potestate nostra habemus. § 4. Item per servos proprios & communes, vel in quibus usumfructum habemus, vel alios quos nos bona fide possidemus, dum nomine nostro fuer' stipulati. § 5. Tollitur autem obligatio quandoque per exceptionem, & hoc multipliciter: ut si quis petat, & alius doceat se solvisse. § 6. Item ratione pacti, ut, si priùs convenit ut peteret, postea, nè peteret. § 7. Item per exceptionem doli vel metus; vel si extorta fuerit obligatio

per

per dolum vel per metum. § 6. Item per exceptionem rei judicatæ, ut si per judicium recessum sit ab obligatione. § 7. Item per exceptionem jurisjurandi, cum delatum fuerit jusjurand' vel relatum, & postea juratum. § 8. Item per exceptionem præscriptionis propter defectum probationis, quia sicut tempus est modus inducendæ obligationis ita & tollendæ; per dissimulationem & negligentiam & per consequens actionis, quæ sub certis temporibus limitatur, currit enim tempus contra desides, ut sui juris contemptores. § 9. Item, tollitur morte alterius contrahentium vel utriusque, maximè si fuerit pœnalis & simplex; si autem duplex, sit pœnalis & rei persecutoria, in hoc quod pœnalis est tollitur, & non extenditur contra hæredes, nec datur hæred', qui pœna suos tenebit auctores, & extinguitur cum prima. § 10. Item tollitur cum sit extincta, quòd nullæ remanent ejus reliquiæ, sicut per veram solutionem, quia soluto eo quod debetur, omnis tollitur obligatio, sive ipse solverit qui debet, sive alius pro eo, sive debitore sciente sive ignorante, & eo etiam invito. § 11. Item si reus solverit, fidejussor liberatur, & è converso. Item per accepti lationem quæ dicitur imaginaria solutio, ut si dicatur, Omne quod debui tibi ex quacunque causa habèsne acceptum? & respondeatur vel scribatur, Habeo, acceptumq; fero; & in parte debiti poterit accepti latio fieri, sicut in toto, & possint omnes res, quæ aliqua ratione in stipulationem deducuntur, per accepti lationem tolli. Et eodem modo de quo tolluntur per accepti lationem obligationis, ita poterunt revocari & deduci in aliam obligationem plures & unam, ut si pro pluribus causis debitis & obligationibus promitteretur certa summa pecuniæ. § 12. Item per innovationem, ut si transfusa sit obligatio de una persona in aliam, quæ in se susceperit obligationem § 13. Interventu enim novæ personæ nova nascitur obligatio, & prima tollitur sicut de constituta, ut si quis in se susceperit alterius obligationem. § 14. Item si ab una persona transfusa fuerit in aliam quæ obligari non possit, omittitur, ut si in personam minoris à persona majoris. § 15. Item, vocatione intervenire poterit fidejussor & pœna. § 16. Item sub conditione, ut si secundus bene solverit, alioquin durat prima. § 17. Item, per confusionem, ut si massa confusa fuerit cum alia, ita quod non appareat. § 18. Item, per interitum rei & speciei in solutione; notand' tamen quod prædicta vera sunt, si corporale erat quod deductum fuit in obligationem; si autem incorporale, sicut est servitus vel jus aliquod quod est incorporale, non fieri poterit inde solutio, cum res incorporalis traditionem non patiatur, videtur tamen quasi traditionem fieri per quotidianam patientiam & usum. § 19. In summâ verò notand', quod eisdem modis dissolvitur obligatio quæ nascitur ex contractu, vel quasi quibus contrahitur. § 20. Re, ut, si res petenti restituatur; verbis, ut, si fiat in contrarium & contrariis verbis; scripto, ut, si cum scripserim me debere, & scribat se creditor accepisse; consensu, ut si communiter consensum fuerit ex utraque parte quod recedatur contract' per communem dissensum utriusque & non alterius tantum; traditione, ut si res tradita retradatur; junctura, ut, si fiat contrarium. § 21. Cum autem res sit mobilis quæ peti debet, sicut bos,

 leo,

leo, asinus, vestimentum, vel aliud quod consistat in pondere vel mensurâ, videtur primâ facie quod actio sive placitum esse debet tam in rem quam in personam, eo quod certa res petitur, & quia possidens tenetur restituere rem petitam; sed revera erit in personam tantùm, quia ille, à quo res petitur, non tenetur rem præcisè restituere, sed sub disjunctione, vel ad rem vel ad precium, & solvendo tantum precium liberatur, sive res appareat sive non. Et ideo si quis rem mobilem vendicaverit ex quacunque causa ablatam vel commodatam, debet in actione sua diffinire precium, & sic actionem proponere: Ego talis peto quod talis restituat mihi rem talem tanti precii: vel, Conqueror de tali, quòd talis mihi injustè detinet vel robberavit tantam rem tanti precii, alioquin non valebit rei mobiles vendicatio. § 22. Idem erit, si res mobiles petantur quæ consistunt in pondere, numero, & mensura; sicut massa, pecunia, vel triticum, vel aliæ quæ in liquido consistunt, sicut vinum vel oleum. Et quo casu, si hujusmodi res petantur, sufficit si implacitatus tantundem restituat quod sit ejusdem ponderis, numeri, & mensuræ. Et unde quia præcisè non compellitur ad rem quæ petitur, erit actio in personam, cum implacitatus per solutionem tatundem possit liberari. § 23. Actionum autem civilium in personam ex contractu vel quasi, quædam nascuntur ex pacto, & ex quasi contractu nasci dicuntur, quæ nec omnino ex pacto, nec omnino ex malefacto, sed majorem cum pactis habent affinitatem quam cum maleficiis. Ex contractu autem & obligatione oriuntur actiones, aliæ re, aliæ literis, aliæ verbis, aliæ consensu: Re, ut conditio certi de mutuo; conditio autem certi ex mutuo competit ex omni causa & obligatione, ex qua quidem certum petitur, sive ex contractu certo vel incerto: causæ verò hujusmodi actionum sunt quatuor, contractus nominati, ut, Do ut des: Do ut facias: Facio ut des: Facio ut facias. § 24. Oportet igitur quod certa res deducatur in stipulationem & promissionem, quia promissio vel obligatio rei incertæ nullius juris esse reputatur. § 25. Item, oportet quod certa res sit promissa, quamvis rei incertus eventus; & sicut certa debet esse res quæ promittitur, ita oportet quod certa res repromittatur ad hoc quod promissio sit valida; ut si dicam, Promitto tibi istam rem pro servitio tuo, vel pro homagio, vel pro tali re vel tali, & inde fiat scriptum in quo sic contineatur, valida erit obligatio. Oportet etiam quod certa verba interveniant stipulationem: ut si dicam, Dabis mihi decem marcas, & respondeas, Dabo, tali modo oritur obligatio. Et si instrumentum interveniat, validior erit nec interveniat, valebit hujusmodi promissio, nisi per mutuum consensum interrogantis & respondentis per scripturam fuerit confirmatum; nuda enim ratio & nuda pactio non ligant aliquem debitorem: Oportet igitur ex hoc quod aliquis ex promissione teneatur ad solutionem, quod scriptum modum continens obligationis interveniat, nisi promissio illa in loco recordum habente recognoscatur. Et non solum sufficiet scriptura, nisi sigilli munimine stipulantis roboretur, cum testimonio fide dignorum præsentium; uxor autem sine viro suo stipulare non potest, nec Canonici, nec monachi, & hujusmodi, sine consensu superiorum. § 26. Item nec minores poterunt obligari, nec recognitiones

nes

nes facere, nec furiosi, nec servi, sine consensu dominorum suorum. Quæ autem necessaria sunt ad donationem, exigantur ad stipulationem & promissionem. § 27. Ex hujusmodi autem obligationibus, promissionibus & stipulationibus oritur in cur' Reg' quædam actio, quæ dicitur Placitum de debito, eò quod spectat ad coronam Regis, nisi sint debita à testamento vel matrimonio suborta: quæ quidem in foro Ecclesiastico habeant terminari, sicuti & omnia quæ merè sunt spiritualia, ut de correctionibus quas Prælati faciunt, ut de mortali peccato, utpote pro fornicatione, adulterio, & hujusmodi, in quibus casibus aliquando infligitur pœna pecuniaria, maximè si liber homo inde convictus fuerit. § 28. Item pro cœmiterio non clauso, Ecclesia discooperta vel non decenter ornata; in quibus casibus alia pœna infligi non potest nisi pecuniaria. § 29. Item si persona petit à parochianis suis debitas decimas & consuetas, vel si rector agat contra rectorem de decimis majoribus vel minoribus, dummodo non petatur quarta pars valoris alicujus Ecclesiæ vel decimarum. § 30. Item si rector petat mortuarium in partibus quibus dari consuevit. § 31. Item si prælatus vel Patronus alicujus Ecclesiæ petat à rectore pensionem. § 32. Hæc autem præcipuè in foro Ecclesiastico habent terminari, non obstante Regia prohibitione. § 33. Item de violenta manuum injectione in clericum, vel in causa diffamationis, dum tamen non agatur ad pecuniam sed ad peccati correctionem, & de hac materia inferius. Cum quis ergo de debito quod sibi debetur in cur' Reg' agere voluerit, tunc refert in qua cur' om'i. Si autem coram Sen' aulæ, nullum competit ei breve nisi ostensa obligatione debitoris, & invento articulo quod debitor ad districtionem Sen' vel Mar', vel utriusque se obligaverit; tunc capta securitate à creditore de prosequendo, statim præcipietur Mar', quod distringat prædictum debitorem per catalla sua, donec pleg' invenerit, dum tamen infra metas hospitii Reg' inveniatur; ita quod proximo die juridico veniat coram Sen' sine esson', vel ulteriori dilatione creditor' in præmissis responsur': & si debitor personaliter inveniatur, attachiandus est per corpus, donec per pleg' se legitimè acquietaverit; qui si pleg' non habuerit, teneatur donec debitori responderit, non tamen in vinculis. § 34. Si autem pleg' invenerit, & diem litis receperit, & illo die non comparuerit, amerciandi sunt plegii, & ipse capiatur, si in jurisdictione hospitii inveniatur, & detineatur ut priùs, nec iterum dimittend' erit per pleg' ante responsionem suam. § 35. Si autem distringatur semel, bis, ter, & pluries fortè antequam se justiciari permiserit, & demum veniat in cur', statim antequam averia sua deliberet per pleg', finem faciat de contemptibus, quòd prius contemptibiliter comparere neglexit, nisi per legem suam legitimè se acquietaverit, quod non supersedit venire quam citius inde scivit. § 36. Et tunc inventis pleg', de parendo juri districtionis suæ liberam extunc habeat administrationem, & statim respondeat creditori; cum comitibus tamen mitiùs est agend', eo quod primo debent per Mar' summoneri; quam si supersederint, tunc primo distringantur, & tertiò, si necesse fuerit, attachientur. Et eodem modo fieri debet familiaribus servientibus Reg', dum tamen domesticis & colla-

teralibus,

terallbus, & hinc est quod vulgariter dicitur, quòd servientes Reg' sunt pares comitibus. Cum autem comparuerit debitor, proponat exceptiones suas generales & speciales, dilatorias & peremptorias, prout sibi viderit expedire, alioquin remanebit indefens', & pro convicto habeatur: nam ex quo nihil dicit contra petentem, præsumitur eo ipso quod nihil sciat contradicere, & quod tenetur creditori in re petita, per quam considerabitur, quòd querens recuperet debitum cum dampnis, & debitor liberetur Mar', donec creditori satisfecerit & Regi de misericordia, in quam incidet pro injusta detentione, nec minuentur dampna petita donec per convictum taxari petantur.

De exceptionibus coram Sen' & Mar'. CAP. 61.

EXcipere autem poterit multipliciter per exceptiones generales contra personas judicantium & contra personam querentis; per exceptiones autem speciales sic, poterit peti quid habeat de debito illo; qui si nihil habeat nisi solam vocem, attachiatus quietus recedet. § 2. Si autem sectam produxerit, reo incumbit defensio contra ipsum & contra sectam suam productam per legem suam: eodem modo fiat cum Tallias protulerit, nisi querens mercator fuerit, nam mercatoribus Tallias dedictas per testes idoneos conceditur de gratia principis probare, ad minus per duos juratos, qui de die, loco, & numero, & aliis circumstantiis concordes per diligentem examinationem inveniantur. § 3. Et si scriptum protulerit, & vicium inventum sit in nomine vel in numero, dicere poterit quod non tenetur tali scripto respondere, quia vicioso. § 4. Item poterit negare, quòd non fuit factum suum. § 5. Item poterit allegare solutionem si habeat per quid. § 6. Item dicere poterit quod non est obligatus ad districtionem Sen' & Mar', & quo probato nihil capiet querens nisi tripliciter, sic, quod etsi non obligetur ad districtionem Sen', hoc sibi prodesse non debet, eo quod est de hospitio Reg', & in servitio suo continuè, & quo casu respondebit, vel indefensus remanebit, & pro convicto habebitur, quia per servitium Reg' essoniari poterit alibi ubique in infinitum & servitium Reg' nulli debet esse dampnosum nec injuriosum. § 7. Item dicere poterit quod non tenetur respondere coram Sen', eo quod extra metas hospitii & non in jurisdictione Mar' captus fuit, & violenter huc ductus. § 8. Item dicere poterit quod die in narratione contento non fuit Rex à duodecim leucis secus locum in ostensione expressum, ita quod factum non potuit fieri infra metas hospitii, per quod cognitio non spectat ad Sen'. § 9. Item dicere poterit quòd illa querela tangit liberum ten' suum, & petere poterit judicium si de libero ten' suo vel ten' annex' debeat sine brevi Regis respondere. § 10. Item dicere poterit quod aliàs questus fuerit de eadem transgressione in tali cur', de qua quietus recessit, & querens in misericordia pro falso clamore. 11. Item si de re petita ostendat quietam clamantiam. § 12. Item dicere poterit quod alibi in cur' per breve Reg' est placitum pendens iter eos de eodem debito. § 13. Item si conditio contineatur in obligatione, dicere poterit quod de debito non tenetur, quia non est satisfactum conditioni vel conventioni.

ventioni. § 14. Item si plures se obligaverint, poterit peti judicium, si sine consociis de re obligata in communi debeat solus respondere de totali. § 15. Item & si quilibet obligetur in solidum, dicere poterit quod talis solvit pro omnibus, & inde poterit vocare ad warrantum, recordum, vel proferre quietam clamantiam ejusdem petentis, sed præstita securitate habendi warrantum vel quietam clamantiam, de quibus dictum est paulo ad alium diem, & illo die sibi præfixo venerit, & nil tulerit quod ei prodesse poterit, pro convicto habebitur, & in odium dilationis dampna reddet in duplo querenti, & eò amplius graviter amercietur. Si autem non venerit, distringantur ulterius plegii donec satisfecerint debitori, vel corpus plegiati Marescallo restituerint, & nihilominus amerciabiles sint, eo quod non habuerint, &c. § 16. Item dicere poterit quod tempore confectionis non fuit compos mentis suæ, vel non sui juris, quia nondum plenæ ætatis in custodia talis, vel quia in prisona apud talem locum, vel oppressus, vel metu minarum coactus, vel si uxor respondere non poterit sine viro suo: Et plures aliæ sunt exceptiones, quas si petens dedicere non possit, cadit à causa, & erit in misericordia pro falso clamore suo, & reus inde sine die recedet. § 17. Mortuo autem obligatore in casu præmisso, expirat obligatio, nec poterit quivis suum hæredem propinquum, vel remotum ad districtionem Sen' vel Mar' obligare. § 18. Cum autem placitum debiti sit quoddam placitum commune, & in charta libertatis contineatur, quod communia placita non sequantur cur' Reg', sed in certo loco teneantur, Provisum est quod hujusmodi placita coram Justiciar' in Banco constitutis generaliter, & coram Justiciar' ad omnia placita teneantur & terminentur. Sunt tamen causæ speciales ob quas alibi terminantur ex permissione principis per querelam coram Sen' aulæ, & ut in scaccario cum causa fuerit Regi necessaria, videlicet nè ministri sui de scaccario ab obsequio suo continuo quicquam impediantur. Sed hæc permissio non se extendit nisi tantum ad officiales Reg' in scaccario residentes, nisi plerunque contigerit aliquem in debito Regis vehementer existentem per eundem favorem subveniri, & quo casu tam utilis est Regi, eo quod Rex celerius recuperare habebit, fortè ad debitum suum recuperand' per debitores ejusdem debitoris, quàm quod fieri faciat pecuniam suam de terris & catallis suis. § 19. Aliquando etiam conceduntur hujusmodi placita deduci in com', civitatibus, burgis & libertatibus pro pravitate debitorum, sed hæc causa non est tantum necessaria Regi, sed populo, ut sic laboribus parcatur & expensis. § 20 Conceditur etiam quod in hundred', wapentak', tritingis, & aliis minutis curiis Reg' & Baron' possunt placita debiti summam quadr' solid' non excedentis sine brevi discuti & terminari. § 21. Diversimodè autem vocantur hundred', nam super variatione patriarum & locorum variantur inde nomina, & fortè non sine ratione: nam ultra Watlingstreete, sicut in com' Ebor', & Lincoln', Nottingham, Leicestr', Northampt', & hujusmodi, vocantur wapentakia, olim namque cum quis capiebat præfecturam wapentakii, certis die & loco statutis, ubi congregari consueverant, omnes majores natu contra eum conveniebant, &, descendente eo de equo suo, omnes assurgebant ei, ipse verò

erectâ

erectâ lanceâ suâ ab omnibus secundùm morem fœdus accipebat. § 22. Omnes enim quotquot venissent cum lanceis suis, ipsius hastam tangebant, & ita se confirmabant per contactum armorum palam pace concessa: Anglicè enim arma vocantur **Wapne**; Tactare, id est, confirmare, quasi armorum confirmatio, vel ut magis expressè secundùm linguam Anglicanam dicamus, wapentakium armorum tactus, **Wapne** enim armum sonat, tak', tactum significat. §. 23. De tritingis, sciend' quod aliæ potestates erant super wapentak' quæ tritinga dicebantur, eo quod erat tertia pars provinciæ; qui verò super eos dominabantur, trithingreves vocabantur, quibus differebantur causæ quæ non in wapentakiis poterint diffiniri in Schiram, sicque quod Anglici vocant hundred', jam, per variationem locorum & idiomatis, wapentakia appellantur, & tria, vel quatuor, vel plura hundr' solebant Tithringa vocari; & quod in Tithringis non potuit diffiniri, in Shiram id est, in com' differebatur terminand': modernis autem temporibus pro uno & eodem habentur apud homines hundr', wapent' & Tithring'.

De remediis in actione debiti. CAP. 62.

PLura autem remedia in actionè debiti sunt provisa, succurritur autem quandoque querenti per tale breve: Rex vic' salutem: Præcipimus tibi quod si A. recognoscat se debere decem libr' tunc distringas præfat. A. ad prædictum debitum præfato B. sine dilatione reddend'. T. &c. Per quod breve conceditur vic' record' in hoc casu, & non alii; non poterit igitur vic' jurisdictionem alteri delegare si vellet, quòd hujusmodi mandatum per alium exequeretur, non magis quam licitum est Justiciar' facere Justic': Et si debitor debitum recognoverit coram vic', statim distringatur per omnia mobilia sua, donec creditori fuerit satisfactum; quod si negaverit, tunc competit querenti tale breve. § 2. Rex vic' salutem: Præcipimus tibi quod justicies A. quod justè, &c. reddat B. decem marc' quas ei debet ut dicit, sicut rationabiliter mostrare poterit quod ei reddere debeat, nè amplius inde clamorem audiamus pro defectu justitiæ. T. &c. & licet vic' nihil operantur ad hujusmodi brevia, antequam plegii inveniantur de prosequendo, æquum tamen non est, eo quod in brevibus non continetur talis processus. § 3. Debent enim revera, inprimis, præcipere debitoribus secundum quod habent in præceptis; qui si reddere supersederint, extunc videtur quod sine lite reddere non curant. Si ergo petens petat litem, tunc primò offerat pleg' de prosequendo litem suam, securitateque recepta statim fiat summonitio debitori per duos liberos homines de visneto, in quo debitor domicilium & mansionem habuerit, quod sit ad proximum com' loci tali querenti super placito tanti debiti responsur', nec erit vis si in propria persona summonitionem non recipiat, dum tamen alicui de ejus familia fuerit summonitio relata. § 4. Ad quem diem si non venerit, nec se essoniaverit, & summonitio erit testata, offerente se liti petente, statim præcipiatur quod distringatur donec se justiciari permiserit per plegios de parendo juri proximo die comit', qui si pleg' invenerit, & ad diem suum non venerit, nec se essoniaverit, amercientur pleg', & iterum distringatur, & capiantur plures districtiones,

ſtrictiones, & retineantur priùs captæ, & ſic in infinitum, donec comparuerit; qui cum tandem venerit,& finem fecerit pro pluribus defaltis;reſpondere poterit, & excipere per exceptiones generales & ſpeciales. Et ſi debitor convincatur, conſiderabitur quod querens recuperet debitum cum dampnis, quæ per vicecom' & ſectatores Com' taxabuntur, ſi reus hoc petat,& reus in miſericordia vic' remanebit; & præcipietur ſervienti Reg' de hundred' in quo reus plura habeat mobilia, quod de catallis ſuis habere faciat, &c. § 5. Et ſi ballivus in hoc ſit tepidus & remiſſus, & parum vel nihil operatur in præceptis ſibi injunctis; vel ſi debitor in odium petentis permiſerit terrã ſuam jacere nudam & incultam, & nulla averia inveniantur vel catalla, tunc ſuccurritur per tale remedium, quod ſiquis cautè in hoc caſu proſpicere voluerit, faciat loquelam ante judicium ad magnam curiam transferri per pone, niſi ab initio omiſſo Com' petatur per tale breve immediatè coram Juſticiar' de Banco ſubveniri. § 6. Rex vicecom' ſalutem, Præcipe A. quod juſtè,&c. reddat B. x marc' quas ei debet, & injuſtè detinet ut dic', & niſi fecerit, & præf. B. fecer' te ſecurum de clamore ſuo proſequend', tunc ſummon' per bonos ſummonit' præfat' A. quod ſit coram Juſticiariis noſtris apud Weſtmin' tali die oſtenſur' quare non fecerit. Et habeas ibi ſummon' & hoc breve T.&c. § 7. Per quod quidem breve ſi debitor poſt defaltas eſſonia & dilationes ſuas de debito petito in toto vel in parte convincatur, tunc fiat executio judicii ſecundum tenorem hujus Statuti. § 8. Cum debitum fuerit in cur' Reg' recognitum,vel per placitũ convictum, vel ſi dampna fuerit adjudicata, de cætero ſit in electione illius qui ſequitur pro hujuſmodi dampnis vel debitis habend' ſequi breve, quòd vicecom' fac' fieri de bonis & catallis rei, &c. vel quod vic' liberet ei omnia catalla debitoris quatenus ſufficiant, exceptis bobus & affris carucæ ſuæ,unà cum medietate terrarum debitoris, ſi catalla non ſufficiant per rationabile pretium & extentionem, donec debitum fuerit inde levatum: qui, ſi inde ejiciatur infra terminum ſibi commiſſum, habeat recuperare ſuum per breve novæ diſſeiſinæ, & poſtea per breve rediſſeiſinæ, ſi neceſſe fuerit. Eſt aliud breve de debito, quod fit pro executoribus alicujus, quod tale breve eſt. § 9. Præcipe A. quod juſtè,&c. reddat B.&c. executoribus teſtamenti talis tantum, &c. Et niſi fecerit,&c. Et è contra ſic: Præcipe A.& B. executoribus teſtamenti C. quod juſtè,&c. reddant D. tantum,&c. & niſi fecerint,&c. § 10. Et ſciendum quod ſi quis exigeret debitum verſus hujuſmodi executor', & ipſi petant habere viſum de inſtrumento per quod petitur debitum, & viſum habuerint, extunc excludentur habendi beneficium per hanc exceptionem videlicet quòd de bonis defuncti nullam habent adminiſtrationem. Et notand' quod hæres non tenetur in Anglia ad debita Anteceſſoris reddenda, niſi per Anteceſſorem ad hoc fuerit obligatus, præterquam debita Regis tantùm, & ſuper hoc ſit Statutum tale in magna charta. § 11. Si aliquis tenens de nobis laicum feodum moriatur, & vicecom' vell ballivus noſter oſtendat literas noſtras patentes de ſummonitione Scaccarii de debito quod defunctus nobis debuit, liceat vicecom' vel ballivo noſtro attachiare & imbreviare catalla defuncti inventa, ad valentiam illius debiti per viſum & teſtimonium

legalium hominum: Ita tamen quod nihil inde amoveatur, donec debitum nobis persolvatur quod clarum fuerit, & residuum relinquatur executoribus ad faciendum testamentum defuncti: & si nihil nobis debitum fuerit, omnia catalla cedant defuncto, salvis uxori suæ & pueris rationabilibus partibus suis. § 12. Et si debitor intestatus decedat, & bona mobilia per ordinarios suos loci sequestrentur, quo minus per manum laicalem fieri possit judicii executio in præmissis, tunc succurritur creditori per hoc Statutum. § 13. Cum post mortem alicujus decedentis intestati, & alicui in aliquo debito teneatur, bonaque ejus mobilia ad ordinarios deveniant disponenda, extunc obligetur hujusmodi ordinarius ad respondendum de debito creditoribus defuncti, quatenus bona defuncti sufficiant, eodem modo quo tenerentur, si testamentum fecisset & executores. Et notandum quòd ea quæ arbitrio amici in ultima voluntate alicujus sunt relicta, non debent argui fore indispofita. § 14. Est etiam aliud breve quod dicitur, De annuo redditu, quod in Com' placitari potest, quod tale est, Præcipimus tibi quod justicies A. quod juste,&c. reddat B. x marcas, quæ ei à retro sunt de annuo redditu tanti per annum, sicut rationabiliter,&c. § 15. Ad quod notand' quod annuus redditus potest dici tribus modis: Primus modus est, ubi dominus seisitus est de certo redditu, homagio & fidelitate ab aliquo Tenemento exeunte. Secundus, ubi dominus receperit homagium de aliquo tenente, & redditus & servicia cuidam alii assignavit; ita quod ipse percipiat redditus & servicia de eodem ten', in quorumcunque manum devenerit. Tertius modus est, ubi aliquis perceperit annuatim certum redditum de Camera alicujus ad terminum vitæ. § 16. Notandum est etiam, quòd est differentia inter breve de consuetudine & serviciis, & breve de annuo redditu, quia breve de consuetud' & serviciis vult portari de aliquo tenemento; breve verò de annuo redditu potest portari de ten', licet ten' illud non teneatur de illo qui redditum illum petit.

Exceptiones in Debitis. CAP. 63.

EXcipiendo poterit peti quid habet de redditu illo, & per quod illum habere debeat; qui si scriptum proferat, dedici poterit vel adnihilari per quietā clamant' inde prolatam. Item, si narrat per medium recti, poterit peti judic' desicut breve est de arrer', & naturaliter vult narrari per dampna. § 2. Et nota, quod defendens defendere poterit dampna per legē suam, & non arrer'. § 3. Notand' etiam quod breve de ann' redditu portari poterit ubi nunquam obtenta fuit seisina, dum tamen scriptum habuerit. § 4. Solent autem plerique hominum in feriis, mercatis, civitat', burgis, & in feodis in jurisdictionibus suis aliquos transeuntes de feodis vel jurisdict' suis nullatenus existentes, ad querimon' alicujus invenient' pleg' de prosequend' impedire, distringere & gravare pro alieno debito, cujus non fuerit pleg' nec debitor, imponentes eis, quòd erant tali debitori affines, ut de una societate, vel civitate, & hujusm', & impunè; Propter quod provis. est & inhibitum, ne quis aliquem forin', dum pleg' non fuerit neque debitor, pro aliquo debito alieno alicubi distringat, nec ad aliquam solutionem compellat: Et qui fecerit, graviter punietur.

Et

Et si plegii alicujus debitoris, omisso ipso debitore, distringantur, dum tamen ipse debitor sufficiat ad satisfactionem, tunc succurritur eis per tale breve. § 5. Rex vicecom' salutem: Monstaverunt nobis A. & B. quod cum ipsi devenissent pleg' C. versus D. de quadam summâ pecuniæ, in qua idem C. præfato B. tenebatur, ac idem C. satis habeat unde prædictam pecuniam reddere possit, tu nihilominus ipsos distringis ad prædictam pecuniam præfat' D. solvend. Et quia hoc injustum est, quod aliqui plegii ad solutionem debiti compellantur, quamdiu principale debitores sufficient' habeant unde debitum suum reddere possunt, tibi præcipimus quòd distringas prædictum C. pro prædicta pecuniâ, & prædictis pleg' pacem habere permittas: Et averia sua, si qua eâ occasione ceperis sine dilatione deliberari fac' T. &c. Et sciendum quod principalis debitor & pleg' ejus pares sunt quoad debitum Reg' solvend' & non alienum. Et ad hoc facit hoc Statutum de magna charta. § 6. Nos verò vel ballivi nostri non seisiemus terram nec redditum pro debito aliquo, quamdiu catalla debitores præsentia sufficiunt ad debitum reddendum, cum ipse debitor paratus sit inde satisfacere; nec plegii ipsius debitoris distringantur, quamdiu ipse capitalis debitor sufficiat ad solutionem debiti. Sed si defecerit, non habens unde reddet, aut reddere nolit cum possit, plegii tunc respondeant' de debito. Et habeant si voluerint terram debitoris & redditus quousque sit eis satisfactum pro debito pro eo soluto, nisi capitalis debitor monstraverit se esse quietum. § 7. Item in primis Constitutionibus Westm' statutum est, quòd nullus forinsecus distringatur in civitatibus, burgis, aut villis nundinis vel mercat', nisi debitor sit plegiusve, & nisi fecerit, graviter punietur,& districtio deliberetur per ballivum loci vel per ballivum Regis, non obstante libertate, duntaxit per querelam. § 8. Et si fortè contingat, quòd plegii ob defectum debitoris debitum solverint creditori, vel aliter dampnum incurrant, tunc consulitur eis per hoc breve; Præcipimus tibi quod justicies A. quod justè &c. acquietet B. de centum solid' unde posuit eum pleg' versus C. & nondum eum acquietavit ut dic' sicut rationabiliter monstrare poterit, quòd eum acquietare debeat, nè amplius &c. quod àmovere poterit extra Com' ad magnam curiam per pone. Vel ab initio succurritur ei per tale breve, si velit, Præcipe A. quod justè, &c. acquietet B. de cen' solid', unde &c.& nisi &c. § 9. Et qualiter succurritur creditori nullum scriptum debitoris proferenti, cum facere debeat rationabilem monstrationem, qd' ei reddere debeat. Sciend' quod ad simplicem vocem suam non tenebitur respondere, & ad hoc facit hoc Statutum in magna charta. § 10. Nullus liber homo ponatur ad legem nec ad juramentum per simplicem loquelam sine testibus fidelibus ad hoc ductis. Sed si sectam produxerit, hoc est, testimonium hominum legalium qui contractui inter eos habito interfuerint præsentes, qui à Judice examinati, si concordes inveniantur, tunc poterit vadiare legem suam còntra petentem & contra sectam suam prolatam: ut si duos vel tres testes produxerit ad proband', oportet quod defensio fiat per quatuor vel per sex. Ita quod pro quolibet teste duos producat jurat' usq; ad xii. § 11. Et in hoc casu semper incumbit probatio neganti; In paritate autem juris prius

admit-

admittatur defensor quam pars actrix in probatione. Et si aliquis Jurator' product' jurare nolit, vel quod Jurator' sufficient' non produxerit, eo ipse habebitur pro convicto. Et si secta variabilis inveniatur, extunc non tenebitur legem vadiare contra sectam illam, sed recedet inde sine die, & querens in misericordia remanebit. § 12. Et quod dicitur de secta ad vocem probandam, dici poterit de secta producta ad tallias probandas, contra quas sine secta prolatas simplici Sacramento negantis erit credendum; secus tamen erit in Civitatibus & nundinis, & inter mercatores, quibus ex gratiâ principis conceditur, ob favorem mercatorũ, quod parti affirmativæ secundùm legem mercatoriam erit probatio concedenda, & ipsis conceditur tallias dedictas probare per testes & per patriam. Inter quos verò habetur talis consuetudo, quòd si tallia proferatur contra talliam, allegando per eam solutionem rei petitæ, si ex parte adversa dedicatur, tunc considerandum erit, quòd ille, cujus tallia dedicitur, eam probet hoc modo, quòd adeat novem Ecclesias, & super novem altaria juret, quod talis querens talliam dedictam sibi fecit nomine acquietanciæ debiti in ea contenti, sic ipsum Deus adjuvet, & hæc sancta. Quibus expeditis, recedet inde reus quietus imperpetuum, & querens in misericordia remanebit. Sed quoniam creditores, tam Mercatores quam alii, frequenter decipiuntur per hujusmodi malitias debitorum, constitutum fuit in favorem creditorum subsequens remedium.

De Debitoribus & Creditoribus. CAP. 64.

CUm Mercatores & alii Creditores, qui temporibus retroactis bona & catalla sua diversis debitoribus crediderint, dampnum & paupertatem incurrerint, pro eo quod competens remedium nullatenus ordinabatur, per quod diebus statutis pro solutionibus bona sua sic credita recuperare nequiverant, ob quod plerique cum bonis & merchandisis suis in hoc Regnum venire retraxerunt, ad dampnum eorum, & fortè totius Regni, Dominus Rex nuper in Parliamento suo apud Actone Burnel habito supplendo defectus prædictos, debitum fecit remedium ordinari; verùm quia ordinatio illa in aliquibus articulis per diversos ministros viceeom' & alios ballivos voluntarias cepit interpretationes, idem Rex in Parliamento suo apud Westm' anno regni sui xiii. termino Pasch' prædictos articulos declarari fecit in hunc modum. § 2. Inprimis ordinavit, quod quicunque de bonis suis credendis firmam affectaverit securitatem obtinere, venire fac' suum debitorem coram capital' custod' Civitatis, & ad hoc per Regem deputato, & coram quodam clerico, cujus erit Rotulum recognition' duplicare, quorum unus penes dictum Custodem majorem, vel ejus locum tenentem, remanebit, & alius penes Clericum memoratum, coram quibus prædictus debitor cognoscat debitum suum, & diem solutionis inter ipsum & creditorem suum præfixum, quam idem clericus statim manu sua irrotulabit, & literam etiam obligatoriam faciet nomine debitoris ejusdem, quemadmodum cognovit; cujus tenor talis est. § 3. Noverint universi me A. de tali Com' teneri B. in x marc' solvend' eidem ad festum Pentec' Anno regni regis, &c. Et nisi fecero, concedo quòd currant super me & hæredes meos districtio

&

& pœna provisæ in Statuto Domini Regis edito apud Westm', dat' London tali die anno supradicto. § 4. Ad quam idem debitor apponat sigillum suum, ad quam etiam quoddam sigillum Regis ad hoc specialiter de ii pet' provisum apponatur in testimon', unde medietas penes custodem, & alia penes prædictum clericum salvò custodienda remanebit. Item si debitor prædictum solutionis diem non servaverit, statim ad querimoniam creditoris literas prædictas ostendentis capiatur corpus ejusdem debitoris, si in eorum potestate inveniatur, & custodiæ mar' mancipietur, in qua custodiatur, donec creditori suo satisfecerit competenter. § 5. Et præcipit Rex omnibus custodibus gaolarum suarum, quòd hujusmodi debitores sic custodiendos admittant, quoties ab hujusmodi custodibus inde fuerint requisiti, alioquin de satisfaciendo hujusmodi creditoribus debito petito teneantur. E si hujusmodi prisonarii ad hoc non sufficiant, superiores inde respondebunt. §. 6. Et si debitor in potestate illius Majoris vel Custodis non inveniatur, tunc sub præfat' sigillo Regis scribatur suo Cancellario sic. § 7. Venerabili in Christo Patri ac Domino suo charissimo Domino A. Dei gratiâ tali Episcopo illustrissimi Regis Angl' Cancellar' talis custos talis civitatis, & talis clericus ad recognitiones debitorum accipiendas deputati salutem, Cum omni reverentia & honore, Reverendæ dominationi vestræ significamus per præsentes, quod A. de comitatu tali recognovit coram nobis se debere B. decem marc' solvend' eidem ad tale festum, juxta formam Statuti Regis, anno regni Regis edito apud Westm'. Et quia prædictus A. terminum solutionis suæ non servavit, ut prædictus B. dicit, Reverendæ dominationi vestræ humiliter devotè supplicamus, quatenus scribere jubeatur Vicecomiti Hertf. quòd eundem A. ad solutionem prædictæ pecuniæ, juxta formam Statuti prædicti, compellat. Et erit hujusmodi litera patens ut pro Warranto Cancellarii habeatur. § 8. Et sciend', quod clericus, nisi habeat uxorem, nec minor uxor habens virum, non poterunt ad prædictam pœnam obligari. § 9. Et postquam idem debitor in hujusmodi prisona extiterit, habeant suorum mobilium & immobilium liberam administrationem durante primo quarterio anni post ejus captionem; qui si aliquid inde vendiderit, pro rata habebitur illa venditio, non obstate imprisonamento prædicto. § 10. Qui si in illo quarterio creditori non satisfecerit, extunc liberentur eidem creditori omnes terræ, omniáque catalla prædicti debitoris per rationabile pretium, nomine liberi tenem', tenend' donec plenariè leventur tam debitum, quàm dampna, & nihilominus remaneat idem debitor in prisona, cui prædictus creditor panem inveniet pro victu, & aquam. § 11. Et si ab hujusmodi tenemento ejiciatur, statim competit ei remedium per ass' novæ disseisinæ, & redisseisinæ, si necesse fuerit. Ita quòd liberum tenem' habeat in eisdem durante termino suo. Et in Brevi Vicecom' faciendo fiat mentio, quòd ad diem in Brevi contentum certificet Regem, vel ejus Cancellarium, vel Justiciario de Banco, qualiter mandatum Regis sibi directem fuerit assecutus. § 12. Ad quem diem sequatur creditori coram Justiciario suo, si sibi non fuerit de debito suo satisfactum. Et si retornaverit, quòd hujusmodi debitor non est inventus in ballivia sua,

habeat

habeat petens Breve cuicunque Vicecomiti eligere voluerit, quòd ille Vicecomes habere sibi faciat seisinam omnium, terrarum, & tenementorum, & omnium catallorum ipsius debitoris, & quòd corpus debitoris capiat, si laicus sit. § 13. Et caveant sibi custodes, nè capti negligenter custodiantur, eò quòd si contingat hujusmodi captos à prisonis hujusmodi abire, priusquam creditoribus suis de debito petito, simul cum dampnis, misis necessariis, & custibus rationabilibus in laboribus, dilationibus & expensis plenariè satisfecerint, extunc ipsi custodes de præmissis satisfacere creditoribus teneantur. § 14. Item, si hujusmodi debitores pleg' invenerint, qui se tanquam principales debitores obligaverint, die solutionis non observato, tunc fiat de eis in omnibus prout de principalibus est ordinatum. § 15. Nec solùm fiat creditori seisina de terris & tenementis in manibus debitoris inventis, sed etiam de omnibus terris & tenementis quæ fuere ipsius debitoris in feodo die quo recognitionem fecit, in quorumcunque manus devenerint per feoffamentum, vel alio modo, nisi mortem debitoris devenerint hujusmodi terræ & tenementa ad hæredem infra ætatem existentem. Et quàm citiùs de hujusmodi terris debitum suum cum pertinentiis recuperavit, revertantur terræ & tenementa prædicta debitori, & feoffatis vel hæredibus suis. § 16. Si autem debitor & plegii sui mortui fuerint, tunc non habeat creditor Breve ad corpora hæred' capienda, sed tantùm ad terras, & tenementa, & catalla, in forma supradicta. § 17. Et cum creditor debitorem semel dimiserit, ad captionem ejus eâ occasione qua prius non habebit regressum, eò quòd de novo contractu præsumendum est, ex quo vadium à manu sua semel liberavit, & novo contractu nova sortiatur actio. § 18. Breve autem Vicecomiti dirigendum tale erit. § 19. Rex Vicecomiti salutem. Quia A. coram tali custode talis civitatis recognovit se debere B. in x. marc', quas ei solvisse debuit à die Paschæ in xv. dies, anno regni Regis, &c. & eas nondum solvit, ut dicit, Tibi præcipimus, quòd corpus ipsius A. capias, & salvò in prisona nostra custodire facias, donec eidem B. de prædicto debito plenariè fuerit satisfactum. Et qualiter hoc præceptum nostrum fueris executus, nobis scire facias per literas tuas sigillatas in octab' sancti Hillarii, ubicunque tunc fuerimus in Anglia, & habeas ibi hoc Breve T. &c. § 20. Si autem Vicecomes retornaverit, quòd debitor non potuit in ballivia ejus inveniri postquam hujusmodi Breve sibi venit; tunc fiat tale Breve de judicio. § 21. Rex Vicecomiti salutem. Cum nuper tibi præceperimus, quòd quia A. coram, &c. tu nobis retornâsti ad eundem terminum, quòd prædictus A. non fuit inventus in ballivia tua postquam Breve nostrum inde tibi venit, Tibi præcipimus, quòd omnia bona & catalla, simul cum omnibus terris & tenementis quæ fuerunt prædicti A. in ballivia tua, die quo prædictum debitum recognovit, ad quorumcunque manus devenerint per feoffamentum vel alio modo, nisi terræ & tenementa illa ad hæredem infra ætatem existentem devenerint, eidem B. vel ejus assignato per rationabile pretium deliberari facias, tenend' nomine liberi tenementi, quousque præfato B. de prædicto debito satisfecerit, simul cum dampnis, custagiis necessariis, laboribus, sectis, dilationibus, & rationabilibus expensis. Et si contingat

tingat corpus ipsius. A. in ballivia tua interim inveniri, si laicus sit, tunc illud capias, & salvò in prisona nostra custodias: Ita quòd per unum quarterium anni postquam captus fuerit, vivat de suo proprio in prisona nostra, infra quod quarterium anni habeat terras suas, & tenementa, bona, & catalla sua deliberata, de quibus per suos possit prædictam pecuniam levare, & prædicto B. satisfacere si voluerit, quorum venditio infra prædictum terminum stabilis erit & firma, corpore prædicti A. in prisona nostra nihilominus interim remanente, cui prædict' B. inveniet panem & aquam ad victum. Et caveas quòd prædictus A. postquam captus fuerit, in salva custodiatur prisona; quia si contingat ipsum à prisona nostra evadere, de corpore vel de debito te oportebit respondere. Et qualiter hoc præceptum nostrum, &c. § 22. Et si petens per se, vel per procuratorem, seisinam inde non fuerit prosecutus, & Vicecomes ad diem retornaverit, quòd talis non fuit inventus in ballivia sua, postquam Breve inde sibi venit, nec quòd aliquis venit pro querente seisinam terrarum & rerum mobilium petiturus, tunc iterum præcipiatur sicut aliàs, nisi petens petierit aliud Breve alii Vicecom', in cujus comitatu corpus debitoris capi poterit, destinari; qui si capiatur, tunc ordinatum est sic, quòd salvò in prisona custodiatur, donec creditori suo satisfecerit. § 23. Item provisum est quòd aliud fiat sigillum specialiter pro Nundinis, unde electis duobus Mercatoribus fide dignis, de Civitate London', per totius communitatis Mercatorum Nundinarum assensum, & ad officium subscriptum juratis, statim liberetur eis ejusdem sigilli medietas, cujus altera penes quendam clericum per Regem ad hóc deputat' remanebit, coram quibus vel altero saltem Mercatorum fiant recognitiones, & priusquam debitores fecerint suas recognitiones, legatur eis pœna statuti, ut inde legitimè præmuniantur. § 24. Clericus autem Nundinarum tempore pro qualibet libra argenti recognita, tres denarios recipiet & ob', alibi autem qui fuerit clericus, pro qualibet libra recognita, de uno denario sit contentus pro sustentationibus. § 25. Has igitur constitutiones præcipit Rex per totum regnum & dominium suum, Angliæ scilicet & Hiberniæ, firmiter observari. § 26. Nec propter hoc suspendantur recognitiones faciendæ coram Justiciariis, & ad Scaccarium, & alibi in Curia Regis, nec Breve de debito, nec forma executionis consueta.

De Districtionibus generalibus. CAP. 65.

Districtionum quædam sunt personales, & quædam reales. § 2. De realibus non fit districtio, nisi per captionem rei petitæ. § 3. De personalibus fit districtio per personas, & hoc multipliciter: aliter enim in criminalibus causis quàm civilibus. § 4. Est enim crimen magnum, majus, & maximum. In maximis verò criminibus Regem tangentibus nulla fiat solemnitas Attachiamentorum, sed statim capiatur corpus talis quicunque fuerit ille, non solùm à Vicecomite vel Ballivo, sed ab omnibus qui sunt ad fidem Regis. Et cum talis captus fuerit, alios plegios non habeat, donec se acquietaverit, nisi gaolam & judicium. § 5. Et eodem modo fiat de majoribus criminibus comparativis privatas personas tangentibus, & non Regem.

gem. In magnis verò criminibus positivis, mortem non inducentibus, sicut in civilibus actionibus ex atrocibus injuriis provenientibus, debet eadem solemnitas Attachiamentorum observari. § 6. Sunt etiam quædam personales actiones quæ utlagar' inducunt, quæ locum habent in Com', de quibus fit quæstio vel accusatio per suspitionem & famam habitam inter bonos & graves super aliquo crimine, vel super aliquo alio delicto, vel atroci injuriâ contra pacem Regis illata, in contumacibus super actione compot', & abductionis puerorum maritandorum injustè, & transgressionibus factis in parcis & vivariis. § 7. Quædam verò quæ longam carceris inducunt inclusionem cum redemptione, sicut de redisseisitoribus, recaptatoribus averiorum eâdem occasione qua prius, de resistentibus executionibus judiciorum Cur' Regis, de falsis Appellatoribus & eorum abettatoribus quidem: & quamvis sint irreplegiabiles, causam tamen utlagariæ non inducunt. § 8. Et sunt quædam personales actiones, quæ non nisi amissionem partis bonorum inducunt ob contumaciam, quæ locum habent in contumacibus, de quibus fuerint querimoniæ de injuriis super aliquibus contractibus, sicut super actionibus de conventione sine facto debito warrantiâ chartæ, chartis reddendis annuo redditu, consf. & serviciis, & aliis infinitis, in quibus fit summonitio ante attachiam'; & ob defaltam factam post attachiam', sequitur immediatè magna districtio, quæ inducit bonorum forisfacturam Regi, & nihil parti, quod malum est. § 9. Non sit enim in Com', nec in Curia Baronum, ubi tale fit judicium, quod capiantur plura, & deducantur averia prius capta pro afforciamento districtionis, donec districtus venerit & cum comparuerit, omnia attachiamenta sua habebit deliberata, & tunc primò querenti respondebit: citiùs enim non respondebit, nisi velit. § 10. Et sunt casus & actiones in quibus ob contumaciam reorum procedunt judicia per proclamationes. Sunt enim inter alias actiones civiles personales quædam ex certa causâ instantiam desideran', nec quærunt dilationes, nec attachiamentorum solemnitates, sed maturitatem judicii, sicut videri poterit, si res tempore peritura fuerit in fructibus & aliis, vel jactura, & periculum causæ immineat per lapsum sex mensium, nè collatio Ecclesiæ post tempus devolvatur ad Episcopum. Et eodem modo atrocitas injuriæ, & reverentia personæ, sive privilegium contra quem illata fuerit injuria, contra pacem, vel contra nobiles personas, vel extraneas, quæ moram non possunt trahere longam, sicut mercatores & alienigenæ, & aliæ possunt esse causæ plures. § 11. Si autem sunt personales actiones civiles, quæ instantiam non desiderant, & summonitus legitimè ad diem summonitionis non venerit, tunc offerente se liti querente contra summonitum primo die litis, secundo, tertio, & quarto, ulteriùs non expectabitur summonitus, sed procedatur contra ipsum quod attachietur per pleg', sive summonitio testificata fuerit, sive non, cum non sit dedicta, & fiat irrotulatio talis: A. opp' se quarto die versus B. de placito quare non tenet ei conventionem, vel finem factum, vel quod reddat, vel hujusmodi, & sic irrotuletur, & inferatur virtus actionis. Et talis non venit, & summonitus fuit, judicium attachietur quòd sit ad alium diem responsur' de principali placito, & de defalta per tale Breve, quòd totâ

torà die variatur per diversitatem actionum. § 12. Rex Vicecomiti salutem. Pone per vad' & salvos plegios B. quòd sit corám nobis vel Justiciariis nostris ad respondendum A. de placito quare non tenet ei conventionem inter eos factam, vel finem inter eos factum de tant' terr' cum pertinentiis in tali villa, vel sic de placito quod warrantizet ei tantam terram cum pertinentiis in tali villa quod tenet, & de eo tenere clamat, & unde chartam suam habet, vel chartas Antecessorum suorum; vel sic, de placito quare non facit ei consuetudines & recta servicia quæ ei facere debet de libero tenemento suo quod de eo tenet in tali villa; vel sic, de placito quare non reddit ei tantam pecuniam quam debet, & injustè detinet, ut dicit: vel sic, de placito quare idem A. simul cum aliis venerunt ad domum ipsius B. apud N. & ibi fecit talem injuriam contra pacem; vel sic, de placito quare cum de communi consilio regni nostri provisum sit, quòd non liceat alicui vastum facere, venditionem, vel destructionem de terris, domibus, boscis, seu gardinis sibi dimissis ad terminum vitæ vel annorum, idem talis de domibus, boscis, & aliis in N. quæ prædictus talis ei dimisit ad vitam ipsius talis, vastum fecit, venditionem, & destructionem, ad exhæredationem ipsius talis, & contra formam provisionis prædictæ: vel sic, ad respondendum tali de placito nativitatis, unde eum implacitat: vel sic, quare iterato cepit averia ipsius talis eâdem occasione qua prius ea ceperat, & injustè detinuit contra vadium & plegios: vel sic, Juratores summonitos inter A. & B. de tant' terr' in N. ita quod habeas corpora eorum coram nobis, vel coram talibus, si prius ad partes illas venerint, ad faciendam juratam illam, vel per extensionem, vel hujusmodi: vel sic, ad recognoscendum utrum tantum terr' sit libera eleemosyna pertinens ad talem Ecclesiam, unde talis est parsona, an laicale feodum talis, & ad faciendam juratam illam: vel sic, Executores testamenti talis ad respondend' tali de placito quod reddant ei arreragia stipendii sui de tempore quo fuit in obsequio præfati defuncti: vel, si Episcopo, tunc sic, Ad ostendendum quare non habuit talem clericum suum ad respondendum tali querenti, quare tenuit placitum in Curia Christianitatis de catallis & debitis contra prohibitionem nostram, vel quare non reddit ei tantam pecuniam vel catalla ad valentiam tanti. Et plures sunt narrationes infinitæ, tam in Brevibus judicialibus, quàm originalibus, & semper debent judicialia sequi naturam originalium. Et tunc dicatur, Et ad ostendendum quare non fuit, vel non fuerunt coram nobis, vel talibus Justiciariis sicut summon' fuit. Et in casu quo esson' fuerit, tunc sic, Ad ostendendum quare non servavit diem sibi datum per essoniatorem suum. Et si quis ad primum venerit attachiamentum, inprimis respondeat de defaltis, de quibus si se excusare non poterit, erit in misericord', & tunc primò respondeat de principali. § 13. Si autem ad primum non venerit reus attachiamentum, tunc offerente se liti querente, præcipiatur Vicecomiti, quod pars contumax distringatur per omnes terras & catalla quæ habet in ballivia sua; ita quod nec ipse nec aliquis per ipsum ad ea manum apponat, donec Rex aliud inde præceperit, & quod de exitibus eorundem respondeat Regi, & quod habeat corpus præfat' contumacis coram Rege, vel suis Justiciariis ad certum

tum diem & locum ad respondendum, ut superius. Et si tunc non venerit reus, extunc amittet exitus suorum bonorum pro quantitate responsionis Vicecom', per extractas tamen de Scaccario. § 14. In placito tamen quare impedit est quædam specialitas constituta, nam si ad diem ad quem summonitus fuerit non venerit, nec essoniatorem miserit, attachietur, & ad aliam defaltam distringatur per magnam districtionem, & detur alius dies: Ad quem si non venerit, recuperet actor præsentationem suam, salvo jure reo, cum inde loqui voluerit. § 15. Cum autem reus comparuerit, & de primis defaltis judicium sustinuerit, & super principali placito responderit, tunc eo ipso salvabit ei exitus bonorum pro illo die tantùm, ad cujus instantiam præcipietur Vicecom' sic, Scias quòd talis, unus sectatorum Cur' talis, fuit in Curia nostra coram nobis vel Justiciariis nostris, ad faciendum record' loquelæ, quæ fuit in eadem Curia inter A. & B. de detentione averiorum, simul cum aliis sectatoribus ejusdem Curiæ; vel aliter, secundùm naturam & formam placiti per districtionem, quam ei per præceptum nostrum fecisti. Et ideo tibi præcipimus, quòd districtionem illam omnino relaxes eidem, & omnes exitus quos de terris & catallis ejusdem talis post talem diem eadem occasione in ballivia tua fieri fecisti, eidem sine dilatione rehabere facias. Si autem districtus plegiatus fuerit, & plegiatus defaltam fecerit, & diem suum non servaverit, tunc summoneantur plegii, quòd sint, &c. auditur' judicium suum ad hoc, quòd plegiatum non habuerint sicut eum plegiaverunt; & sive venerint, sive non, tunc primò erunt in misericordia, quia non licet aliquem in sua absentia amerciare, nisi per ejus defaltas; plegiatus tamen nunquam erit in misericordia, donec comparuerit. Et sic semper currant attachiamenta per magnam districtionem in infinitum in actionibus personalibus civilibus, donec summonitus comparuerit vel districtus. § 16. Si autem Vicecomes retornaverit, quòd talis, de quo fit querimonia, nihil habet in ballivia sua per quod possit distringi, tunc distinguend' erit de actione, utrum fuerit personalis descendens ex delicto contra pacem Regis illato ex aliquo contractu. § 17. In secundo casu nondum provisum est remedium: Contrahentes enim sciunt, aut scire debent cum quo contrahunt, & ideo discant actores aliàs cautiùs negotiari. § 18. Et in primo casu præcipiatur Vicecom' post mandatum ejus, quòd reus nihil habet in ballivia sua, quòd capiat corpus ejus de quo queritur. Et unde si Vicecomes retornaverit, quòd talis non est inventus in ballivia sua, tunc præcipiatur Vicecom', quòd talem exigi faciat de com' in com' donec utlagetur, nisi prius comparuerit.

De remediis Districtionum pro sectis. CAP. 66.

DE Sectis quidem faciendis ad Curiam Magnatum & aliorum Dominorum de cætero sic observand', quòd nullus qui per chartam est feoffatus, distringatur ad sectam faciendam ad Curiam Domini sui, vel alicujus Domini, nisi per formam chartæ suæ ad hoc specialiter teneatur. Hiis autem exceptis, quorum antecessores vel ipsemet facere consueverunt ante transfretationem Domini H Regis in Britanniam. § 2. Item nullus feoffatus à tempore

tempore conquestûs, sine charta, vel aliquo antiquo feoffamento distringatur ad hujusmodi sectam faciendam, nisi ipse vel Antecessores sui ea facere consueverunt ante transfretationem prædictam. Qui autem per chartam pro certo servicio, veluti pro libero servicio tot solidorum, vel tanti per annum solvend' pro omni servicio feoffati sunt ad hujusmodi sectam faciendam, vel aliud servicium quod in charta feoffamenti sui contineatur, minimè compellantur. § 3. Si autem hujusmodi feoffatus contra formam hujus provisionis vexatus fuerit, succurritur ei per tale Breve. § 4. Rex Vicecomiti salutem. Si A. fecerit te securum, &c. tunc pone per vad', &c. B. quòd sit coram, &c. ostensur' quare cum de communi consilio nostro provisum sit, nè qui occasione tenementorum suorum, distringantur ad sectam faciendam ad Curiam Dominorum suorum, nisi per formam feoffamenti sui ad hoc teneantur, aut ipsi, aut eorum Antecessores tenementa illa tenentes, eam facere consueverunt tempore ante transfretationem H. Regis, &c. in Britanniam. Idem B. distringit A. ad faciendam sectam ad Curiam suam de N. contra formam provisionis prædictæ, & contra prohibitionem nostram. Et habeas ibi nomina pleg', &c. § 5. Si autem hæreditas aliqua, de qua una secta debeatur ad plures hæredes participes hujusmodi hæreditatis, devolvatur, ille qui æsneciam habuerit illius hæreditatis, unicam sectam pro se & participibus suis faciat, & alii participes sui contribuant ad sectam illam faciendam. § 6. Et cum aliquem contra tenorem hujusmodi Statuti distringi contigerit, succurritur ei per tale Breve: Rex tali salutem. Monstraverunt nobis A. & B. quòd cum de cummuni consilio fidelium nostrorum provideri fecerimus, nec non per totum regnum nostrum publicari, quòd si hæreditas aliqua, de qua unica secta debeatur ad plures hæredes participes ejusdem hæreditatis sic per venditionem vel alio modo devolvatur, ille qui habet æsneciam, unicam sectam faciet pro se & participibus suis, & participes sui contribuant pro portionibus suis ad sectam illam faciendam; nec possit capitalis Dominus illius feodi nisi unicam sectam exigere, sicut prius inde fieri consuevit: Tu eosdem A. & B. fratres ejusdem hæreditatis participes de qua unica secta priùs debeatur, separales sectas facere compellas ad Curiam suam de N. contra provisionem & constitutionem nostram prædictam. Et quia hoc sustinere nolumus, sicuti nec debemus: Tibi præcipimus, quòd ab hujusmodi actione desistas, nè iteratus clamor ad nos perveniat, Teste, &c. § 7. Item si plures feoffati fuerint de hæreditate aliqua, de qua unica secta debeatur tantùm, dominus feodi illius unicam sectam inde habeat, nec exigat nisi unicam sectam, sicut priùs inde fieri consuevit: Et si feoffati illi warrantum vel medium non habeant qui eos acquietare debeat, tunc omnes illi feoffati tribuant, videlicet, quilibet pro quantitate portionis suæ, ad sectam illam per unam personam faciendam. § 8. Si autem contingat, quòd aliquis dominus hujusmodi Curiæ tenentes suos contra hanc provisionem pro hujusmodi secta distrinxerit, tunc ad querimoniam illorum attachientur hujusmodi distringentes, quòd sint, &c. coram Justic', &c. inde responsur', &c. Et interim replegiantur averia & districtiones hujusmodi. § 9. Si autem ad diem in Brevi contentum non venerint attachiati hujusmodi, or-

dine debito in placito illo observato, tunc mandatur Vic' quòd venire fac', &c. ad quem diem si non vener', mandetur Vic', qd' distringat eos per omnia quæ habent in ballivia sua, &c. Ita quòd Vic' respondeat de exitibus, &c. & quòd habeat corpora eorum ad certum diem coram eis præfigend'. Ita quòd si illo die non vener', tunc recedet pars conquerens inde sine die, & prædict' district' liberat' remaneant, donec ipsi domini sectam illam per considerat' Curiæ Regis recuperaverint, & cessent hujusmodi districtiones interim. Salvis hujusmodi jure suo de sectis illis perquirendis in forma juris cum inde loqui voluerint. § 10. Cum autem hujusmodi domini comparuerint conquerentibus responsuri de hujusmodi districtionibus, & super hujusmodi injuria convincantur, tunc per considerationem Curiæ Regis recuperent versus eos dampna sua, quæ sustinuerint occasione hujusmodi districtionis. § 11. Consimili autem modo si tenentes sectas suas dominis suis subtraxerint, quas facere debeant, & quas ante tempus supradictæ transfretationis, & hactenus facere consueverint, tunc per eandem justitiam & celeritatem, quod dies præfigendos & districtiones adjudicandas consequantur in Curia Regis, justitiam de sectis illis perquirendis, unà cum dampnis suis, quemadmodum tenentes dampna sua dictum est supra recuperare. Et iste articulus de dampnis recuperandis intelligatur de subtractionibus sibi factis, & non de subtractionibus factis Antecessoribus suis, vel per Antecessores district'. Et notandum, quòd domini Cur' versus tenentes suos seisinam de hujusmodi sectis recuperare non poterunt per eorum defaltam, sicut facere consueverunt. De sectis autem quæ ante tempus supradictum subtractæ fuerint, currat lex communis, sicut currere consuevit. § 12. Et quia magnates & alii liberè tenentes qui sectas hujusmodi debent ad Curiam Dominorum suorum, & ad Wapentak, & ad Hundr', & ad hujusmodi Cur', necesse habent, ut Attornatos suos, cum præsentes ubique adesse non poterunt, habere possunt, provisum est & concessum, quòd quilibet liber homo in casu prædicto idoneum possit facere Attornatum loco suo per literas suas patentes ad prædictas sectas pro eo faciendas. § 13. Solent etiam quidam quandoque per districtiones gravari per Dominos ad Seneschallos procurantes querimonias fieri, & pleg' inveniri maliciosè, quo casu provisa sunt hæc Statuta. § 14. Quia Domini Curiæ, & alii qui Curiam tenent, & eorum Sen' volentes gravare subditos suos, cum non habeant legalem viam eos gravandi, procurant alios movere loquelas versus illos; & dare vadium, & offerre pleg', vel impetrare brevia, vel ad sectas querentium compellunt eos sequi Com', Hundr'; & Cur' quousque finem fecerint cum ipsis pro voluntate sua: Statutum est, quòd hujusmodi injurias nullus facere præsumat. Si quis igitur per hujusmodi falsas querimonias fuerit districtus, replegiat districtionem illam, & poni fac' loquelam coram Justic', coram quibus, si Vicecom', vel alius Ballivus, vel Dominus quicunque postquam sic districtus formaverit querimoniam suam, advocaverit districtionem suam esse justam ratione hujusmodi querimoniarum coram eis factarum, & replicetur quòd hujusmodi querimoniæ versus eum movebantur maliciosè, ad instantiam seu procurationem advocantis vel Ballivi sui, & hoc offerat verificare, admittatur illa replica-

replicatio. Et quemcunque de hujusmodi malitia convinci contigerit, hujusmodi gravatis dampna restituantur in triplo,& versus Regem redimantur. § 15. Et in charta de libertatibus inhibetur, nè quis liber homo distringatur ad faciendum majus servicium de feodo militis, nec de alio libero tenemento suo, quàm inde debetur. § 16. Item, quòd nullus distringatur pro scutag', sed capiatur, sicut capi consuevit tempore H.Regis proavi Regis nunc: Salvis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus, Templar', Hospitelar', & omnibus aliis, tam Ecclesiasticis personis quàm aliis, libertatibus & liberis consuetudinibus, quibus priùs usi fuerunt. § 17. Item nec villata, nec homo distringatur facere pontes aut riparias, nisi ex antiquo & de jure ad hoc teneantur. § 18. Cum autem hujusmodi districti in Cur' hujusmodi distringentium comparuerint,tunc nititur Dominus vel ejus Senescallus ipsos occasionare, arguendo & redarguendo, donec finem fecerint pro pulchrè placitando, quod quidem jam inhibitum fuit apud Marleberge per hoc Statutum. § 19. Provisum est, quòd nec in itinere Justic' Com' Hundr', nec in Cur' Baron' fines pro pulchrè placitando ab aliquo capiantur, nec etiam per sic quòd non occasionentur, exceptis hujusmodi præsentationibus arentatis à tempore quo Dominus Henricus Rex transfretavit in Britanniam hucusque, & quo casu succurritur querenti per tale Breve. § 20. Rex Ballivis talibus salutem. Cum de communi consilio regni nostri provisum sit, quòd nec in itinere Justiciar', nec in Cur' Baron' de cætero fines recipiantur pro pulchrè placitando ab aliquibus, nec per sic quòd non occasionentur, ac vos à tali & tali finem exigitis pro pulchrè placitando,& per sic quòd non occasionentur in Hundr' tali,vel in Cur' Domini vestri de N. contra formam provisionis prædictæ, ut ex eorum querimonia accepimus, vobis præcipimus, quòd ab actione prædicta desistatis, & districtionem, si quam eâ occasione feceritis, penitùs relaxetis eisdem, Teste,&c. § 21. Qui, si non desistant, conveniendi sunt per breve de attachiamento, & puniendi tanquam juris contemptores. § 22. Si autem in Comitatu debet placitari, adhuc meticulosum est, eo quod hujusmodi Senesc' sint ductores frequenter judiciorum Comit', sicut bucc gregis, & nituntur ipsum districtum impedire, & judicia reddere perversa, cum hoc facere possint sine periculo pœnæ corporalis, vel pecuniariæ, quia non sunt sectatores Com'; nam etsi Com' pro falso judicio debeat amerciari, hoc sibi non præjudicaret. Et quo casu constitutum est sic § 23. Provisum est, quòd nullus Vicecomes aliquos permittat Cavillatores, vel Sen' Magnatum loquelas in Com' fovere, vel manutenere: Nec etiam quòd judicia reddant, vel pronuncient, nisi Attornati sint ad sectas pro Dominis suis faciendas, vel saltem ad hoc per sectatores præsentes, vel per eorum Attornatos specialiter fuerint requisiti. § 24. Si autem aliter fiat de cætero,Dominus Rex graviter se capiet ad Vic',& ad ipsum tanquam ad jur' contemptor'. § 25. Item, cum hujusmodi districtos quoquo modo amerciari contigerit, tunc pro voluntate hujusmodi Dominorum vel Sen' sibi adversantium sunt amerciati, cui tunc succurritur per tale Breve. § 26. Rex A. de B. salutem. Monstravit nobis C. quòd cum ipse in Cur' nostra de N.

amerci-

amerciandus esset pro modico delicto, in quo incidit in eadem Cur', vos gravem ab eo intenditis extorquere redemptionem, contra tenorem magnæ Chartæ Regis H. Patris nostri, in qua continetur, quòd nullus liber homo amercietur, nisi secundùm quantitatem delicti sui, & hoc salvo contenemento suo, & villanus salvo waynagio suo, & mercator salvâ mercandisâ suâ. Et ideo vobis mandamus, quòd à præfato C. moderatam capiatis misericordiam secundùm modum illius delicti, nè iteratus clamor &c. Et nisi Dominus ad præcept' supersederit, fiat aliud Breve Vicecom' in hac forma. § 27. Rex Vicecomiti salutem. Monstravit nobis C. quòd cum ipse in Cur' talis de B. amerciandus esset, &c. ut supra. Et ideo tibi præcipimus, quòd non permittas quòd idem A. distringat præfat' C. ad dandum ei gravem redemptionem contra tenorem Magnæ Chartæ: Nè ampliùs, &c.

De Malitiis Vicecom' obviandis. CAP. 67.

MAlitiis autem Vicecom' solet sic obviari, cum autem negligens esset in executione mandatorum Regis, nisi rationabilem prætenderet excusationem, in misericordia Regis remaneret tantùm, nec aliter parti impeditæ delictum illud emendaret. § 2. Contigit enim quandoque, quòd cum Breve Regis de attachiando aliquem post summonitionem factam suscepisset, quòd attachiamentum non fecit, nec Breve remisit, quo casu, offerente liti querente, fierit talis irrotulatio: A. opp' se versus B. quarto die de tali placito, vel tali, secundùm diversa genera placitorum personalium, & B. non venit, & præceptum fuit Vicecom', quòd attachiaret eum quòd esset, &c. ad talem diem, & ipse nihil inde fecit, nec Breve quòd ei inde venit, remisit. Et ideo præceptum est Vicecomiti, sicut aliàs, quòd attachiet eum quòd sit ad talem diem, & quòd ipse Vicecom' tunc sit ibi auditurus judicium suum de hoc, quod prædictum talem non attachiavit, nec Breve quod ei inde venit, remisit, sicut ei præceptum fuit: Forma verò Brevis talis est. § 3. Rex vicecom' salutem. Præcipimus tibi quod sicut aliàs tibi præcepimus, quod ponas per vadium & salvos pleg' A. quod sit coram Justiciariis nostris, &c. ad talem diem ad respondendum, &c. ut supra. Et in fine addatur hæc clausula: Et tu ipse tunc sis ibi auditurus judicium tuum de hoc quod ipsum A. non attachiâsti, nec breve nostrum quod tibi inde venit præfatis Justiciar' non misisti, sicut aliàs tibi præceptum fuit. Et habeas, &c. § 4. Ad quem quidem diem, si nihil inde fecit magis quàm priùs nec sufficienter se excusaverit, pro voluntate Regis amercietur pro contemptu. Et tunc tertio præcipietur ei sic, Præcipimus tibi, sicut sæpius tibi præcepimus, &c. ut supra. Misit etiam quandoque Vicecom' Breve quod inde susceperat, sed tunc fraudulenter rescribendo mandavit, quod Breve tam tardè venit quod exequi non potuit; quo casu, si testatum esset quod satis tempestivè recepit, quod attachiâsse potuit si vellet, vel quod Breve in pleno Com' fuit ei liberatum, ubi ipse præsens extitit qui attachiari debuit, & potuit attachiâsse ipsum si voluisset. § 5. Item quandoque etiam fraudulenter mandavit, quod ille attachiandus non fuit inventus in ballivia sua quia manens extra Com' suum, & testatum fortè erat in contrarium, quod manens

manens

nens in suo Com' apud talem locum. § 6. Item quandoque retornavit, quòd itinerans erat, & vagans de loco in locum, & de Com' in Com', nec certum habuit domicilium, vel quòd de nullius erat familia vel manupastu, & tunc fortè testatum fuit, quòd domicilium habuit, & reseantisam apud talem locum certum, ubi quotidiè inveniri potuit, vel quòd fuit de familia talis in ballivia sua. § 7. Item quandoque cum præceptum fuerit Vicecom', quòd distringeret talem per terr' & catalla, qui falsò Justic' rescripsit frequenter quòd talis non habuit terras nec catalla per quæ potuit distringi vel attachiari in ballivia sua, & testatum erat in contrarium, quòd terr' habuit & catalla ad sufficientiam in ballivia sua apud talem locum & talem. Et infiniti fuerunt casus, & adhuc sunt de genere istorum ubi Vicecom' per fraudem rescripsit, & prætendit frequenter non causam ut causam. § 8. Item, si per imperitiam suam erraverit in modo & ordine attachiamentorum & districtionum; ut si præceptum fuerit ei, quòd poneret aliquem per vad' & pleg', & ipse retornaverit, quòd distrinxit per terr' & catalla sua, vel è converso. § 9. Item, si præceptum erat ei, quòd haberet corpus, & ipse retornaverit, quòd attach' per pleg', vel commisit per ballium, & hujusmodi. § 10. Et unde fuerunt casus multi, & adhuc sunt, de quibus si Vicecom' non fuerit debito modo præcept' Reg' execut', de omnibus hujusmodi mandatis oportuit in irrotulationibus & brevibus facere mentionem, & talis fuit irrotulatio: A. opp' se versus B. quarto die de tali placito personali, & B. non venit, & Vicecomes mandavit quòd non attachiavit eum, quia recepit breve tam tardè, quòd præceptum Regis exequi non potuit, & testatum est, quòd illud recepit tempestivè, vel in Com' ubi ipse attachiandus præsens fuit, & ideo ut priùs præcipiatur, quòd attachiat eum quòd si ad talem diem, &c. & quòd Vicecomes tunc sit tibi ad audiendum judicium suum, quòd ipsum B. non attachiavit, sicut ei præceptum fuit. Et in hac forma facta fuit irrotulatio de omnibus aliis mandatis Vicecom' supradictis: Forma brevis quod sequebatur talem irrotulationem, talis fuit. § 11. Rex Vicecomiti salutem. Præcipimus tibi sicut aliàs tibi præcepimus, quòd ponas per vad' & salvos pleg' A. quòd sit coram, &c. ad talem diem, &c. ut supra, ad respondendum tali de tali placito personali. Vel aliter sic: Præcipimus tibi sicut aliàs præcepimus, quòd habeas corpus talis, &c. Vel aliter sic: Præcipimus tibi sicut aliàs, &c. quòd distringas talem per terras & catalla quæ habet in ballivia tua, quòd sit coram, &c. ad talem diem ad respondendum B. de placito tali personali, vel tali, secundùm formam brevis originalis. Et unde mandâsti præfatis Justiciar' nostris apud talem locum, quòd breve nostrum de attachiando prædictum B. tibi venit tam tardè, quòd præceptum nostrum exequi non potuisti. Et testatum est ibidem quòd illud recepisti tempestivè, & ad horam quod illud præceptum nostrum exequi potuisti: Vel sic, quòd illud recepisti in pleno Com' ubi præfatus B. præsens extitit, &c. ut supra. Et tu ipse tunc sis ibi auditurus judicium tuum de hoc, quòd præfatum B. non attachiâsti, quòd esset ad talem diem, sicut tibi præceptum fuit. Et habeas ibi, &c. Ad quem verò diem nisi B. attachiatus esset, vel inde legitimè non excusaretur, Vicecom'

cecom' in misericordia remaneret. § 12. Excusabatur quandoque per libertates & impotentiam, quòd libertat' sine warranto ingredi non potuit, nisi per defectum eorum qui libertates retornorum brevium habuerunt. Et unde si præceptum erat Vicecomiti, quòd attachiaret aliquem infra hujusmodi libertates morantem, cum Vicecomes ingredi non potuit, ac Vicecomes retorn' mandati fecit Ballivo talis libertatis, præcipiendo quòd tale præceptum Regis exequeretur, & quo casu aut iidem Ballivi executi fuerint illud præceptum, aut omnino supersederint. Sed cum illud plenè fuerint executi, liberaretur Vicecomes, qui cum inde nihil fecerant, sufficeret ad excusationem Vicem' retornar' Justiciar', quod præcipit Ballivis tal' &c. Et cum Ballivi nihil inde fecissent, tunc propter defectum eorum præcipietur Vicecomiti, quod non omittet propter libertatem talem, quin eam ingrêdiatur,& attachiat B. quod esset, &c. § 13. Et si Vicecomes sic warrantum obtinuit, hujusmodi libertates ingredi potuit, quod priùs non debuit, & tunc fuit irrotulatio talis: A. opp' se quarto die versus B. de tali placito, & B. non venit, & præceptum fuit Vicecômiti, quod attachiaret ipsum, vel quod haberet corpus, vel quod distringeret eum per terras & catálla; & Vicecom' mandavit quod præceperit Ballivis libertatis talis, qui nihil inde fecerunt, & ideo præceptum Vicecom' quod non omittat propter libertatem, quin ponat per vadium & salvos pleg' prædict' B. vel, quin habeat corpus ejus: vel, quin distringat eum per terr' & catalla: vel, quin capiat in manum Regis talem terram; vel aliud qd' fac' secundùm præceptum Regis. Et Ballivus libertatis summoneatur per Vicecom', quod tunc sit, &c. ostensur' quare præceptum Regis non fuit executus; & factum fuit in hac forma. § 14. Rex Vicecomiti salutem. Præcipimus tibi, quod non omittas propter libertatem talem, quin ponas B. per vad' & salvos pleg', quod sit, &c. ad respondendum, &c. ut supra. Et unde mandâsti Justic' nostris, &c. quod præcepist Ballivo, vel Sen' talis libertatis, quod attachiaret eum, quod esset ad talem diem, &c. & qui nihil inde fecit. Et summ' per bonos summonitores prædictum Ballivum, vel Sen', quod sit coram Justic præfatis nostris ad prædictum terminum, responsuri quare præceptum nostrum non fuit execut': vel quare prædictum B. non attachiavit; vel quid tale non fecit, sicut ei præceptum fuit: vel aliter, secundum quosdam, quod Ballivus sit auditurus judicium suum de hoc, &c. § 15. Cum autem Vicecomes ingredi voluit, non fuit ei permissum propter potentiam Ballivorum libertatis, tunc Justic' patefact', præceptum erat Vicecom', ut priùs, quod non ommitteret propter libertatem, quin attachiaret B. infra libertatem prædictam. Et si aliquem inveniret resistentem, tunc assumptis secum, si opus fuerit, militibus & liberis hominibus de Comit' ad sufficientiam, caperet corpora omnium resistentium, & in prisona salvò custodiret, donec per Regem fuissent deliberati, & Dominus libertatis nihilominus attachiaretur, quod esset ad prædictum diem ad defendend' se, si possit, de prædicta transgressione. § 16. Et quam quidem si advocaret, vel se defendere non posset, caperetur libertas illa in manum Regis pro voluntate sua retinenda, quia libertatem meretur amittere, quia permissâ sibi potestate abutitur.

Et

Et in primo casu licet Vicecom' posset ingredi, cum præceptum inde haberet, nihilominus si Ballivus ad diem suum non veniret, procederetur contra eum ad defaltam, sed non quod attachiaretur, sed quod resummoneretur, qui si ad diem resummonitionis non veniret, graviter amerciaretur; & quanquam prædictus processus per quasdam constitutiones subscriptas remediales aliquantulum abbrevietur, iste tamen modus procedendi prædictus nullatenus inhibetur. § 17. Constitutio autem de malitiis Vicecom' obviand' talis est. § 18. Quia Justic', ad quorum officium spectat unicuique coram eis placitanti justitiam exhibere, frequentiùs impediuntur, quo minus officium suum debito modo exequi possunt, per hoc, quod Vicecom' brevia originalia & judicialia non retornavit; per hoc etiam, quod ad brevia Regis falsas retornant responsiones, providit Rex & ordinavit, quod illi qui timent hujusmodi malitias Vicecom', liberent hujusmodi brevia sua tam originalia quàm judicialia in pleno Comit', vel saltem in crastino die post Comit', qui quidem dies dicitur Retrocomitatus, in quo fit collect' denar' Reg', & tunc petatur memoriale de Vicecom', vel ejus receptore brevium, in quo contineatur dies liberationis, & quantitas petitionis, & nomina partium in brevi contentarum, & ad instantiam petentis apponat Vicecom' billetto sigillum suum, vel suus receptor', si Vicecom' præsens non fuerit, in testimonium; quod si facere contempserit, capiatur inde testimonium militum, & fide dignorum circumstantium, qui sigilla sua hujusmodi billetto apponant. Et si Vicecom' hujusmodi brevia sibi liberata non retornaverit, & super hoc ad Justic' querimonia pervenerit, mandetur per breve de judicio Justic' ad assisas in eodem Com' capiend' assignatis, quod inquirant per eos qui tunc præsentes erant, quando breve, de quo fit querela, Vicecom' liberatum fuit; & si sciverint de illa liberatione, & factâ inquisitione retornetur Justic' de Banco: & si compertum fuerit per inquisit', quod breve fuit Vicecom' liberatum, adjudicentur petenti dampna, habito respectu ad quantitatem & qualitatem actionis, & ad periculum quod ei evenire posset per dilationem quam patiebatur; & per istam viam fiat remedium quando Vicecom' respondet, quod breve adeo tardè venit, quod præceptum Regis exequi non poterit. § 19. Multotiens etiam capiunt placita dilationis, per hoc, quod Vicecom' respondet, quod præceperit ballivis alicujus libertatis, qui nihil inde fecerunt; propter quod constitutum fuit & provisum apud Marleberge, quod si averia alicujus capiantur, & inde detineantur, quod Vicecom' illius Comit' post querimoniam factam, sine impedimento vel contradictione ejus qui averia ceperit, deliberare liceat, si extra libertatem capta fuerint. Et si infra libertatem aliquam capiantur, & ballivus libertatis per vad' & pleg' ea deliberare noluerit, extunc licebit Vicecom' ex officio suo libertatem illam ingredi, & deliberationem facere districtionis. Sed in casu ficto, in quo Vicecom' retornat', ut supra, & nominat libertatem alicujus, qui nunquam retorn' brevium habuit, provisa fuit pœnalis constitutio apud Westmon' sic, Quòd si constiterit Justic' per inspectionem nominum retorna brevium habentium, quæ Justiciarii habebunt ex liberatione Thesaurarii & Baronum de Scaccario, quod Dominus

ballivorum libertatis non habeat retorn' brevium, statim puniatur Vicecom' tanquam exhæredator Regis & coronæ suæ. Et si veraciter fortè retornaverit, tunc mandetur Vicecom', quod non omittat propter libertatem illam; quin exequatur præceptum Regis, & quod scire fac' ballivis, quibus fecit retornum, quod sint, &c. ad diem in brevi contentum, ad respondendum quare de præcepto Regis executionem non fecerunt; qui si ad diem eis præfixum venerint, & legitimè se acquietaverint, quod nullum retornum erat eis inde factum, statim condempnetur Vicecom' Domino libertatis, & similiter parti querenti pro dilatione, in restitution' dampnorum. Et si prædicti ballivi fortè non venerint, vel venerint, sed modo legitimo inde se non acquietaverint, tunc in quolibet brevi de judicio, quamdiu placitum duraverit, præcipiatur Vicecom', quod non omittat propter libertatem, &c. Multoties etiam dant Vicecom' falsum responsum, quoad articulum de exitibus, &c. Retornantes aliquando & mentientes, quod nulli sunt exitus, quandoque quod parvi sunt exitus, cum de majoribus respondere possent; quandoque non facientes mentionem de exitibus,&c. propter quod ordinatum est concorditer, quod si querens petat auditum responsionis Vicecom', concedatur petenti, qui si afferat verificare,quod Vicecom' de majoribus exitibus respondisse potuisset, admittatur verificatio, & fiat ei breve de judicio Justic' ad assisas capiendas in Comit' illo assignatis, quod in præsentia Vicecomitis illius Comitatûs, si interesse voluerit, inquirant de quibus & quantis exitibus Vicecom' respondisse potuisset à die receptionis brevis de exitibus, usque ad diem in brevi content'; quâ inquisitione retornatâ, si inveniatur in eadem quod inde sufficient' priùs non responderit, oneretur Vicecom' de surplusagio per extractas Justic' ad Scaccarium liberatas, & nihilominus graviter amercietur Vic' pro concelamento.

Quæ mobilia dici debent exitus. CAP. 68.

ET sciendum quòd redditus blad' morr' instaur' bestiarum, & omnia mobilia præter hæc tria tantùm supra utensilia, indumenta, equit', sub nomine exituum habent comprehendi. Et si Vicecom' hujusmodi falsam dederit responsionem semel & iterum, fortè statuitur, quod secundùm discretionem Justic' castigetur; sed cum tertiò deliquerit, solus Rex manum opponat, & non alius. § 2. Multoties etiam falsum dant responsum, retornando quod non potuerint exequi præceptum Regis propter resistentiam potestatis alicujus Magnatis, de quo de cætero retornando caveant sibi Vicecom', cum hujusmodi responsiones vehementer in dedecus Regis redundant; sed quam cito sub-ballivi sui sibi testificentur, quòd invenerint hujusmodi resistentiam, statim omnibus omissis, assumpto secum posse Comitatûs sui, in propria persona fac' executionem præcepti Regis. Et si Vicecom' inveniat sub-ballivos suos mendaces, puniat eos per prisonam; ita quod alii per eorum pœnam in posterum castigentur. Et si sub-ballivi veraces inveniantur, statim omnes resistentes capiat Vicecom', & ipsos prisonæ committat, à qua non deliberentur sine speciali mandato Regis, vel certificet Vicecom' Justiciar' de nominibus resistentium, auxiliantium, consentientium, præcipi-

præcipientium, & fautorum, & per breve de judicio attachientur eorum corpora, quod sint coram Justiciar', &c. Et quos inde culpabiles inveniri contigerit pro voluntate Regis puniantur, nec intromittat se aliquis minister de qualitate pœnæ hujusmodi delinquentibus infligend', quia Dominus Rex hæc sibi ipsi specialiter reservat, pro eo quod hujusmodi resistentes pacis suæ & regni censentur perturbatores.

De Excusationibus Vicecom'. CAP. 69.

EXcusare autem se poterit Vicecom' per privilegium Clericorum, ut si præceptum Regis receperit de attachiando aliquem qui Clericus sit, & qui pleg' invenire noluerit propter privilegium clericale, nec laicum feodum habuerit per quod possit distring', tunc ex parte Regis mandetur Ordinario loci, sicut Archiepiscopo vel Episc' in cujus Diocef. talis fuerit manens, quod talem venire fac', &c. & sic fiat irrotulatio: A. opp' se quarto die versus B. de placito tali, &c. Et B. non venit. Et præceptum fuit Vicecomiti quod attachiaret eum: & Vicecom' mandavit quod Clericus est, & quod noluit pleg' invenire, nec habuit laicum feodum per quod potuit distringi, & ideo mandatum est Ordinario loci, sicut Archiepiscopo, vel Episcopo, & hujusmodi, quod venire fac' talem Clericum suum ad talem diem; nisi ita sit fortè quod testatum sit, quod talis Clericus laicum habeat feodum, & catalla in laico feodo, per quæ distringi possit; & Vicecom' per fraudem mandaverit, quod non habuit, & quo casu fiat ut supra de fraudibus Vicecom'. § 2. Sed quid si Clericus laicum feodum habuerit in aliqua præbenda sua, quæritur an Vicecom' possit eum statim distringere per præbendam suam: vel sic, cum præceptum habuerit de attachiando, & retornum fecerit Ordinario, an Ordinarius distringere possit Canonicum per præbendam, reverà neut', Vicecom' videl' nec Episcopus; Vicecom' non, licet haberet warrantum ingrediendi libertatem, sine Episcopo sive alio Ordinario, cum Episcopus sit caput Ecclesiæ, & Canonici membr'. § 3. Item nec Episcopus per tale Recordum, sine speciali præcepto Regis, cum Canonicus adeo liberè teneat præbendam suam de Ecclesia, sicut ipse Episcopus, Baron', & Canonici sunt quasi unum corpus per se in Ecclesia. Et quamvis Episcopus sit caput Ecclesiæ, tamen Canonici habent sua bona à bonis Episcopi separata, & unde cum Episcopus à Rege speciale mandatum habuerit, ex hoc incipit habere jurisdictionem & cohertionem in præbenda: forma brevis talis est. § 4. Rex venerabili Patri in Christo R. eâdem gratiâ London' Episcopo salutem. Mandamus vobis quod venire fac' coram, &c. ad talem diem talem Archidiaconum, vel talem Decanum, vel talem Canonicum ad respondend' C. de tali placito, &c. & tunc addatur hæc clausula, Unde Vicecom' noster Midd' mandavit præfatis Justiciar' nostris, quod prædictus Archidiaconus, vel alius talis Clericus est, & noluit pleg' invenire, nec habuit laicum feodum per quod distringi possit; & habeas ibi hoc breve, Teste, &c. § 5. Si autem Episcopus nihil fecer' ad mandatum Regis, tunc fiat irrotulatio sic: A. opp' se quarto die versus B. de placito tali, & B. non venit; & alias præceptum fuit Vicecom', quod attachiaret eum, & Vic'

mandavit quod Clericus est, &c. Et ita quod mandatum fuit Episcopo tali quod faceret eum venire, & quod mitteret breve, & ipse inde nihil fecit, & inde summoneatur Episcopus, quod sit, &c. ad talem diem, & ibi habeat prædictum talem ad respondend' prædicto A. quare, &c. secundum breve originale, & ad ostendend' quare prædictum B. coram præfatis Justic' ad talem diem non habuit, sicut ei mandatum fuit: Forma brevis talis est § 6. Rex Vicecom' salutem: Summ' per bonos summon' R. London' Episcopum, quod sit coram Justic' nostris, &c. ad talem diem, & ibi habeat talem Archidiaconum, vel talem Clericum, ad respondendum tali de placito quare &c. ut supra, & ad ostendendum quare non fecit eum venire coram præfat' Justic' nostris ad talem diem, sicut ei mandatum fuit, & quare non misit breve, &c. § 7. Ad quem diem aut Episc' fac' Cleric' venire aut non, si autem non, tunc statim ponatur Episc' per vad' & pleg', quod sit ad alium diem, & habeat ibi Clericum suum ad respondendum, &c. Et quod Episcopus tunc sit auditurus judicium suum de hoc, quod prædictum Clericum non habuit, &c. ut supra, & B. non venit, & aliàs mandatum fuit Episcopo, quod faceret eum venire ad talem diem, ad quem diem non fecit eum venire; & ita quod præceptum fuit Vic', quod summoneat Episc', quod esset ad hunc diem, & haberet ibid' prædict' B. ad respondend', &c. & similiter quod Episc' esset ibi ad ostendend' quare non fecit eum venire ad alium diem, sicut ei mandat' fuit, & ipse non venit, nec habuit ipsum B. & ideo præcept' est Vic', quod ponat ipsum Episc' per vad' & pleg', quod sit ad talem diem, & ibi habeat prædictum B. &c. ad respondendum, &c. & ipse Episc' sit auditurus judicium suum de hoc, quod ipsum B. &c. qui si Clericum suum necdum habuerit, statim præcipietur Vicecom', quod distringat Episcopum per magnam districtionem: Forma brevis talis est. § 8. Rex Viceom' salutem. Præcipimus tibi, quod distringas R. London Episcopum per omnes terr' & catalla sua quæ habet in balliva tua, ita quod ipse &c. & quod sit coram Justiciar' nostris, &c. & similiter ad audiendum judicium suum de hoc, quod præfatum Clericum non habuit ad talem diem, sicut ei mandatum fuit, & habeas, &c. Et sic in infinitum donec venerit. § 9. Non semper tamen, ut paulò ante dictum est, observari debet solempnitas attachiamentorum: In actionibus personalibus tamen propter privilegium & favorem mercatorum, quorum negotia maturitatem & instantiam desiderant, tum propter causam necessariam, ut in assisa ultimæ præsentationis, & quare quis impedit præsentare, vel non permittit propter lapsum temporis sex mensium, & hujusmodi. Item propter personam contra quam injuriatum est, ut si injuriat' sit Regi, vel Reginæ, vel eorum liberis, fratribus, sororibus, vel eorum parentibus, propinquis, in quibus casibus & consimilibus statim præcipiatur Vic', quod habeat corpora talium ad respondend' talibus.

De Compoto reddendo per breve. CAP. 70.

EST etiam causa debendi, ut si quis alicui denar' suorum, vel rerum suarum mobilium, vel immobilium habere fac' administrationem, & inde sibi simul cum proficuo exituum respondeat, vel curam & custodiam terrarum

rum

rum & reddituum suorum liberavit, & ille ballivus vel administrator pecuniam illam, vel proficuum in proprios usus convertat, tunc succurritur querenti per tale breve quòd specialius est in hoc casu quàm breve de debito. § 2. Rex Vicecomiti salutem. Præcipe A. quòd justè, & sine dilatione reddat B. rationabilem compotum suum de tempore quo fuit ballivus suus in N. Et nisi fecerit, &c. § 3. Et si in com',tunc sic. § 4. Præcipimus tibi, quòd justicies A. quòd justè &c. ut supra in N. sicut rationabiliter monstrare poterit, &c. § 5. Et sciend' quòd filius & hæres non habebit hoc breve super ballivum Antecessoris sui, nisi sit ejus Executor; nam Executoribus competit tale breve: Rex Vicecom' salutem. Præcipimus A. quòd justè,&c. reddat B. &c. Executori Testamenti D. rationabilem copotum suum de tempore quo fuit ballivus prædicti D. in N. & nisi fecerit, &c. § 6. Et potest similiter in provincia coram Vicecom' placitari per Justic', verumtamen casus brevis hujusmodi merè pertinet ad Curiam Christianitatis, ratione Testamenti. § 7. Et etiam quoddam breve super contractu habito ad communem utilitatem, & inter dominum, & servientem fuit ordinatum, quod tale est, si in Comitatu: Rex Vicecom' salutem. Præcipimus tibi,quòd justicies A. quòd justè &c. reddat B. rationabilem compotum suum de tempore quo idem A. fuit receptor denar' prædicti B. ex quacunque causa & contractu ad communem utilitatem eorundem A. & B. provenientium, sicut per legem mercatoriam rationabiliter monstrare poterit quod eidem reddere debeat, ne ampliùs,&c. § 8. Si autem hujusmodi ballivi se subtraxerint, nec habeant unde distringantur, tunc succurritur querentibus per tale breve,&c. Rex Vicecomiti salutem. Monstravit nobis A. quòd cum B. exstitit ballivus suus in N. omnium rerum & bonorum suorum habens administrationem, idem B. compoto suo non soluto, subterfugia quærens,latitat in ballivia tua, nec poterit inveniri nec distringi ad compotum suum reddendum. Et quia de communi consilio Regni nostri provisum est,quòd si ballivi qui dominis suis compotum reddere tenentur se subtraxerint, & terras & tenemen' non habeant per quæ distringi valeant, per eorum corpora attachientur: Ita quòd Vicecom' in quorum balliviis inveniantur, eos venire faciant ad compotum suum reddend', Tibi præcipimus, quòd si prædictus A. fecerit te secur' de clamore suo prosequend', tunc prædictum B. attachiari fac': ita quòd habeas corpus ejus coram Justiciariis nostris, &c. ad reddend' prædicto A. compotum suum prædictum. Et habeas ibi, &c. § 9. Si autem ad diem illum veniat, tunc offerente se liti petente, excipere poterit sic, quod nunquam fuit ballivus ejus, vel mercator, vel denariorum suorum receptor, vel administrator, quo verificato quietus recedet. § 10. Item dicere poterit, quod reddidit compotum suum, & inde oportebit tunc proferre literas acquietanciæ. § 11. Item poterit dicere quod non tenetur, eo quod dominus suus ab eo abstulit rotulos & tallias. § 12. Item dicere poterit, quòd dominus ab eo justè petit compotum, quia non devenit ballivus suus compotum redditurus,sed essendi quietus de compoto; sed tunc habet prætendere literas domini petentis de warrantia. § 13. Si autem ad diem in brevi contentum non venerit, sed Vicecom' retornaverit, quòd talis

lis non fuit inventus inballivia sua, nec habet terr' vel tenemen', per quæ possit distringi, tunc præcipiatur Vicecom', quod exigi fac' talem de Com' in Com', donec utlagetur, nisi interim se prisonæ reddiderit; & quod hujusmodi latitantes sunt utlagandi, habetis per hoc Statutum de servientibus ballivis Camerariis, & aliis quibuscunque receptoribus, qui ad compotum reddend' tenentur, concorditer est ordinatum & constitutum, quòd cum dominus hujusmodi servientis dederit ei Auditores compoti, & contingat ipsum super compotum versus dominum suum in arreragiis remanere, statim arestetur corpus ejusdem servientis, & per testimonium eorundem Auditorum mittetur, aut liberetur proximæ gaolæ Regis, quia Vicecom' vel carceris custod' recipiatur, & carceri mancipetur in ferris, & sub bona custodia, & in illa prisona remaneat, de suo proprio vivens, quousque domino suo de arreragiis hujusmodi plenè satisfecerit; verumtamen, si hujusmodi serviens postmodo queratur, quòd Auditores sui ipsum injustè gravaverunt, onerando de receptis quæ non recepit, vel non allocando expensas aut liberationes rationabiles, & inveniat amicos qui eum manucapere se proferant, ad habend' ipsum ad certum diem coram Baron' de Scaccario, tunc liberetur eis, habito priùs warranto per breve Regis, in quo similiter continebitur, quòd tunc scire faciat domino, quòd sit ibidem cum tall' rotulis, cum aliis adminiculis, per quæ compotum reddidit, & in præsentia Baron' vel Auditorum, quos assignare voluerint, recitetur compotus, & fiat partibus justitia: ita quòd si fuerit in arrerag', committatur gaolæ de Fleete, ut supra. Si autem diffugerit, & gratis compot' reddere noluerit, distringatur ad veniend' coram Justic' ad compotum reddendum, si habeat per quod distringi possit: Et si ad Curiam venerit, dentur ei Auditores compoti, coram quibus si fuerit in arrerag', si statim arrerag' solvere non possit, committatur gaolæ, ut supra; & si non venerit, & testatum fuerit per Vicecom', quod non sit inventus, tunc fiat breve Vicecomiti, quòd exigatur de Comit' in Comit', donec utlagetur; & si ante utlagationem se prisonæ reddiderit, salvò custodiatur, nec erit dimittendus per pleg'. Sed sunt hujusmodi incarcerati irreplegiabiles. § 14. Et caveat sibi Vicecom', vel custos ejusdem gaolæ in libertate & extra quod per commune breve de replegiari, vel alio modo, sine assensu Domini petentis ipsum à prisona exire non permittat; quod si fecerit, & inde convincatur, eo ipso respondeat ipse Vicecom', vel custos hujusmodi domino de dampnis per hujusmodi servientem sibi illatis, secundùm quod per patriam verificare poterit, & habeat recuperare suum per breve de debito; & si custos hujusmodi gaolæ non habeat per quod justicietur, vel unde solvat, respondeat suus superior, qui custodiam hujusmodi gaolæ sibi commisit, per idem breve.

Doctrina Servientium. CAP. 71.

Et quia utile videtur aliquid sub compendio tractare de iis, quæ compotum proficuorum maneriorum contingit, ideò de ministris generaliter in maneriis necessariis, & eorum officiis, & qualiter se habere debent in eisdem ad commodum domini, exempli causa est dicendum, ut hujusmodi

di compotorum Auditores majores & minores ſecund' gradus officior' conſtitutos, in ſuis ignorantiis, negligentiis, & iniquitat' debitè ſciant onerare; hujuſmodique miniſtri à pecia compoti ſciant ſibi ſubtiliùs præcavere. Per imperitiam verò non debet quis excuſari, niſi dominus incautè ſibi proſpexerit, & ideò inprimis de qualitate domini, & qualiter expectari debet in præmiſſis videndum erit. § 2. In omnibus autem, & ſuper omnia decet quemlibet dominum verbis eſſe veracem, & in operibus fidelem, Deum & juſtitiam amantem, fraudem & peccatum odientem, voluntarioſque malevolos & injurioſos contemnentem, & apud proximos pietatem, vultumque motibilem & plenum. Ipſius enim intereſt potiùs conſilio quàm viribus uti propriove arbitrio, non cujuſlibet voluntarii juvenis, meneſtralli vel adulatoris, ſed juris peritorum, virorum fideliùm, & honeſtorum, in pluribus expertorum, conſilio debet favere. Qui bene igitur vult diſponere, & familiæ ſuæ ſcire veram executionem terrarum ſuarum neceſſarium erit, & perinde ſciat quantitatem ſuarum facultatum, & finem annuarum expenſarum. Et cum extentam illam poſſit quis per culturam terrarum diligentem, vel per inſtaur' beſtiarum, aliquamve providentiam honeſtam augmentare & excedere, illud incrementum in depoſito cuſtodiatur: nam terrarum cultura per temporum incongruitatem ſingulis annis æquivalenter minimè reſpondet; deficiente ergo blado, mortuiſve beſtiis, vel ſuperveniente combuſtione, vel alio inopinato eventu ſiniſtro, locum habebit depoſitum, quod quidem ſi devaſtetur, locus erit pecuniæ, & qui alienum accommodat in caſu quo accommodare oportebit, proprium devaſtat. Et ſi cum creditoribus finem faciat dampnum non evadet, & ſæpe contingit dampnum unum aliud ſequi, juxta illud. § 3. Nemo ſemel tantùm fortunæ ſentiet ictum, ſed propè congaudent qui ſibi de longè proſpexerint. Proſpiciat igitur ſibi quis ut de proprio vivat, ſicut dictum eſt, ſecundùm terrarum ſuarum annuum valorem, quæ per tenentes domini fideles & juratos ſic debent extendi. Inprimis inquirendum eſt de caſtris & aliis ædificiis intrinſecis, & foſſatis circumdatis, videlicet, quantùm muri, & ædificia lapidea, & lignea, plumbo, vel aliter co-operta, valeant per annum, & pro quanto appreciari poſſunt, ſecundùm verum valorem eorundem murorum & ædificiorum, ac etiam pro quanto ædificia extra foſſatum appreciari poſſunt, & quantum valeant unà cum gardinis, curtilagiis, columbariis, vivariis, & omnibus aliis exitibus Cur' per annum: Item quot campi, & quot ſint culturæ in dominico, & quot acr' arabiles in qualibet cultura, & quantum quælibet acra per ſe valeat per annum. § 4. Item quot acr' prati ſunt in dominico, & quantum valet quælibet acra per ſe ad locandum per annum. Quot etiam acræ ſunt paſturæ, & cujuſmodi beſtiis illa paſtura fuerit magis neceſſaria, & quot & quales beſtias ſuſtinere poterit, & quantum quælibet acra valeat per ſe, & quantum valeat paſtura cujuſlibet beſtiæ ad locandum per annum. Item de paſtura forinſeca communi, quot & quales beſtias dominus habere poſſit in eadem, & quantum valeat paſtura cujuſlibet beſtiæ ad locandum per annum. § 5. Item de parcis & dominicis boſcis, quos dominus pro voluntate ſua excolere poterit & aſſartare, quot acr' in ſe contineant, &

pro

pro quacunque vestura & pastura cujuslibet acr' possit appreciari, & quantum acra fundi valeret per annum, & boscus hujusmodi, si assartaretur. § 6. Item de boscis forinsecis, in quibus alii communicant quant' dominus se appruare possit in eisdem, & de quot acr' &c. ut supra. § 7. Item de pannagio, herbagio, & melle, & omnibus aliis exitibus forestarum, boscorum, morarum, bruerarum, & vastorum, quantum valeant per annum. § 8. Item de molendinis, vivariis, ripariis, piscariis, separalibus & communibus, quantum valeant per annum. § 9. Item de placitis & perquisit' Com' & Cur', & forestarum, cum finibus & amerciamentis provenientibus de expeditatione canum quantum valeant domino per annum. § 10. Item de Ecclesiis, quæ ad donationem domini pertinent, quot sunt, quæ, & ubi, & quantum quælibet Ecclesia valeat per annum, secundùm veram ipsius æstimationem, & per marc' & solidos extendatur; ut, si Ecclesia centum marc' valeat per annum, ad centum solidos extendatur advocatio per annum. § 11. Item de Heriettis, nundinis, mercatis, theoloniis, operationibus, serviciis, & consuetudinibus forinsecis, & exhenniis, quantum valeant per annum. § 12. Item de warrennis, libertatibus, parcis, cunicularìis, custodiis, releviis, feodis annuis, quantum valeant per annum. § 13. Item de liberè tenentibus, quot sunt intrinseci, & quot forinseci, & qui, & quas terras, & quæ tenementa, & quæ feoda teneant de domino, & quæ de aliis, & per quod servicium; an per Socag' aut per servic' milit', vel per liberam firmam, vel in eleemosynam tantùm, vel in liber' & puram eleemoysin', vel alio modo, & qui tenent per chart', & qui non, & quant' reddunt domino singulis annis, & ad quos termin' de certo redditu. § 14. Item, qui prædictor' faciunt sectas ad Curiam Domini, & quot sectas per annum, & quantum quælibet defalta, & quid accidit domino per mortem talium. § 15. Item, de custumariis quot sunt, & quæ sit eorum secta, & quantum quilibet habet, & quantum terr' quilibet tenuerit, & quantum valeant tenuræ suæ, tam de antiquo dominico, quàm de novo perquisito. Tenuræ dico, ut mesuagio, curtilagiis, terra arabili, prato, pastura, redditu, bosco, & hujusmodi, ad quantum talliari valeant per annum, sine destructione & exilio faciend', & quantum valeant suæ operationes & consuetudines, & quantum reddant in redditu singulis annis, & qui possunt talliari ratione sanguinis nativi, & qui non; quæ omnia, prout extens' fuerint, imbrevientur. § 16. Facta quidem extensione, ut prædictum est, ac etiam ex quanto blado debeat quælibet cùltura vel acra seminari, secundùm terrarum diversitatem: Omnes namque culturæ vel acræ in seminis sparsione non poterunt æquiparari. § 17. Item certificetur de qualitate, quantitate, & numero bestiarum, secundùm earum species, quot haberi poterunt in quolibet manerio sufficienter, & quantum liberè deductis expensis valere debeant per annum; quæ omnia distinctè scribantur in membranis, ut perinde sagaciùs vitam suam disponat, & faciliùs convincat mendacia compotariorum.

De officio communis Senescalli. CAP. 72.

PRovideat tunc sibi dominus de Senescallo circumspecto & fideli, viro provido, discreto & gratioso, humili & pudico, & pacifico, & modesto, qui in legibus, consuetudinibusque provinciæ, & officio Senescalciæ se cognoscat, & jura domini sui in omnibus tueri affectet, quique sub-ballivos domini in suis erroribus & ambiguis sciat instruere & docere, quique egenis parcere, & nec prece vel pretio velit à tramite justitiæ deviare, & perversè judicare, cujus officium est Curias tenere maneriorum; & si per substitutum hoc plerunque fecerit, ad visus tamen Francii pleg', vel, si dominus illâ non utatur libertate, tunc saltem bis vel ter, si pluries ad hoc vacare non poterit, præsentialiter Curiam tenere debebit, ut tunc de subtractionibus consuetudinum, servitiorum, reddituum, sectarum, ad Cur' mercata, & molendina domini, & ad visus aliarumque libertatum domino pertinentium diligenter inquirat; necnon & de alienatione terrarum, boscorum, pratorum, pasturarum, aquarum, & hujusmodi, per quem, videlicet vel quos, & à quo tempore, & quo jure, tempore cujus ballivi, vel servientis facta fuerit hujusmodi alienatio. Quæ quantum cum justitia valeat per districtiones, vel per auxilium Regis, si necesse fuerit, sine dilatione faciat revocare. § 2. Item provideat sibi Senescallus, ut in quolibet manerio per communem particâ probare distinctè & apertè sciat tam numerum acrarum arabilium, quàm cujuscunque speciei seminis ad terram seminabilem sufficienter quantitatem, nè fallaces præpositi computantes quantitatem seminis, excedant per numerum acrarum vel quarteriorum. § 3. Item, quòd in omnibus officiis securè fiant firmaturæ; dicitur enim, facilis ingressus præbet plerumque fragilitati peccandi voluptatem, & salvæ seruræ famulos reddunt apt', quod Anglicè dicitur, **Ofte treste lokes maketh treuue hyuuen.** § 4. Item certificetur in primo adventu suo de custagiis carucarum in quocunque manerio, quæ sciri poterunt per hanc rationem, ut terræ sint tripartitæ, tunc novies viginti acræ faciunt carucatam, eò quòd lx. in hyeme, lx. in quadragesima, & lx. in æstate pro warecto debent exarari. § 5. De terris verò bipartitis debent ad carucam octies viginti acræ computari, ut medietas pro warecto habeatur, & medietas alia in hyeme, & quadragesima seminetur, & perinde de numero carucarum de facili poterit certiorari. § 6. Item scire debeat de quot carucis adjutricibus, & quoties debeat dominus in quolibet manerio subveniri, & de omnibus auxiliis, & operationibus quorumcunque veraciter scire debet. § 7. Item, inquirere debet de instauro in quolibet manerio existente, cujus inventorium inter ipsum & servientem in scripto cirographato debet imbreviari. § 8. Inquirat etiam de defectu bestiarum in quolibet manerio habito & invento, quem statim faciat, consentiente domino, discretè suppler'. § 9. Inquiratur etiam de serviente, vel ballivo cujuscunque maner' & subministris qualiter erga vicinos & ten' domini, & alios se gesserint & habuerint, ipsis priùs amotis, ne veritas se latitet ob timorem, & si de aliquibus disseisinis, verberibus & melletis, vel luctis se intromiserint; & si ad tabernas vigiliasque quis, officiis

suis omissis, noctanter ierint, pro quorum aditu dominus vel alius aliquod dampnum sustinuerit; & quod dampnum, & quoties,& qui sint inde culpabiles, quæ quidem dampna, secundùm quod commodè poterit, illico faciat emendari, vel habito respectu ad pluralitatem hujusmodi delictorum, penitus per ipsum dominum amoveantur, vel saltem per ipsum Senescallum,eo quod pro quolibet modico delicto non decebit dominum commovere. § 10. Item amensurare debet superonerationem instauri bestiarum ubique, de quibus superfluum vendatur, vel alia commoditas domini inde fieri disponetur; nec tamen inde fiat transmutatio, venditio, vel alienatio, nisi per sufficiens warrantum domini, vel senescalli, cum laudabili testimonio fide dignorum. § 11. Item, ejus est veraciter scire de finibus amerciamentis, releviis, heriettis, exennis,& venditionib' quibuscunque summam & quantitatem, & de hiis qui receptione pecuniæ fuerint onerati. § 12. Item, scire debet de custodiis & maritagiis, à quo tempore in manus domini devenerint, & quantum valeant per annum, & qui inde expletia receperint,& quant'. § 13. Item, scire debet in quibus ballivus manerii, & ministri sui per districtiones domini appruaverint. § 14. Item inquirere debet, si ballivus, vel alius serviens vel tenens domini, vel alius aliquod vastum vel dampnum fecerit in boscis, parcis, warrennis, cunicularіis, & hujusmodi, & quod dampnum, & quis hoc fecerit, & quoties. § 15. Item inquirere debet de nominibus omnium sub-ballivorum in quocunque manerio servientium, tam majorum quàm minorum, & de eorum plegiis, quorum omnia nomina imbreviata debet custodire,& Cur' ingredi, & habere de advocatis; nec debet major vel minor, antequam pleg' domino per literas patentes invenerit, in obsequio domini remanere, nisi ipsi servientes per electionem fide dignorum in plena Curia,& per plegiagium electorum ad tale officium fuerint convocati; nec senescallo aliquos in capite cum domino commorantes à servicio domini ejicere licebit, sed soli domino sit talis potestas reservata: nec etiam custodias, maritagia, seu escaetas vendendi, viduasve dotandi alicui, præterquam solo domino licebit. Senes' verò nihil recipiet de denar' domini sui, sed ab omni compoto liber esse debet, & quietus, præcepta tamen sua advocare tenetur. § 16. Item inhibere debet generaliter & specialiter, nè ovis, vel alia bestia domini excorietur, priusquam à ballivo & præposito, aliisque fide dignis videatur, quâ morte fuerit mortua, eò quod diversimodè mori potuit, ut per interfectionem voluntariam, vel si sint jugulatæ, amissæ,furatæ, vel mahemiatæ, vel læsæ, & hujusmodi, per malam custodiam, in quibus casibus dominus indempnis debet penitus observari. Si autem mortua fuerit per casus fortuitos, nec per combustionem, submersionem, mahemium, senectutem, & hujusmodi, hoc suo custodi non debet imputari; ad vim autem majorem, vel ad casus fortuitos non tenetur quis, nisi sua culpa intervenerit. Si autem ab aliquo, vel alicujus cane vulneretur, vel occidatur, vel per cursum velocem ab alio quàm custode ad mortem fugetur, & hujusmodi, succurritur domino per querelam; non igitur pro qualibet penè plata, vel pro quolibet capite ostenso erit una bestia cuilibet repetenti allocanda. Sed in hoc casu diligentes fiant examinationes, ut

ut res potiùs domino valeant, quàm pereant. § 17. Item senescalli officium est quâlibet nocte per se, vel per substitutum, per dominum tamen de expensis hospitii cum emptore, Mar', coquo, dispensario, officiariis computare, & diei scire summam expensarum. § 18. Item à præposito de lardario, secundùm quod necesse habuerit per tall' recipere unumquodque genus carnium & piscium, & quòd in sua præsentia fercula scindi faciat, & coquo per numerum deliberare, & inde rationabilem compotum audire. § 19. Item ad ipsum pertinet veraciter scire quot panes obolati de quarterio frumenti fiant, quos panetar' à pistore per numerum recipere tenetur. Item, quot panes, quotque fercula simplici familiæ diebus communibus conveniant. § 20. Item, habere debet unum folium taliæ tripartitæ de blado, & braseo, pistori deliberato per præpositum. § 21. Omnes autem servientes Sen' conjunctim & divisim de officiis suis respondere tenentur; ipseque de eorum factis tenetur testimonium perhibere.

De officio Ballivi. CAP. 73.

BAllivus autem cujuscunque manerii esse debet in verbo verax, & in opere diligens ac fidelis, ac pro discreto appruatore cognitus, plegiatus, & electus, qui de communioribus legibus pro tanto officio sufficienter se cognoscat, & quòd sit ita justus, quòd ob vindictam vel cupiditatem non quærat versus tenentes domini, vel aliquos sibi subditos, occasiones injustas, per quas destrui debeant, seu graviter amerciari. Caveat autem sibi à vitio pigritiæ redargui; surgat ergo mane, nè tepidus videatur, vel remissus, & carucas inprimis jungi faciat, deinde campos, boscos, prata, pasturasque ambiat & aspiciat, nè inde dampna fiant in auroris. § 2. Facto siquidem suo circuitu carucas dominicas adeat, custumarias, & adjutrices, prospiciens quod antequam dietam suam plenè paraverint, minimè dis-jungentur, alioquin cadit in compoto. In initio igitur temporis seminandi, & rebinandi, conjunctim sint cum carucis ballivus, præpositus, & messor per totam dietam, donec arruras suas legitimè compleverint, quantum videl' ad unum diem pertinebit, & quòd omnes se intromittant, quòd carucarii diligenter & bene suas faciant operationes, & qualiter eo die expediverint, statim dis-junctis carucis videant per mensuram: & nisi ipsi carucarii rationabiles prætenderint excusationes de aruris suis, secundùm aruram illius dietæ, tenentur reddere rationem. Et nihilominus facta eorum & defectus sæpe ac sæpius expedit supervidere, & videre per messorem, nè hujusmodi defectus remaneant non correcti & impuniti. Et notandum, quod caruca boum, cum duobus equis tantum expediet, quantum tota cum equis, præterquam in terra litorea & petrosa, quæ pedibus boum gravis est & impediosa, tum quia equus plus sumit & expendit; tum quia carucarii & fugatores extra passum ire consuetum, secundùm usum boum grave videtur, tum quia caruca boum in terra gravi præcedet, ubi equina remanebit. § 3. Qualiter verò equus magis quàm bos est sumptuosus, videndum est & sciendum, quòd omnis bos vel vacca ad laborem carucæ deputata, à festo sancti Lucæ, usque ad festum Inventionis sanctæ Crucis per xxviii. septimanas, ex communi consuetu-

 dine

dine ad præſepe cuſtoditur. Equus autem ſi in ſtatu laborandi debeat obſervari, de ſexta parte buſſelli avenæ de pretio ob' ſingulis noctibus oportebit ipſum præbendari, & ex xii. denar' herbagii ad minus æſtivali tempore refocillari, & quolibet menſe denariatus ſibi compete ferramenti, quorum ſumma eſt xi. ſol'. vi. den'. præter eſtoveria foragii, & eſchaetarum bladi. Bos verò de tribus & dimid' menſur' avenæ, de quibus x. faciunt buſſel, ſufficienter poterit quâlibet ſeptimanâ ſuſtentari, unde ſumma ii. ſol'. vi. den' in toto. Equus etiam cum ſenectute vel labore convincatur, de pelle tantum correſpondet, ſed de bove ſecus erit; nam cum decem denariatis herbagii ſalvari poterit dominus indempnis, vel ferè, ut, ſi pro labore non ſufficiat, interfici poterit, & per venditionem carnis carnificibus, & pellis, & hujuſmodi, per particulas poterunt primi cuſtus, vel ferè, domino reſtitui, & ſic poterit dominus indempnis vel quaſi obſervari. § 4. Item ſuper-videre debet ballivus falcatores, meſſores, cariatores, operarios, & miniſtros manerii univerſos, quod quilibet quod ſuum fuerit juſtè debitéque proſequatur; nec legalius, ſubtiliuſve ad commodum domini, quàm per competentes mīas, quotieſcunque tranſgreſſi fuerint, poterunt caſtigari, monitionibus tractabilibus intervenientibus. § 5. Faciant igitur circumſpectè terras dominicas, marlari, compaſtari, de ovili faldari, appruari, & emendari, ut ſenſuum ſuorum abundantia per effectum operis liquere valeat univerſis. § 6. Nec permittat equos, vel affros carucarum, vel carectarum, ab aliquo majore vel minore, per crebras & indebitas equitaturas impunè vexari, ſed quòd ipſi ſimul cum aliis pecoribus bene cuſtodiantur, nè per negligentiam vel pigritiem de debitis puturis & præbendis ſuis quicquam amittant, vel ſubcontrahatur ab eiſdem. § 7. Nec liceat ballivo pro villenagiis proximis hæred', aut aliis liberand', vel pro releviis, ſeu maritagiis fines capere, vel placitum tenere de aliquo, quod tangat liberum tenementum, feodum, vel libertatem, nec etiam furniandi ſibi liceat, vel braciandi in manerio, niſi dominus præſens extiterit. § 8. Item, nec ſit ballivus ad menſam domini, ſed ſub certis vadiis quotidianis victus ſibi conſtituatur. § 9. Sæpe videat ballivus trituratores in grangiis, qui ſi purè granum à palea non ſeparaverint, illum iterum puriùs faciat triturari, nè grana in palea remanentia, in fimo agris diſperſo germinent, in tegminéve domorum: Foragium autem taſſari faciat & co-operiri, cujus eſchaetæ, prout collectæ fuerint, in luto plateis, & itineribus projiciantur ad fimum nutriend', quod multò magis ad commodum domini ſic deveniet, quàm ſi ad venditionem devolveretur: Stubula verò in terra requieſcat, nec plus inde tollatur, niſi quod pro reparatione domorum Cur'. fuerit neceſſarium, & reſiduum per carucam ſubvertatur. § 10. Menſe autem April', tempore videl' quo omnia aperiuntur, warectandi erit tempus idoneum & amœnum, cum terra fregerit poſt carucam; rebinnandi verò poſt feſtum Nativitatis ſancti Johannis Baptiſtæ, cum terra pullulaverit poſt carucam. § 11. Ad ſeminand' autem cum terra fuerit aſſeſſa, & non concava: ſed omnis colonus temporis congruitatem ſingulis minimè poterit vicibus expectare. § 12. Videat etiam ballivus, nè ad expeditionem carucariorum per minus amplos radios depereat cultura,

cultura, vel alio quovis modo durante exarando. Et cum bona terra arari debeat pro warecto caveant sibi carucarii, ne malam terram perversè arando attingant; sed per radium quadratum terram bonam advertant, dum tamen profundam; ita quòd terra recens co-operta vel disco-operta non remaneat. Et cum tempus affuerit rebinandi, nè profundo arent, carucariis inhibeatur; sed levis sit carucæ cursus, saltem ad herbarum & radicum destructionem: nam si tempus pluviosum supervenerit,& per profundam aruram fiat terra mollis & aquatica, & tempus venerit seminandi, caruca tunc ad aliquam terram certam attingere non valebit; sed erit caruca tanquam lutosa: faciant ergo radios suos leves in rebinando, ut profundiùs per duorum digitorum largitatem attingere valeant in seminando, per quod caruca à luto deliberari valeat, & mundari, & pulchram bonamque faciat aruram. § 13. Cum autem tempus advenerit seminandi, non permittat ballivus largos, sed spissos minutos, beneque conjunctos radios arari, per quod semen æquiùs cadere valeat in eisdem: nam radiis largè aratis, & semine projecto, herciaque superveniente, statim fit discensus seminis inter duos radios per herciæ tractum, & summitas terræ inter ipsos radios habita, detecta, & tanquam sterilis remanebit, quod tempore segetum ab uno capite in aliud respiciendo ad oculum manifestiùs apparebit. § 14. Si quid autem bladi remanserit post seminationem agrorum, id prudenter granario retornetur, vel granatarius in compoto de facili poterit titubare. § 15. Si autem terra deorsum seminari debeat, terram exaltari & minimè arari oportebit, & terra per carucam aliquantulum elevata, sub pede carucarii sinistro ultimum radium arando subvertatur & prosternatur, ut ultimus radius perinde districtior habeatur. § 16. Item videat ballivus, quòd maturè incipiat seminare, ut ante adventum magni algoris, magnique gelu, & yemis gramina suas expanderint radices. § 17. Nam si tardè secare fecerit, & effusio pluviæ infra octo dies sequentes discenderit, & illico supervenerit gelu durabile, quantumcunque aqua terræ concavitatem fuerit ingressa,gelu penetrabit, per cujus si perseveraverit per triduum vel ampliùs, possibile est hujusmodi grana tenera & aquosa germinata & pullulata omnino deperire. § 18. Et sciend', quòd duæ sunt terræ, quæ maturè debent seminari ad semen præcipuè quadragesimale,terra,viz. marlosa, & terra lapidea,nè fortè per fervidum marcium dampnum contingat, & impedimentum per minimam duritiam, vel nimiam concavitatem; & ideo tempestivè debent hujusmodi terræ seminari, ut per sappum & virtutem yemis naturale recipiant nutrimentum: Terras autem molles & sabulonosas non est necesse maturè seminare, eo quod hujusmodi terræ temporibus pluviosis ex consuetudine subvertuntur per aruras; sed terras aquosas, & de marisco necessarium est optimè fodere & radiare, & radios aptè purgare, nè semen humi projectum, per impetum aquæ submergatur. Terras verò steriles, & quasi derelictas semine genecti vehementer expedit seminare. § 19. Et notandum, quòd semen hyemale in eadem terra aqua venit projectum, sicuti aliud faceret de partibus remotis quæsitum nullatenus abundabit: faciat igitur quivis discretus semen sibi emi hyemale, ut copiosior eveniet usus fructus.

De

De semine verò proprio quadragesimali seminentur terræ domini, nisi propter fori facilitatem hoc fuerit omissum. Nulli ballivo sit vile, si de rebus domini dominum possit appruare, ut de suis ordeis braseum, de lanis pannum, de linis telas, & hujusmodi fieri; vel si equum, pullum, vel palefretum de sursure, fabisque educi, faciatque nutriri, vel alia quæ commoditatis domini respiciant incrementum. § 20. Item vivaria, stagna, lacus, servoria, & hujusmodi, piscarias suas quisque discretus bresmys & perchiis faciat instaurari; sed non de lupis aquaticis, tenchiis, vel anguillis, qui effusionem piscium nituntur devorare. § 21. Item potestas habere posternas in omni Cur' totaliter inhibeatur, sed unicus sit ingressus. Et in omnibus instauro equarum, emissariorum, cignorum, & apium, quisque studeat instaurare. § 22. Et in fine de omnibus officiis sibi subditis intromittere se debet diligenter, nè per dissimulationem, & negligentiam suam, & impudentiam ministrorum in pœnam compoti merito debeat condempnari.

De Marescallo. CAP. 74.

OFficium autem Marescalli est præbendam contra præpositum talliare, & numerum equorum Senescallo hospitii in compoto diei quâlibet nocte computare, ut ipse in rotulo suo numerum equorum possit inserere, specificando nomina super-venientium de eorum adventu, & morâ. § 2. Item furfur à præposito per talliam recipere, cum inde necesse habuerit, & inde Sen' compotum reddere, ut fiat de furfure, sicut de avena. § 3. Item contra præpositum de ferris & clavis ab eo receptis talliam recipere, tam de numero ferrorum, quam de eorum custubus, & ubi ea allocaverit Sen' demonstrare; nec sine sua licentia alienos equos inde licebit ferrare. Item fœnum & literam equis deliberare.

De Coquo. CAP. 75.

OFficium Coqui est, de singulis ferculis ratiocinium reddere Sen' singulis diebus.

De Præposito. CAP. 76.

PRæpositus autem tanquam appruator & cultor optimus per villatam electus ad præposituram domino, vel ejus Sen' palam debet præsentari, cui injungatur officium illud indilatè. Non ergo sit piger vel somnolentus, sed efficaciter & continuè commodum domini adipisci nitatur, & exarare, carucasque intrinsecas & extrinsecas mane conjungi, terrasque conjunctim & purè arari, puroque semine, nec minus sparsè dispergi faciat & seminari, fimum etiam nutriri & co-adunari, ad sterculinium cum terra fimumque mixtum faciat exaltari. § 2. Aream etiam b'cariæ cum marla, seu fossatorum mundatione, vel saltem terra bona quâlibet faciat quindenâ marlari, desuperque straminari. Et cum de residuo straminis bestiis non necessarii, & plateis lut' project' fimus superfuerit, illum ante Martii siccitatem colligi faciat, & nutriri, qui cum cariari debeat ad rura, cum cariatoribus præsens existat Præpositus totâ die, ut sine fictitia dietam finiant & laborent,

&

& secundùm laborem illius dietæ debet futurus labor expediri, allocari, alioquin etiam in compoto cadent; & quod de istis dicitur, dici poterit de cariatoribus universis. § 3. Terra autem sabulonosa fimo puro non fimoretur, sed cum terra optimè permisceatur; hujusmodi enim terra respectivè quodammodo calida est, fimusque purus calidus, & tempus æstivale fervidum: mixtis ergo caliditatibus, ordea per consequens possibile est marcisci: expedit igitur fimum hujusmodi terra misceri. § 4. Ex rore namque ex naturali frigiditate hujusmodi terræ mixtæ horis vespertinis generata procreatur segetibus nutrimentum; fimus verò purus in rure dispersus, ultra duos vel tres annos, secundùm quod terra fuerit frigida vel calida, minimè durabit. Mixtus autem in duplo licet tantam non habeat substantiam, vel virtutem; marla autem durabilior est, eo quod fimi descendendo, & marla ascendendo consumitur. Et hæc est causa quare terras fimo dispersas profundè non expedit exarare, adjecta itaque terra fimo rariùs descendet, & per consequens tardiùs consumetur; qui cum superorentur, immissâ carucâ subvertantur, quia roris stillicidia multum juvant ad mixturam. Nec in warectum debent mitti fimi, quia per rebinnuram ferè subverterentur; & sic ante tempus seminis multùm consumerentur: Sed ante tempus seminandi immediatè distribuantur, & maximè, si fuerint de ovili; quanto enim fimus ovilis semini sit propinquior, tanto commodior & utilior: tempore autem Augusti bidentes alienos admittere expedit ad ovile, eo quod tunc temporis fimum abundantiùs emittunt. § 5. Item, Præpositus per consensum & visum ballivi & senesc', inter festa Pentecostes & Paschæ instaur' pecorum, videl' à debilibus fortia, & ægrotis sana eligi faciat, & separari; debilia namque magis consumunt, eo quod sæpius & meliùs oportebit hujusmodi dn' tamen ad operationes, & laborem constituta præbendare, & eisdem debilioribus frequentiùs parcere & deportare, & quanto in laborando parcatum fuerit eisdem, tanto erit onus graviùs, pejorque conditio robustis. § 6. Si autem priusquam senectutem nimiam attigerint, vel per decrepitatem, mahemiam, vel laborem nimium declinaverint, sic fuerint electa, ex mediocribus custubus poterint emendari, & per venditionem, vel alio quovis modo poterunt per substituta de levi, quasi revivisci; dum tamen prudenter vendantur, & de eis emantur fortiora: necessarium est igitur hujusmodi pecora sapienter abolire: Et post festum sancti Johannis Baptistæ expedit, quod boves debiles, & malè intentati, veteresque vaccæ, ac steriles, juveniliaque averia parum emendantia, singulis annis in bonam mittantur pasturam, in quam pingues valeant devenire, ut tunc quod domino fuerit utilius, sagaciter inde disponatur. § 7. Sufficiensque pastura tribuatur pecoribus laborantibus, nè per defectum declinent ad miseriam, per quod dampnum consequatur duplicatum, eo quod sumptus erant graviores, rarioresque labores. § 8. De die claro faciat Præpositus in præsentia sui vel messoris affros & equos quotidiè præbendari: Ita quod præbenda coram bobus conferenda stramine avenæ misceatur, vel frumenti; arestæ enim straminis ordeacei rugitus eorum impediret. De die dico, nè præbenda noctant' per custodes furetur eisdem; cum stramine dico, eo

quod

quòd occasione præbendæ magis comedant foragium, & per consequens magis bibent, & pinguescent, tum tamen hujusmodi forag' per modicas paululum quantitates eis liberentur; quòd si per magnam, minus comedent, magisque devastabunt. Præterea, si per magnam quantitatem eis fuerit liberat', ac ipsis postmodum rugientibus cum fuerint satiati, residuum straminis conculcabunt, naribusque inflabunt, & per consequens odio habebunt, & sic sordescent. § 9. Affros autem quandoque lavare, desiccatos striliare non est inutile; prodest etiam boves de die bis stergore cum vispilione, eò quod affectiùs se lambebunt. § 10. Item vaccis matricibus competens provideatur pastura, nè lactis patiantur detrimentum, & cum vitulus taurinus vituletur, primo mense non ablectetur; à quo deinceps de septimana in septimanam unicus lactis tractus debeatur, qui ultra duos menses minimè lactari permittatur; vitulus autem femellus integrè suum lac obtineat per tres septimanas, à qua postea veluti de masculo tractus uberum vicissim tollantur: Et tempore separationis aquam habeant abundanter, infra domum videl' & extra, nè per defectum aquæ, sicut frequenter contingit, ex ægritudine pulmonis moriantur. § 11. Cum autem calidum tempus accesserit & serenum, multum expedit juvenculas & vaccas, instaurumque bestiarum in falda bene straminata noctanter custodiri, ut perinde meliorentur dominicæ culturæ. § 12. Cum autem tempore pasturæ bonas vaccas lactrices ab aliis separaverit, bonaque de marisco salsa pasci fecerit, extunc debet lac duarum hujusmodi vaccarum de una waga casei in xxiiii. septimanis ex communi consuetudine respondere, necnon & qualibet hebdomada de dimid' lagena butiri. Si autem de pastura bosci, vel prati post falcationem, seu stubulæ post tempus messium, sic erit tanta proficui responsio de tribus vaccis, quemadmodum prædictum est de duabus. Et nisi de tanto responderit, cujus intererit, ipsum tenebit compoti catena, eo quod misertima trium de uno caseo de pretio unius oboli in duobus diebus respondebit, & de denariato butyri per septimanam. Et quod dicitur de trium vaccarum responsione, dici poterit de viginiti bidentibus matricibus sanè custoditis. § 13. Nec sustineatur, quod aliqua vacca ultra festum sancti Michaelis lactetur, eò quod hujusmodi lactare eas debilitat vehementer & enervat, ac tardiùs minusque lactis præbebunt in anno futuro, vitulusque exilior erit atque minor.

De Cultoribus. CAP. 77.

CUltores autem sint cogniti, & tales qui tempora congrua discretè sciant expectare, culturasque, prout tempus & terra poposcerint, seminare, carucasque ac hercias, cum necesse fuerit, debitè reparare.

De Fugatoribus Carucarum. CAP. 78.

FUgatorum autem ars est, ut boves æquè sciant conjunctos fugare, ipsos non percutiendo, pungendo, seu gravando. § 2. Non enim esse debent malancholici, vel iracundi, sed gavisi, cantantes, & lætabundi, ut per melodias & cantica boves in suis laboribus quodammodo delectentur; ipsisque foragium

foragium & præbendam deferre, ipſoſque debent amare, & noctanter cubitare cum eiſdem, ipſoſque prurire, ſtriliare, torcare, bene in omnibus cuſtodire, proſpiciendo nè foragium eorum furetur, vel præbenda; nec pro duabus noctibus ſimul vel tribus fiat liberatio fœni vel literæ, ſed paulatim de die in diem, prout fuerit neceſſarium, liberetur eiſdem: nec quòd candelam habeant, prout dictum eſt, ſuſtineatur. § 3. Debent aliena pecora in paſtura carucariorum inventa imparcare. Ipſi etiam & cultores, cum tempus culturæ ceſſaverit, foſſare, triturare, fodere, iucludere, curſus aquarum in agris emundare, ac alia hujuſmodi minuta opera & commoda facere tenentur.

De Paſtoribus. CAP. 79.

PAſtores autem expedit habere diſcretos, & vigiles, & benignos, nè oves per ſuas iras torqueantur; ſed ut pacificè in lætitia ſuas depaſcant paſturas: ſignum autem benignitatis paſtoris, eſt quòd greges non diffugerit, ſed paſcentes ſuos circina paſtores. § 2. Inveniat igitur ſecuritatem quilibet, quòd in iis quæ officium ſuum contingunt, laudabiliter ſe habebit. § 3. Provideat igitur ſibi quiſque de bono cane latrabili, ſinguliſque noctibus cum grege cubitare. Præſepia ac ſua ovilia bonis glagis calidè furratis paliſque groſſis pæparari faciat atque muniri; & talem curam adhibeat, nè bidentes ſibi commiſſi furentur, vel mutentur, nec etiam locis aquoſis, mariſcis, plaſſetis, vel profunditatibus, & paſturis inſanis depaſci non permittantur, nè ob defectum bonæ cuſtodiæ putreſiant & pereant, alioquin in pœna compoti tenebitur. § 4. Ad oves autem multones, & eorum ſequelas, tria fiant ovilia; unum videl. pro multonibus & caſtoribus, aliud pro matricibus bidentibus, tertium pro hogaſtris annatis & juvenibus, ſi grex ad hoc ſufficiat, quibus tres deputentur cuſtodes. § 5. Omnes autem oves uno ſigno conſignentur, nec ultra feſtum Nativitatis beatæ Mariæ matrices tractari per ubera, ſeu lactari non permittantur: hæ quidem, quas retinere non expedit, poſtquam inter feſtum Paſchæ & Pentecoſtæ fuerint electæ, maturiùs tondeantur, ab aliiſque conſignentur, & ſtatim boſco committentur, in quo claudantur, vel in alia paſtura, in qua citiùs pingueſci poterunt, & emendari, quæ quidem in feſto Nativitatis ſancti Johannis Baptiſtæ vendantur. § 6. Cognoſci autem poterunt ægrotæ per caſum dentium per ſignaque ſenectutis; lana etiam talium per ſe vendatur cum pellibus, morinâ mortuarum, & inde tot releventur cum ſagacitate: Quidam enim circumſpectè agentes carnes ovium morinâ mortuarum per tantum tempus, ut inter horam nonam & veſpertinam, faciunt in aquam mitti, poſteaque ſuſpendi, donec aqua decurratur; quâ carne poſtea ſalſatâ & delicattâ, ipſam faciant appreciari, & inter operarios, familiamque expendi, & nè cadant in compoto, hujuſmodi carnes expeditas ſecundùm pretium appoſitum faciunt in expenſis quotidianis allocari. § 7. Inter feſta autem ſancti Martini & Paſchæ, infra domum oves expedit noctanter cuſtodire, niſi terra ſicca fuerit, ovileque bene reparatum, tempuſque ſerenum. Et quo caſu multones forte expedit in ovile mitti, debilibus autem domi commoranti-

bus fœnum apponatur. Cum autem m'ltones pro tempestate fortè domi commoraverint, separatim per se custodiantur, quibus grossius fœnum cum stramine avenæ frumentive bene triturato distribuatur. Nam si de nocte per tempestatem gravati extiterint, similiter fortè in crastino, ita quod parum comederint, vel nihil, posteaque ad præsepe esurientes accesserint, fœnumque purum invenerint, illud non comedent, sed devorando transglutinabunt; cumque eorum natura sit rugiendi, ac id quod non mandetur nullatenus venerit ad rugitum, possibile est hujusmodi m'ltonibus per putrefactionem illius fœni in stomachis remanentis deperire: bonum est igitur quod stramē fœno adjiciatur, eo quod ob straminis straminis grossitiem fœnum potiùs manducabunt. § 8. Cum autem oves matrices agnos suos producere inceperint, lanam deleat bercarius de matrum uberibus, nè hujusmodi agni, per tractus uberum lanam annexam transglutinantes, pereant per hujusmodi lanam in stomachis suis morantem, quod valde contingens est. § 9. Post tempus autem tonsionis venire faciat ballivus coram eo omnes pelles ovium occisarum, nec non & morinâ mortuarum, ipsasque per probos & fide dignos faciat apertè videri, an uno signo, vel diversis fuerint consignatæ. Præterea, quod sint de una & eadem lana quâ vivæ, nè fortè fuerint emptæ, maliciosèq; mutatæ, ut hujusm' visores in compoto ballivo, si necesse fuerit, testimon' perhibeant veritati; quæ quidem pelles, simul cum lana annua, vendantur per saccos, vel per vellera, aliòve quovis modo, prout meliùs fuerit faciend'. § 10. Saccus enim xxx. petras debet contra ponderare, vel saltem xxviii. si per rectam petram, quæ xii. libras & dimid' ponderat ex consuetudine communi, ponderetur. Expedit quoque ut ballivus sit præsens singulis annis cum lanæ agni, agnorumque pelles, nè fortè decipiatur, consignari debeant & decimari. § 11. In festo omnium Sanctorum de melioribus ovibus interficiantur duæ, duæque de pejoribus, ac duæ de mediocribus, quæ si non sanæ inveniantur, alienentur per venditionem, vel alio modo, usque ad quiendenam Pasch', quo tempore totidem releventur. § 12. Castores autem bonis velleribus communiti cum matricibus bidentibus tempore veniente competenti custodiantur; matrices autem, m'ltones & hogastri ter eligantur per annum, & videantur, nè per parvam imperitiam, vel negligentiam sani morbum capiant ab ægrotis; nec expedit quod pecora, videl' oves, boves, vaccæ, & hujusmodi, tempore pluviæ infra domum admittantur. § 13. Nam si calefactura venti inter cutem & carnem ingrediatur, vel inter pellem & lanam, citiùs poterint deperire: Sed expedit singulis annis per discretos ter per annum videantur oves, & calefactæ, ægrotæ, & putrefactæ, quæ per lanam à pellibus recentem, per occulosque croceos, nec non & per dentium debilitatem cognosci poterunt, cum tota lana vendantur indilatè, simul cum veteribus & debilibus: Juvenes autem in bona mittantur pastura ante mensem Augusti, ut pinguescant in eadem. § 14. Et cum meliores emendentur, & pinguedinem receperint, vicissim palamque vendantur carnificibus; hujusmodi verò carnes meliores sunt ante Augustum, & quod remanserit post festum sancti Martini venditioni divolvatur. Et caveant sibi ballivus & præpositus, nè aliquod instaurum extra manerium

rium vendatur, quin priùs per tenentes domini, secundùm verum valorem apprecietur: Cujus sit publicus emptor, qui plus inde dare voluerit, eo quod hujusmodi averia non sunt catalla defuncti, seu de parco Regis, vel præda. § 15. Item, diligenter eligantur bidentes in festo sancti Michaelis: nam esto quod ad Pasch', ad festumque nativitatis sancti Johannis, & in principio mensis Augusti sanæ permanserint; inter duo tamen festa beatæ Mariæ in Augusti Septembrisque mensibus, ob malam custodiam in pastura corruptibili, ac per commestum cujusdam nubis escaetæ, quæ tunc temporis cadere contingit, vel per commestum albarum testudinum corrumpi poterunt & infirmari. Et cum hoc fortè contigerit, statim à sanis separentur; de quibus commodum domini protinus ordinetur. § 16. Cum aliquis pro mortua fuerit præsentata, & visa fuerit quòd mortua sit per morinam, infirmitatem, vel ex casu inopinato, tunc refert utrum ante tempus tonsionis, vel post. § 17. Si autem ante, tunc pellis cum vellere æquivalebit; & si post, bercarius de uno agno, uno vellere, uno carcosio bonæ carnis, & unâ pelle debet respondere, alioquin pœnam compoti non evadet ballivus.

De custodia Porcorum. CAP. 80.

Quilibet autem discretus ballivus semel saltem in anno porcos suos potentes à debilibus eligi faciat & separari, insanique deleantur & vendantur. Apros vel sues non teneat quis, nisi fuerit occasione bonitatis suæ progeniei, sed suas faciat sues quodamodo castrari, ut steriles efficiantur; bacones namque talium baconibus masculorum æquivalebunt. § 2. Matrices, si quæ prægnantes remanserint, non permittat quivis in hyeme perire, nè per asperitatem algoris sibi anticipentur suorum tempora productionis porcellorum: Ipse verò in tribus mensibus præcipuè auxilio indiget, Februario videlicet, Martio & Aprili, quæ ter in anno debent porcellare, nisi mala custodia eas excuset, quibus etiam ac porcis omnibus optimum est jacere in loco sicco longas matutinas. Si autem glande, nucibus aut pessona valeant sustentari, bonum est porcorum instaurum, dum inde boscus, mariscus, vel communia in foresta manerio pertineat, ex quibus sumere poterint nutrimentum cum aliquo adjutorio grangiarum. Et quo casu fiat porcheria in marisco vel bosco, in qua, superveniente fortè gelu, poterunt hospitari. § 3. Debiliores tamen & sues cum porcellaverint ad manerium fugantur, & de exitibus grangiarum, durante hyemis asperitate, nutriantur; qui cum fragilitatis compunctio transierit, statim retornentur ad alios. Si autem boscus, mariscus, foresta, vel vastitas manerio non pertineant, nec sit de quo sustentari poterunt, præterquam de exitibus grangiarum, tunc porcos non expediet custodire, nisi tot tantum quot ex stubula tempore autumnali cum aliquibus minutis grangiarum exitibus poterunt confoveri. Et quo casu nullus teneatur custos eorundem, sed quàm citiùs fuerint incrassati, habito warranto discretè vendantur.

De tempore Autumnali. CAP. 81.

NOn ſufficit quòd ſemen magis projiciatur, niſi ſegetes cum diligentia colligantur: Proſpiciant igitur ſibi ballivus & præpoſitus, quòd ante tempus metendi mundentur ſegetes, quódque cardines, parellæ, & hujuſmodi herbæ dampnoſæ penitùs abolentur; hoc tamen fiat poſt feſtum Nativitatis ſancti Johannis: nam ſi ante idem feſtum quis faceret hoc, de uno ſtipite duæ pullulationes vel tres provenirent, & eſſent ſic dampnum duplicatum: Faciant etiam ante dictum feſtum, ſi tempus arriſerit, prata falcari, diſpargi, deſiccari, coadunari, & ſalvò cuſtodiri, priuſquam ſubjungeretur imbribus pluvioſis. § 2. Tempore autem metendi non ſint ſervientes pigritiæ dediti, ſed manè faciat meſſor ſuos congregari meſſores, quos falces meſſi immittere feſtinet, ac ſeriatim & continuè abſque curſus velocitate ipſos meti faciat, perſpiciens nè ſubtus primum manipulum ſegetes proſternentur, ac per invidioſam expe ditionem omittantur inſecatæ; imo quia vel purè metientur, gavellæque ſeriatim ſupponentur, ut ſic citiùs deſiccentur, ac commodè in minutis garbis æquéque colligantur; minuta namque garba habilior eſt quàm magna ad carcand', taſſand', & triturand', & congruo tempore expectato in grangiis ſalvò cariantur & reponantur.

De exitibus grangiarum. CAP. 82.

PRiuſquam hujuſmodi blada taſſentur lii. garba ab omni genere bladi in hoſtio grangiæ extrahatur, & obtenta ſic de toto uſufructu manerii lii. parte, per conſequens ſcire poterit de quanto debet cuſtos reſidui reſpondere. Nec ſuſtineatur, quod præpoſitus ſit granatarius & grangiarius ſimul; ſed ſit grangiarius ballivus, vel ejus ſubſtitutus, qui bladum præpoſito liberet per menſuram raſam & non cumulatam; nec ſint diverſæ menſuræ, ſed una tantùm, quæ ſub ſigillo Seneſc' ſit bene ſignata. Raſa dico, quia fraus citiùs fieri poterit in cumulata, eo quod quatuor cumulatæ quintam ferè vel ampliùs continent de raſis, ſi menſura lata fuerit; ſi minus lata in quinque continebuntur ſex, ut ſi minus lata in ſex continentur ſeptem: fiant ergo raſæ utpote prædictum eſt. § 2. Si autem grangiarum exitus non niſi de ſemine triplicato reſponderit domino, inde nihil eſt lucraturus, niſi per bladi charam venditionem: Nam una acra pro frumento trinam exigit aruram præceptis terris ſingulis annis ſeminatis, & valet arur' xviii. den', herciatura i. den', duo buſſelli frumenti pro ſemine xii. den', mundatura ſegetum ob', meſſura v. den', & cariagium i. den' receptis ſiquidem ſex buſſellis, ut tantùm trina habeatur reſtitutio de exitibus inde provenientibus de pretio trium ſolidorum, ſed magis inde non provenientibus, & miſis deductis, tres obolos erit dominus ſic amiſſurus. Abjectio verò bladi, ut crappæ hujuſmodi quæ in anno remanſerint, recolligatur, ac potiùs trituretur & vendetur, purúmque puro re-admittatur. Inſidiantúrque trituratores ac ventrices, nequicquam bladi furentur in ſuis ſotularibus, cirotecis, alloveriis, burſis, ſeu pantoneriis, vel ſacculis, juxta grangiam occultatis. Nullus præpoſitus ultra unum annum remaneat irremotus, niſi pro fideli ac optimo appruatore, ſed cum

cum in præpositura remanserit, diligenter defectus videat in Cur' subortos, utpote de domibus detectis, muris fractis, fossatis obstructis, sepibus dirutis, carucis ruptis, carectis dis-junctis & fractis, ovilibus derelictis, & hujusmodi, quibus cum celeritate manus adjutrices apponat, nè negligentia ejus domino sit dampnosa: Quod enim hodie posset de uno denario corrigi, in fine fortè anni de xii. denar' non poterit emendari. Ideóque melius est in tempore occurrere, quàm post causam vulneratam causæ remedium adhibere; prospiciat sibe tamen de warranto inde habendo, alioquin voluntaria erit allocatio prædictorum, eo quod hujusmodi missas esse falsas supponunt auditores compotorum: nec fient sepes de pomariis, piris, cerisariis, vel prunariis, sed de salicibus, & alba spina construantur. § 3. Et caveat sibi præpositus nè alicui extraneo, vel domini familiari supervenienti quicquam inveniat sine warranto vel mandato: Nec etiam permittat, quod aliquis vel aliqua ad caseatricem accedat, quicquam casei, lactis, butyri, vel hujusmodi importet quod cedere posset parvæ familiæ in commodum, seu casei, butyri, vel daeriæ in incrementum. Nec etiam sustineat, quòd aliquis alicui officio deputatus, de nocte vel de die ferias, mercatos, disseisinas, vigilias, luctas adeat, vel tabernas, sed quòd omnes constanter suis intendant officiis; nec licentia hac vel illac cuiquam vocandi concedatur, priusquam substitutum, pro quo voluerit respondere, suo duxerit officio collocare. Si custos namque ovium, vel porcorum, vel hujusmodi vacaret nullo sibi substituto, possibile, esset hujusmodi pecora per loca diversa deviare, & dispergi, & dampnum facere domino, vel vicinis, pluráque alia inde possent dampna evenire. Et quâlibet septimanâ debet præpositus cum ballivo computare consuetudines hebdomadis, operationésque talliare, ut de arrer' operationum perinde certiorentur, quæ, si in denariis convertentur, poterit sic redditus augmentari. Item nec permittatur, quòd ignis deferatur in stabulum, vel boveriam, seu lumen candelæ, nisi ob necessitudinem, nec tunc per minus quàm per duos homines portari sustineatur. § 4. Item præpositi scire est, quoties carectæ per diem cariagia sua commodè facta valeant ad fœnum, turbam, maheremium, boscum, fimum, marlam, & hujusmodi, ut si cariatores de cæteris diebus secundùm illius diei laborem non responderint, pœnam compoti se voluerint incursuros. § 5. Item officium præpositi de toto, exitu grangiarum se cariare, nec non & de omnibus receptis, & de omnibus emptionibus, & venditionibus intrinsecis & forinsecis, tam bladi quàm instauri. Item bladum ad furnand', & brasium ad braciand' per tallias pistori deliberari, & exitum eorundem, videlicet furfur à pistore recipere, ac draschiam per visum ballivi custodi carucarum per talliam & mensuram liberare, ac furfur etiam pistori vel mar' ad panem garcionum & familiæ, & ad pastum canum similiter per talliam & mensuram debet liberare.

De officio Pistoris. CAP. 83.

OFficium autem Pistoris est, tam bladum ad furnand', quàm braseum ad braciand' per talliam recipere de personis prænominatis, omnem exitum eorundem per diversas tallias distribure. Nec licebit pistori aliquas expensas

expensas de surfure facere, ut ad pastum canum, vel ad panem garcionum, vel pauperum, vel alicubi miscere, priusquam præpositus illud receperit ab eodem, & iterum per talliam liberaverit eidem.

De Messore. CAP. 84.

MEssor autem fortitudinis, valetudinis, asperitatis, fidelitatisque debet virtutibus communiri: Manè ergo seróque boscos, curiam, prata, rura, aliáque manerio pertinentia circuire debet & insidiari, pecora etiam in dampnis domini inventa imparcare, ac in querelis emersis præstitâ securitate de querela prosequenda, summonitiones, attachiamentáque facere, diémque partibus ad proximam curiam præfigere, & quod inde fecerit, palam in curia præsentare. Item semen recipere tenetur per mensuram, & terris inde perseminatis de residuo tenetur granatario reddere rationem. Carucas quoque ac hercias in utroque seminis tempore ejus, interest supervidere, ut defectus (si qui fuerint) debitè suppleantur. Carucas etiam custumarias atque rogatas suis locis debet collocare, contra quem de semine recepto, seminato, ac restituto, operationibusque tam consuetudinariis, quàm inquisitis per totum annum debet præpositus talliare: de arreragiis autem quæ fuerint præposito vel granatorio respondeat, præpositus autem ballivo; qui si sufficienter responderit, ulterius non tenetur computare.

De Carectario. CAP. 85.

CArectarius autem constans esse debet, atque peritus, modestus, non iracundus, in arte summandi, carcandi, & cariandi doctus & expertus, equos diligat, & non superoneret, sed in potestate teneat, nè pro nimietate depereant oneris seu laboris. Item, ejus est scire phalera, attilamenta, & harnesa minuta carectis appendentia præparare & emendare; quilibet autem carectarius, simul cum affr' jaceat suæ carectæ. Et quod de carectariis dicitur, de bovariis cum suis bobus intelligatur, nè occasionem inveniant, quò minùs bestias sibi commissas, & per malam custodiam extinctas, restituant.

De Vaccario. CAP. 86.

VAccarius autem sit homo notus, qui vaccas sciat bene custodire, vitulósque, prout decet, producere & nutrire, donec tempus sanum evenerit & amœnum. Inspiciat itaque quòd sua averia brumali tempore magnæque frigiditatis, calidè benéque custodiantur & foragentur, in faldísque bene straminatis noctanter imponantur temporibus opportunis, cum quibus sibi provideat cubitare.

De Caseatrice. CAP. 87.

ANdrochia autem pudica esse debet, & honesta, fidelis, & laboriosa in officio daeriæ, sapiens & experta, salvans, & non sumptuosa: Non enim permittat quòd aliquis, vel aliqua in Androchiarium sibi ingrediatur aliquid ablaturus, quòd in decrementum suæ cedere posset responsioni: Ejus autem

autem officium eſt, vaſa officio ſuo competentia per ſcriptum à præpoſito recipere indentatum, & ea reſtituere per eundem, cum fuerit receſſura. In quo quidem ſcripto primus dies ſui operis contineatur. Item ejus eſt, lac per talliam recipere, & per numerum lagenarum, caſeum, faceréque butyrum, curámque de poletria obtinere, ac de exitibus inde provenientibus frequenter ballivo & præpoſito compotum reddere & reſpondere; nec volunt nonnulli Auditores compotorum minorem reſponſionem quàm de auca xii. denar', & de gallina iv. denar' per annum allocare. § 2. Ipſius etiam intereſt ventare, vannare, vel ballare, ignem tegere, & hujuſmodi minuta opera facere, cum ad hæc ſanè poterit vacare.

De Auditoribus Compotorum. CAP. 88.

AUditores verò compotorum ſint circumſpecti artem allocandi, onerandíque, perfectè ſcientes, bonæ fidei,& non occaſionantes. § 2. Et inprimis viſum compoti faciant cum præpoſito & ballivo, ut de ſtatu manerii per hujuſmodi viſum melius ſint certiorati; & quòd tranſcurrendo inceperint, in fine anni conentur perfinire. Et quòd de uno ballivo dicitur, de cæteris obligat' intelligatur id idem: ita quòd ſingulis annis fiat ſemel viſus compoti, & ad annum revolutum ejuſdem fiat compoti complementum. Nec expedit hujuſmodi compotorum debitores omnes ſimul convocare, ſed ſint ipſi Auditores de manerio in manerium acceſſuri ut ſuper ſuis dubitationibus, convocatis teſtibus fide dignis, faciliùs poterunt reddi certiores. § 3. Item, nec expedit quòd pecunia domini in manus hujuſmodi ballivorum ſeu præpoſitorum aliquandiu omittatur: Sen' autem hujuſmodi compoto intereſſe debet, ut cum vocatus fuerit ad warrantum, ſua præcepta advocet vel dedicat. § 4. Item, ut idem ballivus & præpoſitus de finibus, amerciamentis, & aliis denariis levatis, per contrarotulum Sen' onerentur; verúmque ballivus, cui honores & exennia facta extiterint, tanquam capital' miniſtro domini compot' præpoſiti, aliorúmque miniſtrorum ſibi ſubjectorum pluries jam ceperit, vel ſaltem capere potuiſſet: Ideo remaneat ballivus in cuſtodia carcerali irreplegiabilis, donec domino de arreragiis, ſi quæ emerſerint, plenariè fuerit ſatisfactum, niſi præpoſitus, vel alius per recognitionem ſuam meritò debeat onerari.

LIBER TERTIUS.

De rerum acquisitionibus. CAP. 1.

SUperioribus libris expositum est de personis & earum actionibus; modò dicendum est de rebus & rerum actionibus, quæ in patrimonio nostro vel extrahabentur, vel n'tro. § 2. In patrimonio nostro sunt terræ, ten', & hæreditates. § 3. Extra patrimonium verò res sacræ & communes. In n'tro sunt jura, servitutes, advocationes Ecclesiarum & Abbathiarum, quæ sine fundo alienari non possunt. Rursus, prædiales servitutes per se non censentur; ideóque in bonis esse non videntur, vel extinctæ esse, si per se censeantur: Nam & manica videtur extincta, cum non accedat vestimento. Et lignum non videtur possidere, cum non accedat ædificio. Istæ tamen servitutes non dicuntur esse extra bona, cum possidentes exceptionem, & non possidentes habeant actionem. § 4. Rerum autem aliæ sunt corporales, ut quæ tangi possunt; aliæ incorporales, ut jura & servitutes: aliæ communes, ut aer, mare, & litus maris: aliæ publicæ, ut jus piscandi, & applicandi flumina & portus. § 5. Riparum etiam usus publicus est de jure gentium, sicut ipsius fluminis; ad plus verò se habet commune quàm publicum, eo quod unum ad omne animatum, & aliud ad omnem populum se extendit. § 6. Aliæ universitatis: ut theatra, stadia, & ea quæ sunt civitatibus communia dominio & usu; sed alia communia dicuntur esse universitatis dominio tantùm, & fructu fundi, & servi civitatum, qui ita sunt omnium hominum civitatis, quòd nullius per se. Aliæ nullius: ut res Deo ritè per Pontifices dedicatæ; quod enim divini juris est, id in nullius hominis bonis est. § 7. Sacra enim sunt ad cœmiteria Ecclesiæ sacræ, capellæ, ædes sacræ religiosorum, quæ si diruantur, adhuc manet locus sacer: Sacra etiam sunt dona quæ ad Dei ministerium sunt dedicata: ut calices, cruces, & crucibula, quæ alienari prohibentur, exceptâ causâ redemptionis captivorum; quasi sacri sunt muri & portæ civitatum, quia pœna capitalis in talis est constituta qui scalis adhibitis hujusmodi muros transcenderint, vel aliquid violando immiserint. § 8. Hostile namque est & abominabile aliàs ingredi quàm per portas: Et inde est, quòd lex specialiter dicitur sanctio, quòd injuriosis pœnam imponit. Nec liceat cuivis ad privatum commodum muros municipales communi utilitate confectos reficere. § 9. Item, res nullius esse dicuntur pluribus modis; naturâ scilicet, sive jure naturali: ut volucres, feræ, bestiæ, & pisces; censurâ & divinâ, & casu: ut hæreditas

hæreditas jacens ante additionem, & ut liberi homines, & habitum pro derelicto, & servi ægrotantes ejecti à dominis suis, quos lex facit liberos.

De Accessionibus. CAP. 2.

JUre autem gentium sive naturali dominia rerum adquiruntur multis modis: quandoque per occupationem eorum quæ non sunt in bonis alicujus & quæ nunc fiunt ipsius Regis de jure civili, & non communia, ut olim, sicut sunt feræ bestiarum, volucres, pisces & animalia, quæ nunquam fuerunt domestica, quæ in terra, mari, & aere nascuntur, quæ cum capiuntur captoris fiunt; quæ etiam cum evaserint, & naturalem ceperint libertatem, ut vana sit eorum prosecutio, captoris esse desinunt, & rursus novi fiunt occupantis. § 2. Continet etiam occupatio piscationem, venationem, inclusionem, & apprehensionem, nec sola prosecutio facit rem esse meam; nam etsi feram bestiam vulneraverim, ita ut capi possit, non tamen est mea, nisi ipsam ceperim, sed occupantis. § 3. Inclusionem, ut patet de apibus, quarum fera est natura, si in arbore namque mea consiserint, non propter hoc meæ erunt, antequam è meo alveo vel amne includantur, non magis quàm volucres nidum in arbore facientes: sed si alius incluserit, earum dominus erit. Agmen etiam apium, quod ex eo minimè evolaverit, quamdiu in conspectu meo fuerit, meum esse dici poterit; dum tamen possibilis sit ei deprehensio, alioquin fit occupantis, nisi sciverit ipsum esse meum, & quo casu furtum facit, nisi animum habet restituendi. § 4. De volucribus autem, & feris bestiis factis mansuetis, quæ ex consuetudine eunt & redeunt, volant & revolant: ut sunt cervi, falcones, grues, & hujusmodi, secus erit, quia semper nostræ esse dicuntur, quamdiu de eis intelligi poterit quòd animum habuerint revertendi; quæ licet conspectum nostrum effugerunt, quocunque tamen loco fuerint, nostræ esse intelliguntur: Et furtum facit, qui eas animo lucrandi retinuerit, dum tamen notitiam habuerit veri possessoris. Et consimiliter dici poterit de hominibus liberis, qui in servitutem nostram deducti fuerint, cum extra potestatem nostram evaserint, pristinum statum receperint. § 5. Apprehensionem, ut in hiis quæ communia sunt: sicut in mari, litore maris, lapillis, gemmis, & aliis in litore maris inventis; & similiter in insulis in mari natis, & in similibus. § 6. Adquiritur autem nobis jure gentium dominium rerum per accessionem, divinâ naturâ operante: ut, quæ ex animalibus dominio nostro subjectis nata sunt, nobis adquiruntur; & quod per alluvionem agro nostro flumen adjecerit, id jure gentium nobis adquiritur. Est autem alluvio latens incrementum; per alluvionem autem adjici dicitur, quòd tam paulatim adjicitur, quòd percipi non possit quo momento temporis adjicitur. Secus verò si incrementum non sit latens, sed manifestum: ut, si vis fluminis partem aliquam ex prædio tuo detraxerit, & vicini prædium ampliaverit, certum est eam tuam permanere; & si longiori tempore fundo vicini adhæserit, & arbores forte fundo vicini attraxerit quæ radicaverint, extunc videntur fundo vicini adquisitæ. Opinio quorundam tamen est, quòd utilis rei vendicatio in persona prioris domini observatur; quorundam vero quòd cessat rei vendicatio, quia alte-

rius facta est. Habet etiam locum eadem species accessionis in insula in flumine nata, quæ, si in medio fluminis fuerit orta, communis erit eorum dominis qui ab utraque parte fluminis propinq' ips' prædia possident, pro modo latitudinis prope ripam existen' cujusque fundi; quæ si alteri parti proximior sit, ejus erit tantùm, vel eorum, qui ab illa parte prope ripam prædia possident: Si autem in mari nascatur insula, quæ non sit virgultis sustentata, occupanti concedatur; dum tamen alius jus exigere non poterit in eadem; ut, si flumen circuiens agrum alicujus insulam redigat, & quo casu non minus propter hoc erit insula illius cujus ager prius erat. § 7. In metienda autem vicinitate hujusmodi insularum ponatur punctus in medio utriusque agri, & si insula sit citra punctum, tunc hujus tantum, vel illius tantum erit. § 8. Si autem sit citra punctum, & in ipso puncto & ultra, tunc pro indiviso communis erit, ut tantum mihi de ipsa cedat, quantum continetur à medietate puncti usque ad agrum meum, & sic fiat in persona vicini quoad divisionem, & videtur quòd vicinitas & remotio insulæ considerari debent, secundùm principium nativitatis suæ, & inde est, quòd si inter insulam, quæ mihi proximior est, & contr' ripam vicini, quæ est ultra flumen, alia insula sit nata, tunc fiet mensura à mea insula, & non ab agro meo: Si autem insula rotunda fuerit, tunc omne quod mihi est propinquius mihi cedat, & similiter vicino cedat quod ei vicinius est. Sed hæc quæ dicta sunt, locum habent in agris non limitatis; nam in limitatis non habet locum jus alluvionis: Sunt autem agri limitati, qui assignantur alicui certis locis & terminis, ut sciant quod, & cui datum sit, & quid retentum, & quid relictum. § 9. Præterea, agris limitatis, non cedit insula ratione vicinitatis in flumine publico, imò concedatur occupanti vel Regi, propter suum privilegium. § 10. Habet etiam locum species actionis in alveo fluminis à flumine derelicto, cedit enim eis qui prope ripam fluminis, cujusque agri ficus aut alveus ejus juris incipit esse, cujus & ipsum flumen, id est, publicum: Flumen enim sibi alveum constituendo, agrum privatum facit publicum, & è converso; & sic dicuntur flumina vice Censorum, id est, judic', vel princip' fungi: Judex enim vel Imperator sæpe quod unius est alteri adjudicat, justè vel injustè, bonâ fide vel malâ. Et ubi flumen mihi abstulerit meum prædium per alvei constitutionem, & deinde redierit ad alveum antiquum in prædio quodam meo, de jure stricto nihil possum vendicare; cedit enim iis qui prope ripam prædia habent, de æquitate tamen nullo modo hoc obtinet. § 11. Ubi autem flumen alveum sibi non constituerit agrum meum, sed illum inundaverit, non mittatur species ejus quant' ad proprietatem. § 12. Est autem alia accessio, quæ fit humanâ naturâ operante per adjunctionem unius speciei ad aliam, per aplumbat', vel ferriminationem, secundùm qd' Institutis legitur, ubi dicitur quæ pars alteri accrescere debet: nam si per aplumbaturã, minor cedit majori, vel pretiosiori; sed si neutra pretiosior, quilibet suũ vendicabit; vendicat etiam sibi locum jus accessionis in ædificiis per humanæ naturæ laborem: ut, si quis in solo suo alienam materiam ædificaverit, ipse dominus intelligitur ædificii, quia omne quod inædificatur solo cedit, nec tamen is qui materiæ dominus fuerit, dominus esse desinit,

desinit, nec suum eximere potest, sed pro eo duplum consequi solet mod' pretium tant' consequetur. Qui autem in fundo alieno de suo construxerit, malâ fide materiam præsumitur donâsse; Et cum domino soli meritò debeat materia remanere, eo quod ædificia solo cedunt, & pro possessore soli judicabitur, propter duplex beneficium possidendi, quamvis obscura fuerint utriúsque jura. Eadem autem species accessionis in fructuariis & usuariis contra fructuum obventionem potest assignari. § 13. Alia autem accessio est, divinâ naturâ operante & humanâ, & quæritur ex ea dominium: ut ecce si Ticius alienam plantam in solo suo posuerit, Ticii erit planta; si autem Ticius suam plantam in Menii solo posuerit, Menii erit planta: dum tamen in utroque casu radicata fuerit planta; secus autem ante radicationem: & sic fiat de semine seminato. § 14. Adquiruntur etiam res nobis per specificationem: ut, si quis de aliena materia speciem aliquam sibi fecerit, factor dominus erit speciei. § 15. Est & alius modus adquirendi per confusionem: confunduntur enim liquida, ut mel, oleum, vinum; confunduntur etiam solida, sicut aurum, argentum, plumbum & ferrum. Et quod ex iis redigitur inter eos commune erit sive separari possit, sive non. De quorum facultatibus corpora sive species confunduntur, & idem erit cum casu fortuito confundantur, si seperari non possint materiæ; sed si possint separari, unusquisque partem ponderis quam habuit in rudi materia habebit & mensuræ. § 16. Cum autem frumentum alicujus cum frumento alterius mixtum fuerit, non propter hoc erit frumentum inter eos commune: sed quisque de acervo pro quantitate sui frumenti inter eos partem suam vendicabit, sicuti non essent pecora tua & mea mixta nobis communia: & differt confusio à mixtione; nam species dicuntur misceri, & materiæ confundi, & species mixtæ in eadem remanent substantia; confusæ verò in aliam materiam transferuntur. § 17. Item adquiritur nobis dominium jure civili ex causa donationis, ex causâ successionis, reversionis testamentariæ, & aliis modis diversis. § 18. Item adquiruntur nobis temporalia per traditionem; res enim coporales traditionem patiuntur: secus verò de incorporalibus, ut sunt jura, advocationes Ecclesiarum, ususfructus, obligationes, actiones, hæreditas quæ ipsum jus est, servitus qua subjicitur prædium prædio, & hujusmodi; quæ nihilominus nobis adquiruntur per adquisitionem fundi, & aliis pluribus modis. Gleba propriè est solum datum, cui advocatio Ecclesiæ est annexa, quia incorporalis, nec in donatione tangi potest manu: & ideo solo debet quis seisiri cum advocatione pertinente.

De Donationibus. CAP. 3.

Donatio est quædam institutio, quæ ex mera liberalitate, nullo jure cogente, procedit, ut rem à vero ejus possessore ad aliam transferatur. § 2. Dare autem est rem accipientis facere cum effectu, alioquin inutilis erit donatio, cum irritari valeat & revocari; ut, si facta fuerit de re aliena, de venditione secus erit, quia venditio de re aliena quoad accipientem valebit, eo quod etsi postea per verum dominum à feoffato tollatur, donatarius tamen escambium quandoque consequi poterit à venditore, nisi jure suo

suo malè usus fuerit. § 3. Donationum alia simplex & pura, quæ nullo jure civili vel naturali cogente, nullo præcedente metu vel interveniente, ex mera gratuitáque liberalitate donantis procedit, & ubi nullo casu velit donator ad se reverti quod dedit. § 4. Alia sub modo, conditione, vel ob causam, in quibus casibus non propriè fit donatio, cum donator id ad se reverti velit, sed quædam potiùs feodalis dimissio. § 5. Alia absoluta & larga, & alia stricta & coarctata, sicut certis hæredibus quibusdam à successione exclusis, vel si ab initio larga fuerit, & postea ex conventione coarctata: ita quòd donatarius rem sibi datam vendere non possit, vel alienare certis personis, vel non nisi certis, vel nullis. § 6. Alia perfecta, & alia incepta & non perfecta: ut, si donatio lecta fuerit & concessa, & homagium captum, ac traditio nondum fuerit subsecuta. § 7. Alia incepta & defectiva, & post tempus confirmata: confirmatio enim omnem supplet defectum, poterit etiam esse impendent', donec per ratihabitionem hæredis, cum ad ætatem venerit, roboretur. § 8. Quidam autem dare poterunt, quidam verò non: Dare namque poterit omnis dominus, & non dominus seisitus sanæ mentis, & sui juris, senex & valetudinarius, masculus & fœmina, liber & servus, aliquando legitimus & bastardus in suo casu, major & minor, furiosus & quandoque fatuus, dum tamen donum ex post facto confirmaverint, cum ætatem discretionemque recuperaverint, & sanitat'. § 9. Inhibetur tamen in charta de libertatibus, nè quis det alicui, vel vendat ampliùs de terra sua, quàm de residuo terræ suæ possit sufficienter facere domino feodi servitium ei debitum, quod ad feodum illud pertinuerit. § 10. Dare autem non poterunt illi, qui generalem rerum suarum non habent administrationem, sicut sunt minores, incarcerati, surdi, & muti, & naturaliter furiosi, & mente capti (nisi dilucidis gaudeant intervallis) servi, leprosi à communione gentium interdicti, Reges in casu, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Priores, Religiosi & Hospitalium Rectores & Ecclesiarum, ea præcipuè quæ possident nomine Coronæ & Ecclesiarum suarum dare non poterunt, nisi per hoc fuerit eorum conditio meliorata. Sed ad clericorum alenationes requiritur aliorum confirmatio, alioquin poterunt jura Ecclesiæ alienata revocari. § 11. Præterea, dari non poterunt sine regio assensu tenementa quæ de Rege tenentur. Rursus, nec bastardi dare poterunt, nisi hæredes sibi legitimè procreaverint, cum assignatos per modum donationis sibi facere non possint; nec etiam de aliquo crimine capitali accusati post feloniam perpetratam, dum tamen condemnatio mortis, vel utlagariæ subsequatur. § 12. Dare etiam non poterunt viri suis uxoribus, nec è converso constante matrimonio, quia omnino hoc prohibetur in lege, præcipuè post fidem interdictam, nè fiant propter libidinum, vel alterius eorum immoderatam egestatem. § 13. Si autem viri hoc fecerint, & uxores ab hujusmodi tenementis post mortem virorum fuerint ejectæ, per assis' novæ disseisinæ non recuperabunt, nec hæredes eorum per consequens per assis' mor' an' de morte earum. § 14. Si autem vir extraneæ personæ donationem fecerit, eâ mente ut eam suæ det uxori, non valebit donatio, quia pro fraude facta inhibitioni reputabitur, quia non refert an quid fiat persimile, quum

tatundem

tantundem valeat. § 15. Simplices autem donationes uxoribus à viris ſuis non ſunt faciendæ in ipſo matrimonio, ante, nec poſt; fieri tamen poterunt propter nuptias pro dotis conſtitutione; ita tamen quòd rationabilem dotis quantitatem non excedant: Verba autem legis ſunt hujuſmodi: Si in nomine & ſubſtantia nihil diſtet à dote ante nuptias donatio facta à viro, quare non etiam ſimili modo & in matrimonio contracto dabitur? § 16. Sancimus itaque omnes licentiam habere, ſive priuſquam matrimonia contraxerint, ſive poſtea, mulieribus donationes facere propter dotis donationes: etenim donationes non propter nuptias fiant, ſed propter nuptias vetitæ ſunt; non tamen propter ipſarum nuptiarum affectionem efficiantur: nam ſi tales fieri poſſent doanationes ob amorem habitum inter virum & uxorem, ſic poſſet alter ipſorum egeſtate & inopià conſtringi, quod non eſt ſuſtinend'. § 17. Cum autem minori facta fuerit donatio, & curator aſſignatus, alius à donatore curatorque nomine minoris ſeiſinam habuerit, ſi donator poſtea ſe ponat in ſeiſinam, quamvis inde obierit ſeiſitus, nunquam propter hoc mutabitur ſtatus minoris, quin retineat contra quoſcunque; ſecus verò ſi idem ſit donator & tutor, & quo caſu non valet donatio. Recipere autem poterit minor tutore autore, aut conſentire donationi ſibi factæ: Donationi verò à ſe faciendæ, vel iterum donatorem admittendi ad ſeiſinam alicujus authoritate conſentire non poteſt, & ſic ſuam conditionem meliorare, ſed non deteriorare; valebit tamen cautela diſſeiſinæ cum convictione pro donatore, dum tamen aſſenſus minoris & ejus tutoris intervenerit.

De donatione facta pluribus. CAP. 4.

DAri autem poterit tam maſculo quàm fœminæ, libero quàm ſervo, majori quàm minori, ſurdo quam muto, viro quàm uxori, legitimo quàm baſtardo, uni quàm pluribus, ſemel quàm pluries, & pluribus quàm uni. § 2. Cum autem pluribus fiat donatio, ut concubinæ & pueris ſuis natis & naſcituris, & eorum hæredibus, nullus alteri ſuccedit, cum omnes pariter feoffati tenuerint in communi, ſed decedente uno, pars ejus per jus accreſcendi ſuperſtitibus ejus accreſcit, & eorum hæredibus, à pluribus uſque ad unum, & ad donatorem non revertetur quamdiu unus fuerit ſuperſtes, vel hæredes habuerit. Si autem facta fuerit donatio concubinæ tantùm, & hæredibus ſuis, ſi legitima fuerit, & hæredes habuerit fratrem, vel ſororem, vel remotiores, bene poterit ipſa ſuos pueros feoffare, quamdiu hæredes extiterint, qui donum ſuum warrantizare poſſint, ſecundùm quod fit de terra data in maritagium; quæ ſi hæredes non habuerit, non valebit donatio ab ea facta, ſed ad donatorem revertetur. § 3. Cum autem concubina & pueri ſui ſimul feoffati fuerint, & omnes, vel quidam illorum ab extraneo, vel uno participum ſuorum ejecti fuerint, omnes per aſſiſ' novæ diſſeiſinæ recuperabunt. Et cum quidam eorum deceſſerint de partibus ſuis ſeiſiti, & hæredes eorum verſus extraneum deforciatorem per aſſiſ' mor' an' partes illas recuperabunt. § 4. Cum autem mater eorum, quæ nomine eorum extitit in ſeiſina primò deceſſerit, & extraneus ſe ſtatim intrudat, qui petentibus

tentibus pueris seisinam restituere noluerit, succurritur eis per asseisinam novæ disseisinæ, ratione matris, quæ nomine eorum fuit in seisina die quo obiit, ut procuratrix; sive pueri prius in seisina extiterint, cum acquisita sit eis possessio per matrem, sive non, & non per asseisinam mor' an. § 5. Pluribus etiam pueris concubinæ fieri poterit donatio in communi, pura & simplex, nullos coarctando hæredes, habend' & tenend' sibi & hæredibus suis; & cum omnes possessionem ceperint per se, vel per procuratores, ut per concubinam matrem eorum, nullus ex morte alterius assisam habebit, quia omnes feoffati sunt simul habend' & tenend' non totum nec partem per se, sed ut quilibet eorum totum habeat cum aliis in communi, & cum unus moriatur, non descendit aliqua pars hæredi morientis separatim, nec in communi ante mortem omnium, sed pars illa communis per jus accrescendi accrescit superstitibus, de persona ad personam, usque ad ultimum superstitem, & cum ille obierit, tunc primò locum habebit asseisin' mor' an' in personis hæred', & ad ultimam seisinam quicunque talium præmoriatur erit recurrend': Et si nullos hæred' habuerint, revertetur terra ad donatorem. § 6. Item fieri poterit donatio pluribus simul, quorum quibusdam valebit donatio, quibusdam non: ut si vir uxori suæ, & pueris eorum communibus, vel ex alio viro progenitis donationem fecerit, pro pueris valebit, pro uxore verò minimè valebit constante matrimonio. § 7. Fieri etiam poterunt donationes pluribus, legitimis & bastardis, majoribus & minoribus simul & vicissim, quamvis minor consentire non possit, nisi tutore authore. Si autem donatio fiat duobus fratribus, majori & minori, major minoris poterit esse tutor, & cum uterque legitimus exstiterit, descendit eorum alteri, non revertetur pars morientis donatori, nec fratri suo superstiti accrescit per jus accrescendi, sed jure successionis: Secus tamen esset, si unus alterius hæres esse non posset. Et si donator seisinam caperet post mortem sui tenentis, statim competit fratri superstiti remedium per asseisinam novæ disseisinæ. Nec obstabit exceptio, si dominus dicat, quòd partem defuncti seisivit nomine custodiæ, si defunctus hæredem procreatum reliquerit infra ætatem, cum neuter alterius partem ab alia scivit distinguere. § 8. Item fieri poterit donatio pluribus nominatis & non nominatis, præsentibus & absentibus, natis & nascituris, per tutores tamen: Ipse enim possidet cujus nomine possidetur, etiamsi nomen à baptismo non recepit. Servus etiam domino acquirit quamvis ipso ignorante, vero etiam hærdi quamvis absenti acquiritur liberum tenementum per custodem, cum veri hæredis nomine fuerit in possessione; per procuratorem verò acquiritur possessio tam absenti quàm præsenti, & retinetur sicut corpore proprio.

Quibus dare inhibetur statutum Relig'. CAP. 5.

Religiosis autem & aliis Ecclesiasticis personis terras aut possessiones sibi appropriare, aliisque omnibus alienare eâ mente, ut in manum mortuam remaneant, concorditer inhibetur, cum dominis feodorum & regni defensioni, per consequens in dampnum cedant & debilitatem; ideoque sic statutum est. § 2. Nullus religiosus vel alius terras vel ten' aliqua emere, vendere,

vendere, vel ſub colore donationis, vel termini aut alterius tituli cujuſc unque ab aliquo recipere, aut arte, vel ingenio, vel alio quovis modo ſibi & Eccleſiæ ſuæ appropriare præſumat, vel aliter, per quod terr' vel ten' hujuſmodi ad manum mortuam quoquo modo deveniant, ſub foriſfactura eorundem tenementorum. § 3. Et ſi quis contraire temerè præſumpſerit extunc liceat immediato capitali domino feodi perquiſiti infra annum à tempore alienationis impunè ingredi, & tenere ſibi & hæredibus ſuis in dominico quod prius habuit in dominico; quod quidem ſi infra annum non fecerit, extunc ſtatim poſt annum finitum capitali domino ſuperiori oriatur eadem actio per dimidium annum duratura, & ſic ulterius de domino ad dominum uſque ad Regem, dum tamen plenæ fuerint ætatis, infra regnum Angliæ, & extra priſonam; & ſi aliquis dominorum ſui juris non fuerit, vel extra regnum, ſalvabitur ea tamen actio expellendi cum venerit, dum tamen ei negligentia non poſſit imponi, vel competit ei remedium per ſupplicationem, ſi Rex inde ſeiſinam ceperit. § 4. Et ſi omnes capitales domini tepidi extiterint, negligentes & remiſſi in hac parte, terras & ten' hujuſmodi capiet in manum ſuam, de quibus alios poſſit per ſervicia ad defenſionem regni facienda. Salvis tamen dominis feodorum, wardis, eſcaetis, & aliis ad ipſos pertinentibus, necnon & ſerviciis inde debitis & conſuetis feoffare, nec competet ejectis in hoc caſu remedium recuperandi per aſſeiſinam novæ diſſeiſinæ. § 5. Et in charta de libertatibus inhibetur, nè quis terram ſuam det alicui domui religioſæ, eâ mente ut eam poſtea de domo tenendam reſumat. Nec liceat alicui domui religioſæ terram alicujus ſic accipere, ita protrudat illam ei à quo ipſam recepit. § 6. Et qui terram ſuam ſic dederit domum caſſetur, & terra domino feodi incurratur. Et ſi qui religioſi in fraudem harum conſtitutionum, aliquem, cujus terram habere affectant, implacitent, qui per colluſionem prælocutam defaltam facere voluerit in Cur' Reg' poſt defaltam, ob quæ hujuſm' ten' ſic ſibi adquirant, proviſum eſt, quòd ſtatim poſt defaltam ante judicium reddend', inquiratur utrum petens jus habeat in ſua petitione vel non: Et ſi compertum fuerit, quòd jus habuerit, procedatur ad judicium pro petente; qui ſi jus non habuerit, res petita proximo domino feodi incurratur, ſi infra annum à tempore inquiſitionis captæ illam petat, alioquin ſuperiori domino infra dimid' ann' primum ſequentem hanc petenti, & ſic habeat quilibet dominus poſt proximum dominum ſpatium dimidii anni poſt annum primum domini immediati ſpatium ad petend' ſucceſſionem, vel expellend' hujuſmodi clericos, quouſque perveniatur ad Regem, cui tunc demum pro defectu aliorum dominorum incurratur. § 7. Et in omnibus juratis arannatis ſuper præmiſſis admittantur domini feodorum ad Juratores calumniandos, & pro Rege admittatur quilibet de populo, cum ſolus ubique præſentialiter eſſe non poterit. Et quamvis judicium clarum exiſtat, remaneat tamen terra in manu Domini Regis, quouſque ten' per petentem, vel per aliquem dominum feodi diſrationetur, & Vic' loci de exitibus interim provenientibus Regi reſpondeat. E benevolentia tamen Regis conceditur religioſis quandoque, quòd feoda [illegible]in ingrediantur, dum tamen ad nullius injuriam vel nocumentum, inquiſitioni

quisitione tamen solemni pcedente, quorum per chartas suas pacificat & confirmat. § 8. Et sicut inhibentur eis plurium terrarum amplexus & incrementa, ita de diminutionibus & alienationibus terrarum suarum faciendis est eis interdictum secundùm formam hujus constitutionis. Provisum est etiam, quòd Abbates, Priores, Custodes Hospitalium, & aliarum domorum religiosorum ten' domibus suis collata de cætero alienare non præsumant, quòd si fecerint, statim capiatur terra alienata in manus Regis; dum tamen per Regem, vel per suos prædecessores illi domui extitit collata, & quo casu emptor de terra, vel pecunia proinde soluta nullum habeat recuperare. Et si ab alio facta fuerit collatio quàm à Rege, vel suis prædecessoribus, tunc habeat ille, à quo vel à cujus antecessore ten' alienatum collatum fuit, breve ad recuperand' tenem' illud in dominico, quod tale est. § 9. Præcipe A. quòd reddat B. tale tenem' quod tali domui fuit collatum per prædictum B. vel antecessores suos, quòd ad prædictum B. reverti debet per alienationem, quam talis Abbas fecit prædicto A. de prædicto ten' contra formam collationis prædictæ, ut dicit. § 10. Et eodem modo de ten' datis pro cantaria sustinenda alienatis. Et si ten' aliquod datum fuerit pro capell' luminari, potur' pauperum, vel alia eleemosyna faciend', quæ quidem servicia vel eleemosynæ per biennium sint subtractæ, quamvis hujusmodi tenementa non fuerint alienata, extunc eo ipso competit actio donatori aut ejus hæredi, ad petend' ten' in dominico, quòd pro hujusmodi serviciis vel eleemosynis faciend' fuit collatum per breve de servicio per bienn' detento. § 11. Et nè hujusmodi religiosi per onerationes indebitas supervenien' depauperentur, per quod hujusmodi servicia & eleemosynas subtrahere cogantur, vel terras suas vendere vel alienare, ex principis constitutione inhibitum est, quòd nullus hospitari præsumat in domibus religiosorum de aliena advocatione, nisi specialiter rogatus, nec sumptibus domûs, nec suis propriis contra tutorum domuum voluntatem. § 12. Nec etiam præsumat quis temerè illicenciatus currere in parco alieno, aut in alterius vivario piscar': verumtamen, si contingat aliquem in hujusm' domibus per licentiam magistri domûs vel ejus ballivi, quòd non aperiat fenestras inhibitas, vel cum vi sua aliquas frangat serruras & victualia, vel alia bona violenter capiat vel extrahat sub colore emptionis, aut aliter quoquo modo. § 13. Equos etiam hujusmodi Religiosorum, vel personarum Ecclesiasticarum, militum & dominarum boves, carros, vel carectas, naves, batellos, vel hujusmodi, nullus capere præsumat ad cariagium inde faciend', nisi de voluntate eorum quorum fuerint, quorum voluntati statim satisfaciat prout convenit. § 14. Et si quis in præmissis deliquerit, per prisonam voluntariam punietur & gravem redemptionem: Et quo casu, si gravati sequi velint, dampna in duplo recuperabunt. § 15. Et in præmissis habebit Rex sectam suam de hujusmodi transgressoribus inquir' quando voluerit, & unde talis ordinatur processus, quòd indictati distringantur statim per magnam districtionem, quòd veniant ad diem continentem spatium septem hebdomadum. Ad quem diem si non venerint, pro convictis habeantur, & per sectam Regis restituant dampna in duplo gravatis, & graviter puniantur

tur

tur per prisonam & redemptionem. § 16. Item, nec graventur viri religiosi, personæ Ecclesiasticæ, vel alii, pro eo quod vetuerunt hospitium vel victualia alicui, vel pro eo quod questi fuerint fortè de aliquo gravamine eis illato in prædictis articulis contento; quòd si quis fecerit, & inde convincatur, puniatur per pœnam supradictam, nec excipientur in præmissis consiliarii Domini Regis, Justiciarii de Foresta, vel alii quicunque Justiciarii, vel ministri Regis, non magis quàm mediocres vel minores. § 17. Inhibetur etiam Religiosis & aliis personis Ecclesiasticis, nè ipsi vel ballivi sui equos alicujus aut canes de perhendinand' in domibus vel maneriis suis recipiant. § 18. De Vic' provisum est, quòd non hospitentur alicubi, nisi propriis sumptibus; verumtamen concessum est, quòd in domibus Religiosorum vicissim per unam noctem tantùm cum sex equis, & non pluribus, sumptibus alienis in suis balliviis hospitentur, dum tamen frequenter non venerint.

Quæ dari poterint, & quæ non. CAP. 6.

DAre autem poterit quis justè omnino quod suum est, & injustè quod omnino alienum, & tam terram quam sibi accidere poterit per mortem alicujus antecessoris, vel alterius tenentis de eo ad vitam tantùm, ut fidelitas & servitium tali donatori attornentur, quam terram habet, & qualitercunque tenuerit per se, vel in communi cum alio. § 2. Actio autem res sacra, res coronæ, liber homo, jurisdictio, pax, muri & portæ civitatis à nullo dari debent, ut valida sit donatio. § 3. Res quidem coronæ sunt antiqua maneria, reg' homagia, libertates & hujusmodi, quæ cum alienentur, tenetur Rex ea revocare secundùm provisionem omnium Regum Christianorum apud montem Pessoloniam, anno regni Regis Edvardi filii Regis H. quarto habitam; & si de escaetis suis proinde satisfacere debent ad valentiam, nec valebit deforciantibus longi temporis præscriptio: diuturnitas enim temporis tantùm in hoc casu magis injuriam auget quàm minuit, cum constare debeat singulis, quòd hujusmodi libertates de jure naturali vel gentium ad coronam tantùm pertineant: de terris & ten' Regis secus erit; refert illæ utrum terræ fuerint dominicæ terræ Regis, ex antiquo coronæ annexæ, vel de eschaeta, vel perquisito, quia de antiquis maneriis per prædecessores Regis alienatis currit tempus contra Regem, sicut contra alium: Terras verò suas de eschaeta, vel perquisito dare poterit Rex, & licitè alienare; & de hujusmodi terris tenetur Rex ad escambium, vel warrantizare, si per prædecessores suos expresè fuerit obligatus, aliàs verò terras alienatas non tenetur warrantizare, sed potiùs revocare. § 4. Ex gratia tamen principis, & pro pacis conservatione, ut populus Regi subditus eò amplius in pace existat & quietè, conceditur aliquibus Baronibus, quòd Cur' suas habeant, warennas in dominicis terris, ferreas furcas, mercata, & hujusmodi minutas libertates, quæ magis cedunt populo ad commodum quàm ad gravamen, ut populum sibi judicialem justiciabilem in suis Cur' in tramite juris foveant & protegant.

Quæ sunt necessaria in donationibus. CAP. 7.

AD hoc autem quod donatio sit valida plura occurrunt: Oportet enim quòd donator sit plenæ ætatis, nomine suo seisitus in feodo per bonum ingressum, sanæ mentis & bonæ memoriæ, quamvis impotens sui & in ægritudine in lecto mortali constitutus, & quòd sit mera, pura, libera, gratuita, & non coacta, nec per vim vel metum extorta: Est autem metus præsentis vel futuri periculi causâ mentis trepidatio; est præsertim viri constantis & non cujuslibet vani hominis vel meticulosi, & talis debet esse metus qui in se contineat mortis periculum, vel corporis cruciatum. Refert tamen utrum metus præveniat donationem vel subsequatur, quia si primò coactus, & per metum compulsus promisero, & postea gratis tradidero, talis metus non excusat; sed si gratis promisero & compulsus tradidero, tunc excusat metus propter violentiam & compulsionem, velut hominis detentio in prisona, cujus nulla valebit donatio: nam qui potestatem sui non habet, nec eorum quæ sua esse debent, quomodo potestatem donandi habebit? Et pro lege habetur, qui ab aliis possidetur, ipse nihil poterit possidere; quod etiam dici poterit, ut videtur de captis ab hostibus, & servis sub potestate dominorum constitutis, terram dominorum suorum alienantibus ad dampnum ipsorum dominorum: Sed si detenti donatores pristinam receperint libertatem, & effecti fuerint suæ potestatis res, ita meræ inde poterunt revocare, nisi alienationem probaverint per dissimulationem vel ratificationem. § 2. Oportet etiam quòd res certa in donationem deducatur, quamvis incerta sit rei eventus, quia rei incertæ nulla valet donatio, & quòd certa res redonatur vel repromittatur, sicut homagium vel aliud certum servitium: Si autem exprimatur sic faciendo inde donatori vel capitali domino tantum servitii pro tenemento illo quant' facit tantum ten' ejusdem feodi, & de servitio contentio habeatur, recurrend' erit ad inquisitionem patriæ, vel ad magnam assisam. § 3. Item, oportet quòd certa verba interveniant donationi congrua, sicut & stipulationi, & instrumenta & testes; scripturæ enim pro perpetua memoria doni necessariæ sunt: Oportet quòd inter dantem & accipientem concurrat mutuus consensus, & eadem voluntas, & quòd error de re data non habeatur, neque dissensus in numero, genere, vel quantitate. § 4. Item, in quibusdam donationibus exigitur alterius consensus necessariò quàm donatoris & donatorii, sicut in donis eorum qui non tantùm suo nomine tenuerint, ubi requirendus est consensus omnium eorum quorum interfuerint. § 5. Et nota, quòd conventiones & pacta, conditiones & modi diversi donationum incidunt donationibus, quæ si statim apponantur, legem dant donationi, & ipsam infirmant, & exceptionem dant donatori, ni personas ligant contrahentium, & ipsam rem datam obligant, & cum ipsâ re transeunt de persona in personam; quæ si ex intervallo adjiciantur, non insunt omnino donationibus, sed quandoq; perimunt actionem, & quandoque exceptionem, & ita contrahitur donatio: ut si dicam, Do tibi ut facias: Sex enim donationi concurrunt. § 6. Item, in coactionibus oportet, quòd coactus statim cum evaserit, clamorem, strepitum

tum & hutesium faciat & levet, & ad villatas & coronatores ad comitat' vim, metum, violentiam & coactionem sibi factam palam ostendat, & sic salvabitur sibi actio, alioquin consentire videbitur propter dissimulationem; & non solùm excusatur quis, & exceptionem habet, si sibi ipsi inferatur vis & metus, verumetiam si vis ut filio vel filiæ, patri vel fratri, vel sorori, & aliis domesticis & propinquis.

De Donatione simplici. CAP. 8.

SImplex donatio & pura est, ubi nulla adjecta est conditio neque modus; simpliciter enim datur quod nullo additamento datur: ut ecce, do tibi tantam terram cum pertinentiis in tali villa pro homagio & servitio tuo, habendam & tenend' tibi & hæredibus tuis de capitali domino feodi, & hæredibus suis per servitia inde debita & consueta, reddendo inde mihi & hæredibus meis tu & hæredes tui per annum tantum ad tales terminos pro omni servitio, consuetudine & demand' seculari: Ita quòd certa sit res quæ datur, & certa servitia in scriptis sint expressa donatori saltem facienda, quamvis incerta fuerint alia quæ tacitè remittuntur; & ego & hæredes mei warrantizabimus, acquietabimus & defendemus prædictam terram tibi & hæredibus tuis contra omnes gentes per prædicta servitia: & sic acquiris rei dominium ex causa donationis, & hæres tuus post te ex causa successionis: hæres enim tuus licet in donatione comprehendatur, non tamen aliquid sibi adquirit in donatione, eo quod tibi soli facta est donatio, tibi tenend' & hæredibus tuis; sub cujus vocabulo omnes hæredes propinqui comprehenduntur & remoti, nati & nasci turi.

De Donatione conditionali. CAP. 9.

ET sicut ampliari poterunt hæredes per modum donationis, ita poterunt coartari, quòd omnes hæredes ad successionem non vocabuntur hæreditatis antecessoris; modus enim legem dat donationi, & tenendus est etiam contra jus commune, quia modus & conventio vincùnt legem: ut si alicui cum uxore fiat donatio habend' & tenend' sibi & hæred' quos inter se legitimè procreabunt: Ecce, quòd donator vult quòd tales hæredes in hæreditate paterna & materna succedant, aliis hæred' eorum remotioribus penitùs exclusis; & quòd voluntas donatoris observari debeat, manifestè apparet per hæc Statuta. § 2. Quia autem dudum Regi durum videbatur quòd in casibus in quibus ten', &c. § 3. Modus autem & conditio multiplex esse poterit; quandoque ad commodum donatorii nec det, vel nè faciat, quandoque verò ad ejus incommodum quod det vel faciat. § 4. Quatuor autem sunt genera contractuum, quæ in donatione incidere poterunt, scil' do & des, facio & facias, facio ut des, do ut facias; isti autem sunt modi donationum, & obligant contrahentes: Ita quòd si unus dederit vel fecerit, alius tenetur ad dand' vel faciend', secundùm quod convenit, repetere non tamen poterit statim quòd dedit, quamvis alius non fecerit quòd promisit, nisi super hoc ab initio convenerit; hæc autem dictio, ut modum denotat, si, conditionem quia causam: Si autem dicas, Do tibi tantam ter-

ram ut mihi necessaria invenias, vel ut mihi des tantum, quamvis non sit omnino gratuita, simplex tamen est & pura, dum tamen inde debita sequatur traditio; & nè hujusmodi dona donatoribus sint præjudicialia, constitutum est, quòd si quis terram suam alicui demiserit ad feodi firmam, ut faciat ei proinde ad valentiam veri valoris, vel saltem quartæ partis per annum, & tenens cessaverit de servitio, & permittit terram jacere incultam, vel alio modo custodiatur quominus distringi possit in eadem, extunc oritur donatori vel hæredi suo actio ad petend' ten' illud in dominico, dum tamen solutio servitii per biennium cessaverit per breve sequens; verumtamen si tenens ante judicium contra ipsum redditum in Cur' venerit, & arrerag' & dampna reddere sit paratus, offerat securitatem invenire, prout Curia considerabit, ad faciend' vel reddend' deinceps quod in charta continetur, tunc remaneat ten' ei, qui si judicium expectet, ab actione imperpetuum sit exclusus. § 5. Si autem sic dicas, Do tantam terram cum pertinentiis habend' & tenend' tibi & hæredibus tuis, si hæredes de corpore tuo habueris, si tales hæredes mihi procreavero, quamvis defecerint; succedent tamen mihi alii hæredes mei remotiores in infinitum, quia satisfactum est conditioni; sed ante procreationem tantùm erit res mihi data liberum tenem', & post meum decessum tibi revertetur, tanquam ad donatorem pro adjunctione cum modo. § 6. Fiunt etiam quandoque donationes ex causa præcedente: ut, si dicam, Do tibi hanc rem, ut quia mihi bene servivisti, & quo casu licet tu non bene servieris, valet tamen donatio, quia falsa causa adjecta non perimit donationem, non magis quàm legatum. § 7. Item, ex causa subsequente: ut sic, Do tibi hac rem, quia mihi bene servies, valida erit donatio: Si autem addatur conditio in causa subsequenti, erit donatio impendenti: ut ecce, Do tibi hac rem, si mihi bene servieris, adhuc pura & perfecta erit donatio; resolvitur tamen sub conditione, & inpendenti erit, donec sciatur utrum existat conditio vel non. § 8. Fieri etiam poterit donatio viro & uxori suæ, simul hæred' utriusque communibus, vel inter se procreatis, vel procreandis, vel eorum alterius tantùm, vel hæredibus ejus qui alium supervixerit. § 9. Item, pluribus fieri poterit donatio per modum filii & successivè: ut ecce, Do A. filio meo primogenito tantam terram tenend' sibi & hæredibus suis de corpore suo progenitis, qui si tales sibi nòn genuerit, vel si habuerit & defecerint, tunc volo quòd terra illa ad B. filium meum post-natum revertatur, tenend' sibi & propriis hæredibus suis, ut supra; qui si nullos tales habuerit, vel si habuerit & defecerint, tunc volo & concedo pro me & hæredibus meis, quòd prædicta terra revertatur ad C. tertium filium meum, habend', & tenend' sibi & hæred' suis de corpore suo progenitis, & sic de pluribus filiis parentibus vel extraneis. Et si prædicti A. B. C. sine hæredibus de corporibus suis progenitis discesserint; tunc volo quòd prædicta terra revertatur ad me, & ad alios hæredes meos. § 10. Fieri autem poterit donatio sub conditione sive modo: ut ecce, Do tibi talem terram si ita factum sit vel non factum; & si conferatur conditio in futurum, licet præsentia & præterita, non sint inpendenti sicut futura, quia statim conditio infirmat obligationem, vel omnino non differt, tunc aut est conditio

conditio possibilis aut impossibilis; si autem possibilis & potestativa; ut si dicam, Do tibi talem rem, si dederis mihi decem, valet donatio, & suspenditur donec consistat conditio; ut si rem interim petieris, excipere potero quòd tu decem mihi non dederis: Si verò impossibilis; ut si dico, Do tibi istam rem, si cœlum digito tetigeris, non valebit donatio, & pro adjecta habebitur conditio. § 11. Item non valet donatio ab initio, sed est impendenti in alterius potestate conditione: ut si dicam, Do tibi hanc rem, si Ticius voluerit, qui cum assensum non præbuerit, non valebit donatio. § 12. Item, si conditio causalis fuerit: ut si dicam, Do tibi talem rem, si navis venerit ex Asia, vel si Ticius consul factus, fuerit, sic erit donatio inpendenti, quia hujusm' donationes dependent ex insidiis fortunæ. Si autem conditio fuerit mixta & dis-juncta, vel si in parte fuerit potestativa, & in parte causalis: ut si dicam, Do tibi hanc rem, si decem mihi dederis, sufficit unum istorum adimpleri; sed plures conditiones adjectæ sunt donationi conjunctim: ut si dicatur, Si illud factum sit omnibus est parend'; si divisim, ut prædictum est, cuilibet vel eorum alteri sufficit obtemperare. § 13. Item, conditionum alia expressa, & fit sub verbis negativis: ut si dicatur, Si Ticius hæres non sit, tu hæres esto; vel si de corpore tuo hæredes non habueris, tunc revertatur terra sic data ad tales simul vel successivè. § 14. Est etiam quædam conditio tacita, quæ fit sub verbis affirmativis: ut si dicatur, Si A. sit hæres B. te invicem substituo, id est, hæredem facio. Si unus eorum præmoriatur, quòd vi us succedat mortuo. § 15. Est etiam quædam conditio duplex: ut si dicatur, Si hæredes de corpore tuo non habueris, vel si habueris & decesserint, tunc terra data ad me vel ad hæredes meos revertatur. § 16. Et est conditio simplex: ut ecce, si habueris hæredes, & infra ætatem decesserint, tunc ad me revertatur terra, ut supra. § 17. Est etiam alia conditio duplex, quæ partim fit verbis negativis, & partim affirmativis: ut si dicam, Si filius meus non fuerit furiosus, vel si fuerit, & ni fuerit infra furorem, volo quòd tu sis hæres. § 18. Item fieri poterit donatio sub modo pluribus conditionibus adjectis: ut ecce, Do tibi hanc rem ut facias hoc, vel nè facias; quod si non feceris, quòd res revertatur ad me; vel sic, Do tibi ut non facias sine voluntate mea, & si feceris, quòd me extunc possim in terram illam mittere, & in eadem me licitè tenere quietè de te & tuis hæredibus; & unde si prædictæ conditiones, sive conventiones, & instrumenta in quibus continentur in judicio fuerint dedicta, non solùm sufficit instrumenta, conditiones, conventiones probare, nisi probetur quòd conditioni sit satisfactum, vel non satisfactum; probato instrumento adhuc subesse poterit, quòd conditioni non sit satisfactum per veram probationem, vel saltem præsumptionem, cui semper stand' erit, donec probetur contrarium. § 19. Poterit etiam fieri donatio sub modo vel conditione, quæ ex alterius depender voluntate vel potestate: ut ecce, si quis alicui dederit advocationem alicujus Ecclesiæ, ut ibi faciat Prioratum, & illam in usus Prioratûs convertat, hoc sine voluntate loci Diocesani facere non poterit cum effectu, tenebit tamen donatio erga donatorem, donec per dominum feodi tollatur, vel per Regem, nisi confirmetur. § 20. Impedit conditio

conditio quandoque non decens ad proprios hæredes, & fac' liberum ten', & quandoque feodum, & tollit hær' assis' mor' an': ut ecce, concedo tibi tantam terram ad terminum x. annorum, ut post terminum ad me revertatur. Sed & si interim decessero, concedo pro me & hæredibus meis, quòd terra illa remaneat tibi ad vitam tuam, vel in feodo. § 21. Item, quòd fuit ab initio liberum ten', & ad vitam, per conventionem mutari poterit in terminum: ut, si quis alicui terram concedat ad vitam, fieri poterit inter eos conditio; quòd si tenens vel assignati, vel hæredes terram sic datam teneant usque ad finem termini, & ita fit liberum ten' de termino, & è converso per conditionem, & dat ex'onem contra veros dominos petentes, & eorum hæredes. § 22. Oritur etiam exceptio creditori contra debitorem, verum dominum, & ejus hæredes, cum inter eos ab initio convenerit; quòd si pecunia suo die soluta non fuerit, quòd terra in vadium posita extunc creditori & suis hæredibus remaneat. § 23. Item, datur exceptio contra veros hæredes in assis' mor' an' cum aliquis cruce signatus, vel alius peregrè proficiscens sic deposuerit, quòd concesserit alicui extraneo terram suam ad certum terminum, exprimens ulterius, quòd nisi redierit, quòd usufructuario remaneat terra in feodo, & sic unum habent principium terminus & feoffamentum, quamvis exitum diversum. § 24. Sed esto quòd quis pecuniam suam credat ad plures terminos reddendam, quotiescunque in solutione alicujus termini defecerit, res impignorata creditori imperpetuum remanebit, quia sic voluit verus possessor, & quia non conditioni satisfactum secundùm quod convenit; liberatur tamen debitor, si die suo obtulit denar' sub testimonio fide dignorum, qui pecuniam viderint numeratam quâcunque horâ diei, quum tota dies cedat debitori, & creditor eos recipere contradixerit, vel aliâs se transtulerit; & sufficit debitori si unicâ horâ diei sui pecuniam suam sibi creditam obtulerit reddendam: Sed creditorem oportet per quamlibet horam se paratum exhibeat ad recipiend', & quòd semper sui copiam faciat, & pecunia diebus statutis non soluta nec oblata, statim habet creditor liberum ten' & feodum si fuerit in possessione; si autem extra, habet actionem & conventionem. § 25. Ex conditione etiam in donatione apposita quandoque obligatur persona donatorii: ut ecce, ut ex re data mihi necessaria invenias, & quandoque ipsa res tantum; ut si dicatur, Do tibi & hæredibus tuis, ita tamen ut non habeas illam & à te & hæredibus tuis alienandi potestatem, videlicet nisi certæ personæ, & quo casu cum alienata fuerit, habebit primus donator actionem ex conventione versus secundum donatorem, qui tenetur ad conventionem respondere, & versus donatorium tenentem pro pœna restitutionis, & non contra alterum eorum per se, sed simul agere oportebit contra utrumque; dum tamen potens pro te copiam habeat quoquo modo, & quamvis servitus apponatur in donatione nè fiat donatio, tamen libera est, quia donatorio & hæredibus suis facta, quamvis hoc verbum (liberè) in donatione non comprehendatur, nec tenentem disseisire licebit, nisi talis clausula in rem datam in donatione adjecta fuerit, quòd si fecerit, extunc liceat mihi & hæredibus meis rem datam in manum nostram capere & seisire & sine aliqua injuria expellere tempore

pore quandocunque voluerimus, non tamen poterit res cum tali remanere; dum tamen primus tenens suus eam velit rehabere tenend' ut prius, & quo casu ejectus nihil recuperabit, sed sibi imputet quòd rem sibi obligatam recepit, quem ignorantia non excusabit.

De Eschaetis & earum membris. CAP. 10.

TErra autem data bastardo cum aliqua muliere in maritagium, & eorum hæredibus communibus, ad donatorem reverti debet quoties hæredes hujusmodi defecerint: Si autem bastardo & suis hæredibus tantum, & hæredes non habuerit, vel si habuerit & defecerint, quamvis terram in vita sua alienaverit, adhuc erit eschaeta donatoris, homagio non obstante: Homagium enim talium cum vita evanescit & respirat, & ideo in favorem bastardorum inventa fuit assignatio & constituta: Bastardus igitur si terram sibi & hæredibus suis & assignatis legitimè acquisiverit, si hæredes sibi non procreaverit, assignatis tamen suis constituere poterit, dum tamen hora congrua, alioquin eschaeta remanebit donatoris. Et quamvis constituatur, quòd terræ de cætero datæ de capitalibus dominis immediatè teneantur, nullam tamen eschaetam in præmissis sibi poterunt vendicare, sed donatoribus & suis hæredibus, vel iis qui ad warrantiam sunt obligati revertentur. Mulieres autem viduæ à dotibus suis non excludantur, quamvis warrantos producere non possint alios quàm ipsos erga quos petierunt, eò quòd pura & simplex & in feodo facta fuit hujusmodi viro suo donatio. Sed esto quòd bastardus filium vel filiam non habens, nec assignatum facere potens, terram alicui dederit, & post donum obierit, & uxor ejus petat dotem, tunc obstabit ei dotis petitio, quia warrantum non habet. Sed quid si duobus fratribus bastardis fiat donatio tenend' in communi? tunc moriente uno, accrescit alteri pars morientis, non tamen jure successionis, sed per jus accrescendi; & si uterque hæred' sibi procreaverit, ambo actionem habebunt. § 2. Quandoque etiam fit reversio, quia jus & successio descendere non poterunt ad hæredem propter impedimentum perpetuum, sicut felonia antecessoris, de qua si quis convictus fuerit, & talis terra data non erit eschaeta domini capitalis, sed donatoris, vel hæredum suorum, qui pro hæredibus habebuntur ad warrantizand' omnia quæ felo gessit perfectè ante feloniam dum voluit & potuit, sicut donationes & dimissiones: Secus verò de gestis post feloniam perpetratam dimissiones statim post condemnationem in man' Reg' capi debent, & finitis terminis, & anno, & die pro termino Regis, ad dominos revertantur capitales; nihil tamen firmariis debet deperire, nec ad manus hujusmodi dominorum pervenire debent hujusmodi eschaetæ, priusquam firmariis de suis terminis competent' fuerit satisfactum. Donationes etiam post feloniam perpetratam factæ perfectæ erunt & perpetuæ, nisi donatores hujusmodi de feloniis suis in vita sua convincantur. § 3. Et ad hoc facit lex Imperatoria, post capitale crimen contractum donationes factæ valent, nisi condemnatio fuerit subsecuta, & sicut res sic data esse poterit eschaeta donatoris in dominico, eodem modo poterit in homagio & servitio; quasi medio inter ipsum & tenentem sui tenentis sublato loco cu-

jus

jus oportebit eum succedere, & homagium & servitium recusare non poterit, sed, velit nolit, loco erit hæredis ei cui successerit, nec poterit dominus feodi sui feodum weyvare cum voluerit, & sic à warrantia solvatur tenentis; weyvare tamen poterit ten' quòd in feodo tenuerit, & in dominico si velit, cum alii non cedit in commodum, sed sibi soli in dampnum. Nec weyvare poterit homagium vel servitium ten' felonis magis quàm ipsum ten'; & cum quis feoffatus fuerit per certum servitium, ipse alium inde feoffaverit per majus servitium, & medius postea pro felone convincatur, statim ex rigore juris obligatur terra domino capitali ex incremento servitii sibi faciend' prout suo erat medio feloni obligata, & sibi accrescit secundum cum primo tanquam eschaeta: ex æquitate tamen decretum est sic, quòd pro nulla constitutione felonis majoris servitii vel minoris, in suo feoffamento content' nihil domino depereat, eo quod res cum suo onere transit; & quia hujusmodi tenent' injustè gravarentur, si ad utrumque servitium fuerint obligati, cum potiùs de suis mediis, vel eorum successoribus tueri debuissent, tenend' est hoc medium, quòd hujusmodi domini incrementa hujusmodi servitiorum habeant ut suas eschaetas: ita tamen quòd minora servitia hujusmodi dominis ex antiquo debita in majori servitio tenentis implicitè computentur.

De Donationibus in Maritagiis. CAP. 11.

CUm autem terræ aliquando dentur ante sponsalia propter nuptias à patre mulieris, vel alio, vel in ipso contractu, vel post matrimonium contractum, & mentio habeatur in donatione de maritagio, terra sic data supponit reversionem, quæ si fiat ab ipso viro suæ uxori ad ostium Ecclesiæ, non debet dici maritagium, sed potius certæ dotis constitutio: Et quamvis fiat mentio in donatione, quòd terra data sit in maritagium tali viro cum tali uxore, res data tamen est liberum ten' uxoris & non viri, cum non habeat nisi custodiam cum uxore, donec liberum ten' sibi accrescat per legem Angliæ. Secus si pro homagio & servitio viri & in maritagium facta fuerit donatio: Si autem uxor donationem fecerit sine viro suo, tunc statim competit viro restitutio per assis. novæ disseisinæ, vel per breve de ingressu. Est autem quoddam maritagium liberum ab omni servitio solutum donatori, vel ejus hæred' usque ad tertium hæred' vel usque ad quartum gradum faciend', & debent gradus sic computari, ut donatarius primum faciat gradum, hæres ejus secundum gradum, hæres hæredis tertium, & hæres secundi hæredis quartum, qui quidem tenebitur ad servitium ut ad homagium, prius autem minimè nè donator vel ejus hæredes per homag' acceptionem à reversione repellantur. Sed in quarto gradu pro eo quod tunc vehementer præsumitur, quòd terra non est pro defectu hæredum donatoriarum reversura, quia etsi propinquos hæredes non habeat, vel cum habeat & defecerint, ad donatorem vel ejus hæredes qui homagium ceperint non erit terra reversura, dum tamen aliquis remotus de consanguinitate appareat, qui jus in hæreditatem poterit vendicare, alioquin evanescit homagium, & revertetur. Et cum de sanguine homagium factum fuerit, extunc obligatur homo

ad

ad ſervitium, quia ſervitium ſemper ſequitur homagium, & diſtrictio ſemper ſequitur fidelitatem; & quamvis in hujuſmodi donationibus non contineantur homagium, ſervitium, vel warrantizatio expreſſè, nihilominus tamen tenebitur vel ejus hæres ad warrantiam quotieſcunque fuerit vocatus, eo quod fœmina per donatorem ſic maritata, vel ejus pueri & hæredes, ſi ipſa deceſſerit pro charta debent reputari; dum tamen expreſſè non excipiatur vel inhibeatur, & quamvis inde præſtentur auxilia rationabilia quæ perſonas reſpiciunt & non Ten' vel aliæ contribuantur præſtationes communiter ad Regem pertinentes, nihilominus tamen liberum eſt. § 2. Et eſt ſimiliter maritagium ſervitio obligatum & oneratum, ut ſi quis ſic dederit quod ſibi & hæred' ſuis aliquod ſervitium reſervaverit,& quo caſu faciendum eſt ſervitium, ſed non homagium ante tertium hæredem, & extunc ſervitium cum homagio de hærede in hæredem. § 3. Poterit autem terra dari tam viro per ſe & hæredibus ſuis, uxori per ſe & ſuis hæredibus ante matrimonium, & poſtquam utrique eorum vel eorum hæredibus communibus, & unde ſi à patre, vel à matre, vel alio Anteceſſore uxori facta fuerit donatio, & eidem uxori per mortem ſui Anteceſſoris cedat alia hæreditas inter ipſam & alias ſorores, vel earum hæred' participanda, terra viro ſuo data non veniet in diviſionem, nec contribuere tenetur, niſi fuerit donatio mulieri ante matrimonium tali de cauſa de ſe maritanda: Si autem mulieri & hæredibus ſuis ſimplicitet fiat donatio ad ſe maritandum, quamvis hæredes de corpore ſuo non procudat, ſuccedent ei tamen hæredes remoti. Si autem cæteri exprimantur hæredes, & tales non habuerit, vel ſi habuerit & defecerint, ſtatim revertetur terra ad donatorem. Si autem viro & uxori, & hæredibus ſuis communibus fiat donatio, & filiam procreaverint, quamvis ab alio viro filium conceperit, fœmina tamen maſculo præferetur, quod non eſſet, ſi uxori tantum, & hæredibus ſuis facta fuiſſet donatio: Si autem viro & uxori fiat donatio, tenend' ſibi & hæredibus ſuis legitimè inter eos procreatis pro homagio & ſervitio, & in liberum maritagium, tunc omiſſo maritagio, præferend' eſt homagium, pro homagii excellentia & dignitate. § 4. Si autem donatio fiat alicui, ut aliquam ducat in uxorem purè, vel adjectâ conditione, vel modo, ſi donatarius ad alia vota convolaverit, competit donatori repetitio, & unde ſi donator poſtquam talis aliam duxerit ipſum ſtatim ejiciat, ejectus per aſſiſam novæ diſſeiſinæ non recuperabit: Secus verò ſi talem duxerit non contra, intes quos forte poſtea celebretur divortium; verum tamen non competit inde repetitio, ſi certi hæredes in donatione comprehenſi non producantur, vel defecerint.

De Reverſionibus, & earum impedimentis. CAP. 12.

REvertitur autem quandoque donatio ad donatorem pro defectu hæredum per modum tacitum vel expreſſum, ut ſi facta fuerit in maritagium vel baſtardo, & quandoque non ſolum pro defectu hæred' vel aſſignatorum tantum, ſed etiam pro defectu hæredum aſſignatorum,de quibus non fit mentio in donatione quod res data ad ipſos deſcendat, & quandoque cum nullus hæres omnino appareat poſt mortem feoffati qualitercunque;

sed si mortuus hæredem reliquerit, de quo plena habeatur notitia, tunc erit donator loco hæred', ni factum sui tenentis defuncti & dotem warrantizabit: Secus verò si de hærede habeatur dubitatio, utrum hæres fuerit vel non. § 2. Item revertitur terra ad donatorem quandoque per restitutionem, & quandoque cum tenens suum weyvaverit tenem', & quibus casibus evanescit homagium proinde factum. § 3. Item revertitur terra ad donatorem, sicut ad hæredem proximum feoffati; ut, si pater feoffaverit filium suum medium, vel frater antenatus fratrem postnatum pro homagio & servitio suo, sibi & hæredibus de corpore suo exeuntibus, & talis feoffatus obierit seisitus sine hærede de se, terra data ad feoffatorem fratrem revertitur, uno modo sicut eschaeta sua pro defectu hæredum corporis sui, alio modo sicut hæredi: sed quoniam homagium non extinguitur cum sint alii hæredes remoti, ac primogenitus, sicut esse non poterit dominus & hæres, cum homagium expellat dominicum in hoc casu, & retineat servitium, terra data cum tali fratre non remanebit. Si quis etiam alium feoffaverit pro homagio, ac ille secundum, & secundus tertium & ultra, & ultimo feoffatus primum feoffaverit feoffatorem, tale feoffamentum stare non poterit, quia nullius esse potest simul & semel dominus & tenens. § 4. Impediuntur autem Reversiones, & quandoque per homagium & servitium receptum, prodest tamen quandoque servitium ei assignare cujus interest donum revocare, & homagium retinere. § 5. Item donationes à Servis vel Sokemannis quas in villenagio vel villano Sokagio tenuerint irritari debent, & dominis restitui, & recenter sine brevi poterint donatarii ejici, & impunè expelli: Secus post pacificam seisinam habitam. § 6. Fieri etiam poterunt donationes ad terminum vitæ recipientis, vel ad vitam donatoris, vel ad terminum annorum, vel donec quid fiat vel non fiat, vel donec fuerit provisum donatario, & tunc refert utrum mentio fiat de donatore & hæred', vel de donatore tantum, & utrum provideri debet donatario tantum, vel sibi & hæredibus suis, & quibus casibus si hæredes non comprehendantur, nec provisum sit donatario in vita donatoris, remanebit res data in feodo cum ipso donatario: Et si in vita donatoris facta fuerit provisio, ad donatorem revertetur; & si hæredes donatoris tantum in donatione comprehendantur, & donatario non fuerit provisum dum vixit, cum hæred' donatarii remanebit res data imperpetuum, quamvis hæredi donatarii competens satisfactio offeratur: Sed si hæred' donatarii tantùm in donatione contineantur, tunc revertetur terra data quàm citius per donatorem sibi provideatur, & contra; qui quidem si non providerit, non sufficit si hæredes ad satisfactionem promissionis se reddant benevolos & paratos, cum modus donationis se habeat in contrarium: Si autem fiat donatio alicui ad vitam suam, donatarius cum nihil adquirit nisi liberum tenem' tantùm, feodum verò tamen remanet cum donatore, & cum obierit, statim revertetur terra ad donatorem: & si alicui fiat donatio ad vitam donataris, quamvis hær' donatarii in donatione contineantur, non tamen sibi adquirit liberum ten' nec feodum, sed quandam possessionem ad certum terminum, à qua si fuerit ejectus per assisam novæ disseisinæ, non recuperabit, licet per aliud remedium,

um, & tenebunt hæredes usque ad finem termini: Si autem non fiat mentio de hæred' donatarii, non statim tamen revertetur terra ad donatorem post obitum donatarii, nisi decesserit intestatus: Sed si de residuo termini sui testator in Testamento suo ordinaverit, valida erit dispositio velut de catall', cum nulli cedat de exhæredatione: Si autem sic fiat donatio, Do tali tantum terræ pro me & hæred' meis, statim fit donatar' liberum ten' tantùm, qui cum decesserit, ad me revertetur, ac si dixissem, Do tali ad vitam ipsius, ex termino verò annorum quamvis longissimo nunquam fit donatorio liberum ten' tamen terminus vitæ incertus, & ideo liberum facit tenem'; & licet nihil certius morte, nihil tamen incertius hora mortis. § 7. Potest quis alicui terram concedere ad terminum annorum, & interim eidem vel alteri dare eandem in feodo, & si al', utraque tamen possessio durabit, quia sese compatiuntur terminus & feoffament', licet diversa sint ibi jura: Nam ad feoffamentum pertinet liberum ten', & feodum cum proprietate. Firmarius verò nihil juris vendicare poterit, præter usum fructum, Item dimitti poterit terra pro voluntate dimissoris tenend' de termino in terminum, & anno in annum, & finito termino in omni dimissione revertetur terra donatori vel proprietario, nisi inde feodum perquisierit.

De Donationibus servis factis. CAP. 13.

SI autem domino, sub cujus potestate servus fuerit, servo fiat donatio, in qua præcesserit libertas cum manumissione, & interveniat homagium, valet donatio & perfecta erit; & quamvis homagium, libertas, manumissiove in charta non exprimantur, sufficit ad libertatem tantum hæc clausula, Habend' & tenend' sibi & hæredibus suis, eo quod donator per hujusmodi verba innuit manifestè quòd in donatione voluit ipsum esse liberum, quamvis hoc verbum liberè non exprimatur, non obstante incerto servitio ac vilissimo, vel mercheto sanguinis, vel aliis talliagiis voluntariis contributis, dum tamen hujusmodi præstationes fiant ratione ten', & non ratione personæ in donatione comprehensæ & reservatæ; non enim unum & idem est, sed longè aliud tenere liberè, & tenere per liberum servitium: Liberè enim tenet cuicunque alius hæres quàm dominus succedere poterit, liberum enim servitium nihil villano confert libertatis, ten' enim quod conceditur villano tenend' per liberum servitium non facit ipsum liberum, nec servitium villanum liberè feoffato aliquid confert servitutis, nec aliquid suæ detrahit personæ: Nam si tenens ten' per liberum servitium tantùm dum non ad vitam nec in feodo ejectus fuerit, per assisam non recuperabit: Si autem tenuerit sibi & hæredibus, suis per consuetudines villanas, recuperaret sicut quilibet liber homo, etsi à domino suo fuerit ejectus; nam jura dominum contra voluntatem suam juvare non debent, & quamvis sentiat dampnum sibi, non tamen injuriatur; & ex quo cum servo suo contraxit, exceptioni villenagii tacitè renuntiavit, nec ipsum ignorantia excusabit, si dicunt quòd nescivit de statu suo tempore contractus, quia præsumitur quòd scivit, aut scire debuit cujus fuit conditionis ille cum quo contraxit. § 2. Si autem servo & suis hæredibus fiat donatio, domino valet donatio, & quasi

ejectus fuerit per aliquem, dum tamen non per dominum suum, sub cujus fuerit potestate constitutus, & provisum fuerit ab ipso domino ejectus solus per assisam recuperabit, & per consequens competit suis hæredibus contra quoscunque deforciatores assis' mor' an', prærerquam contra verum dominum, contra quem nullam habebunt replicationem; si autem servus nomine domini sui stipulatus fuerit, & perquisitum fecerit, & non sibi ipsi & hæredibus suis, & de perquisito per aliquem non dominum ejiciatur, tunc competit domino remedium per assisam novæ disseisinæ, & non servo, quia quicquid per servum justè adquiritur, domino adquiritur sicut per servum procuratorem; & si servus sibi & hæredibus suis perquisierit, dominus statim possessionem apprehendat perquisiti, & servitia in donatione contenta faciat donatori, non obstante minori ætate hæredis, quod cum sic seisierit, & chartam feoffamenti penes se receperit, restituere poterit servo vel alii liberare, vel in dominico impunè retinere, qui si statim sesinam non apprehendat, poterit tamen quandocunque voluerit tam tempore hæred', quàm primi donatarii, dum tamen fugitivi non fuerint & clamantes in libertatem. § 3. Si autem donatarius obierit de hujusmodi perquisito sesitus in feodo, & ejus hæredes fuerint inde deforciati, tunc competit eis remedium per assisam mor' an' versus omnes contra quos competeret assisam novæ disseisinæ in persona Antecessoris: Et si plurium sit servus communis fiat participatio ejus perquisiti prior cum sesina secundam excludat: Si autem servus vendiderit feodum, quòd sibi & hæred' suis perquisiverit, antequam dominus seisinam inde ceperit, valet donatio, (& dominus sibi ipsi imputet,) quòd tantùm expectavit: Si autem servo fiat donatio privilegiato, manumisso, vel fugitivo, dominus nil sibi inde vendicare poterit, priusquam libertatem corp' clamantis tanquam servuum suum disrationaverit sequela ten' & catalla in judicium de se de statu ageretur per breve de nativis, tamen in brevi contineatur, quòd Vicecom' habere fac' tali talem nativum & fugitivum suum, cum sequela sua, & catallis suis, & si ante corporis disrationem sine judicio terram sibi usurparet, & catalla usurpanti, servum suum per breve petenti obstabit exceptio spoliationis, ita quòd nunquam audietur ante ten' & catallorum plenàm restitutionem; & cum corpus recuperaverit, ea quæ corpus sequentur recuperabit, ut sequelam suam, & catalla, & ten' sua, eo quod præsumitur quod de catallis suis, quæ domini sui fuisse debuerunt, fuerunt perquisita; & sicut non poterit quis servuum suum fugitivum disseisire quin per assisam, antequam corpus habeat sub sua potestate per judicium: Ita nec poterunt liberi sub potestate dominorum constituti ut servi, quamdiu in tali statu permanserint, assisam portare versus dominos suos de perquisitis suis, & recuperare, antequam docuerint se esse liberos. § 4. De re autem aliena poterunt fieri donationes, quæ quidem licet non valeant cum effectu quantum ad ipsos quorum res ipsæ fuerint, valent tamen quantum ad donatores, & donatarios, & alios jus non habentes; & quamvis valeant quoad ipsos qui jus habuerint in tempore, non valebunt tamen si per veros dominos statim ejiciantur, & si per negligentiam vel patientiam dominorum, & quorum jus fuerit tempus

pus

pus pacificum habuerint donatarii, per quod liberum ten' habeant, res cum datæ eis remanere non poterint, & per auxilium Cur' ritè fuerint revocatæ. Poterit quidem res esse aliena omnino, quantum ad jus & proprietatem feodi, liberum ten', usumfructum, & usum nudum, in quam si aliquis se intruserit cum rem vacantem invenerit, & in tali seisina donationem inde fecerit, valida erit donatio quantum ad donantem & accipientem, & omnes qui jus non habuerunt, donec per jus habentem fuerit revocata. Et eodem modo feoffamento facto per ipsum qui non habeat jus, nisi feodum talliatum, vel terminum vitæ, vel custodiam, vel terminum voluntarium, in quibus casibus quoad verum dominum nuquam erit res data liberum ten', nisi ex longa & pacifica seisina, & unde si incontinenti post tale feoffamentum posset verus dominus, vel ille ad quem spectat reversio, se ponere in seisinam, omnes à possessione tenere posset exclusos, vel per assisam novæ disseisinæ recuperarent. § 5. Verumtamen si tales feoffati post tempus pacificum & seisinæ post continuationem liberum ten' habuerint, quod sine judiciō ejici non possint, si à vero domino fuerint implacitati, vocari poterint feoffatores suos ad warantum, & valentiam consequi, nisi doceant consequi, quod per intrusiones proprias seisinam fuerint adepti, & non extra seisinam feoffament' feoffati. § 6. Si autem proprietatis donation' fecerit secundo viro alicujus uxoris, cujus ipse warant' fuerit, de terra quam ipsi vir & uxor simul teneant nomine dotis ux' de dono primi viri sui, non valebit donatio, quia donatar' veram seisin' facere non potest, cum vir & uxor unum corpus & eadem sint caro, & quia servit' uxoris viro suo non poterit attorn': Quæritur si post mortem uxoris suæ ejectus fuerit vir ex tali donatione seisinam non recuperabit, quia secundi viri per legem Angliæ liberum tenem' non poterunt vendicare; & quamvis secundus vir & uxor dotem quam tenuerit resignare vellent in manus proprietarii ea mente, nec virum inde feoffaret, non valeret donatio, eò quòd sic fieret fraus constitutioni; verumtamen si talis donatio facta fuerit viro qui homagium fecerit suo feoffatori, ac ipse post mortem uxoris suæ se tenuerit in possessione, obstabit donatori petenti, vel ejus hæred' exceptio donationis: Si autem ejiciatur, vir per actionem obtinebit; & eodem modo valebit donatio facta uxori per se, vel viro & uxori simul, & hæredibus suis communibus vel remotis; sed hoc magis est ex consuetudinis Anglicanæ permissione, quàm ex juris ordine.

De distinctione chartarum, & diversitate servitiorum CAP. 14.

CHartarum alia regia, & alia privata; & regiarum alia privata, alia communis, & alia universitatis: Privatarum alia de puro feoffamento & simplici, alia de feoffamento conditionali sive conventionali, & alia de recognitione pura vel conditionali, alia de quieta clamantia, & alia de confirmatione. Charta verò de feoffamento simplici est, in qua nulla continetur adjectio conditionalis. De recognitione autem, ut si tenens rem quam ab eo petitur recognoverit jus esse petentis; vel si petens rem quam tenens tenet, recognoverit esse jus tenentis, vel si illam remiserit, & quietam clamaverit: Charta autem de quieta clamantia est, ut si petens purè remiserit,

remiserit, & quietam clamaverit terram tenenti, quam idem petens petiit ut jus suum: Charta autem de confirmatione est illa quæ alterius factum consolidat & confirmat, & nihil novi attribuit; quandoque tamen confirmat & addet. § 2. Chartæ autem de pura donatione & simplici penes donatarium & ejus hæredes debent remanere, communes verò duplicari debent, ita quòd quilibet habeat suam partem; vel si una sit tantùm, tunc in æqua manu communis amici utriusque ponatur, salvo custodiend' cuilibet partium, cum necesse fuerit, exhibend', transcriptis tamen paribus inde liberatis. Quam quidem chartam, eorum alteri prout convenit bonâ fide liberatam malitiosè retentam, competit alteri cuivis interest petere, quam si habere negaverit, tunc aut chartam producat, aut ei denegetur actio si petens fuerit; vel, si ab eo petatur, remaneat indefensus. Communis enim esse poterit; ut si terra detur ad terminum annorum, & ad firmam, & etiam si quis alicui donationem fecerit de aliqua re, tenenda inde sibi aliquâ parte, & si tenens se dicat totum tenere, cum donator partem petat, ostendere debet tenens chartam ad suam exceptionem probandam, quòd si non fecerit, amittet sicut indefensus, quia exceptionem suam non probat. Qui si per certa judicia docuerit, & Curiam instruxerit, quòd ad chartam venire non poterit, tunc de necessitate ad patriam erit recurrend': Et eodem modo si casum allegaverit, & eum probaverit. § 3. Privatarum autem tres sunt species: una cum pro possessore loquatur, alia cum contra ipsum, & tertia chyrographata, quæ tam fit pro ipso quam contra ipsum; & quo casu si quis partium à conventione recesserit in scripturis chyrographatis, succurritur alteri parti per actionem ex conventione. Omnium autem Scripturarum privatarum quibus quis uti voluerit in judicio pro se, facere copiam tenetur Adversario suo, licet contra se, petens tamen petere non debet quod tenentis instrumenta exhibeantur ad suam intentionem probandam vel fundandam, cum non teneatur Adversarium suum contra se armare: nec etiam poterit tenens petere quòd ei exhibeantur instrumenta petentis, prout de communibus dictum est. § 4. De chartis verò regiis, & factis regum, non debent nec possunt Justiciarii Reg' nec privatæ personæ disputare, nec etiam si in illis oriatur dubitatio. Possunt etiam interpretari in dubiis & obscuris, ut si aliqua dictio vel ratio duos contineat intellectus, solius Regis expectanda est interpretatio & voluntas, cum ejus sit interpretari, cujus est condere, & etiam si omnino sit falsa vel suspecta propter rasuram, vel sigillum apponatur adulterinum per cautelam. § 5. Fiant autem donationes per hæc verba: Sciant præsentes & futuri, quòd ego talis dedi & concessi, & hac præsenti chartâ meâ confirmavi tali, pro homagio suo & servitio, tantam terram cum pertinentiis in N. & unde per hoc quod dicit (ego talis) vult donator quòd certa persona quæ dat in donatione comprehendatur, & unde per hoc quod dicit (dedi) vult, quòd res data fiat accipientis, & per hoc quod dicit (concessi) perpendi poterit ex hoc quod donationi consensum præbuit, nec multum differt à consensu; & per hoc quod dicit (& præsenti chartâ meâ confirmavi) innuit quòd vult, quòd voluntas sua, per quam res transferatur ad donatarium, & quæ firma esse debet,

debet, præsenti chartâ sub sigilli sui munimine confirmetur; confirmare enim est id quod prius infirmum fuit simul firmare; & per hoc quod dicit (tali) vult quod certa persona exprimatur cui fit donatio, & per hoc quod dicit (pro homagio & servitio suo, vel pro servitio tantùm) vult quod certa causa, pro qua fit donatio, exprimatur; & per hoc quod dicit (tantam terram cum pertinentiis) vult quòd certa res deducta sit in donationem, & certæ pertinentiæ quæ tunc pertinuerint, cum res venit in donationem; & per hoc quod dicit (in tali villa) vult quòd certus locus comprehendatur, in quo res est sita quæ datur: continentur etiam hæc verba, Habend' & tenend' tali & hæredibus suis generaliter, vel certis hæredibus cum coarctatione, liberè & quietè, vel in liberum maritagium, vel cum conditione adjecta, vel donec, & etiam tali & hæredibus suis & assignatis, & tali & hæredibus suis & assignatis assignatorum suorum: Per hoc enim verbum(liberè) vult donator quòd rem datam ad modum liberi hominis teneat, ut sui hæredes in hæreditate paterna succedant, quòd non est in servo, nec vult quòd rei datæ talis servitus imponatur quòd aliquis utatur in eam aliquo jure, ad quam servitus non pertineat neque usus. Et per hoc quod dicit (quietè) vult quòd quietem habeat & pacem quòd re data uti posset pacificè & commodè absque aliquo impedimento. § 6. Augentur enim quandoque donationes, per hæc verba (cui dare vel assignare voluerit) adjectâ clausulâ warrantiæ; & quo casu cum donatarius illiam dederit vel assignaverit, hæredes donatoris tenentur donum potius warrantizare quàm revocare; & qualitercunque & ubicunque donationem fecerit quis, constitutum est quòd nihil domino feodi depereat per translationem, sed quòd donatarius rem donatam de domino capitali capiat immediatè, cui donator nihilominus tenebitur eam warrantizare: Ampliare autem poterunt de cætero donatores, minuere autem minimé. Si autem hujusmodi assignati, quibus hujusmodi donationes factæ fuerint, ulteriùs alios inde feoffaverint, iidem assignati & eorum hæredes res datas warrantizare tenebuntur, quibus deficientibus primi donatores & hæredes sui loco assignatorum & hæredum suorum esse incipient, quoad warrantiam, quod quidem non esset, nisi fieret mentio in prima charta de assignatis, & sic valebit prolatio & ostensio alienæ chartæ in manum extranei. Et nota, quòd hoc verbum (legare) supervacuum est præterquam in tenem' Burgensium, quæ legari possunt ut de catall'; legatum enim morte tantùm confirmatur, donatio inter vivos solâ traditione. § 7. Continetur etiam (reddendo inde annuatim tantùm ad tales terminos, vel faciendo inde talia servitia, vel tales consuetudines) quæ omnia esse debent certa & in charta expressa, eò quod satis acquietat, qui specialiter non onerat (& faciendo inde domino feodi quòd sibi fuerit faciend') per quod innuit, quod vult quòd donationem per assensum domini feodi ingrediatur, & non ipso invito, & quòd domino suo nihil depereat per translationem. (Pro omni servitio, consuetudines seculari demanda & exactione) per istam generalitatem videtur quòd omnia alia servitia expressè remittit. Retineri autem

poterunt

poterunt ſervitia multipliciter; nam retinere ſibi poterit feoffator ſervitium quotidianum, hebdomadale, annuum, & ſeptennium: Reddendo ſemper in fine ſeptem annorum die Sancti Michaelis unum granum frumenti & hujuſmodi. Retineri etiam ſolent hujuſmodi ſervitia per ſervitium equitandi mecum vel cum uxore mea, qui Rodknyghts vocabantur, vel per ſervitium tenendi Cur' meas, vel paſcendi leporarios meos, vel alios canes, vel mittendi aves, vel inveniendi arcus & ſagittas, vel portandi mecum, de quibus omnibus non certus numerus comprehenditur, & quæ omnia dici poterunt ſervitia intrinſeca, quia in chartis & aliis inſtrumentis ſunt exprimenda, & ad quæ terræ hujuſmodi ex antiquo ſunt obligatæ, quamvis hæredes feoffatorum, & hujuſmodi, veteribus chartis non contineantur: dum tamen à tempore Regis Richardi inde extiterint ſeiſiti. Innocentia enim donatorum diturnitatem ſeiſinæ non aufert. Et quòd hujuſmodi minuta ſervitia ad patriæ tuitionem & pacis non fiunt, Ideo ex talibus feoffamentis nullam cuſtodiam vel maritagia, nec homagium poterit donator juſtè vendicare: Si autem quis feoffatus fuerit, & unum hominem equitem vel peditem, vel plures Regi inveniat ad eundem pro eo in exercitum ad patriæ defenſionem, & hoſtium depreſſionem cum aliquo genere armorum, ex talibus Serjantiis quæ dicantur magnæ, competit donatori cuſtodia & maritagium cum homagio & relevio in ſuo caſu, hoc non obſtante, quòd tenens aliam terram de Rege ipſo tenuerit in capite. Sunt etiam quædam ſervitia intrinſeca quæ fiunt ſub diſjunctione, & ſufficit alteram partem diſ-junctim facere: Et ſunt quædam ſervitia forinſeca quæ dici poterunt regalia, quæ ad ſcutum præſtantur, & inde ſcutagium habemus, & ratione ſcuti pro feodo militari reputatur: Omnis enim terra ad hujuſmodi ſervitium obligata feodum dici debet militare, pro quo quidem ſervitio tenentur donatarii ad homagium ſuis donatoribus faciend', & ipſi donatores hujuſmodi homagia capere tenentur, quòd ſi refutaverint, ſuperiori domino impunè ea facere poterunt & per conſequens ſua ſervitia, & medii nihilominus ad warrantiam tenebuntur, cum in caſu fuerint vocati. § 8. Exprimuntur enim quandoque ſic, faciendo inde mihi & hæredibus meis ad ſcutagium cum evenerit quantum pertinet ad feodum unius militis, vel duorum in eadem villa, vel eodem feodo militis præſtantur, & ad plus & ad minus. Per hujuſmodi autem feoffamenta de Sokagio fieri poterit feodum militare, non tamen è converſo, quamvis fieri ſolet. § 9. Inhibetur etiam ne donatores de cætero à mediis ſervitia ſua recipiant, ſed à tenentibus: Sunt etiam quædam conſuetudines quæ ſervitia non dicuntur, nec concomitantia ſervitiorum, ſicut rationabile auxilium ad filium primogenitum militem faciend', vel ad filiam primogenitam maritand', quæ quidem auxilia fiunt de gratia, & non de jure, pro neceſſitate & indigentia domini capitalis, & non ſunt prædialia, ſed perſonalia, ſecundùm quod perpendi poterit in brevi ad hoc proviſum; & ne hujuſmodi auxilia citius vel gravius quàm juſtum ſit leventur, proviſum eſt quòd de feodo unius militis integro viginti ſolidi tantùm tribuantur &

leventur

leventur de viginti librat' terræ, quam quis tenuerit in Sokagio viginti solid', & de major' plus, & de minor' minus, secundùm terræ quantitatem, nec pro filio levetur priusquam quindecim fuerit annorum, nec pro filia ante ætatem septem annorum: & si pater, qui pecuniam receperit, obierit, filiâ inconsultâ, executores patris respondeant filiæ de pecunia percepta, & si bona patris non sufficiant, respondeat hæres patris: Sunt etiam aliæ præstationes, ut auxilia in comitatu Vicecom', & fines communes pro amerciamentis communibus, Hydagia, Cornagia, Cariaga, Sectæ & Hundr' & Comitatus, & alia plura de necessitate & consensu communi introducta, de quibus nullus tenetur tenentem suum acquietare, eò quòd personalia sunt, nisi per chartas suas ad hoc specialiter fuerint obligati. Ex donationibus autem servitia militaria, vel magnæ Serjantiæ non continentibus, oritur nobis quoddam nomen generale quod est Sokagium. § 10. Item continetur, & ego & hæredes mei warrantizabimus tali & hæredibus suis vel hæredibus & assignatis, vel hæredibus & assignatis & hæredibus assignatorum, vel assignatis assignatorum & eorum hæredibus; & acquietabimus & defendemus totam terram illam cum pertinentiis, & innuit quòd obligat se & hæredes suos propinquos remotos præsentes & futuros ad warrantiam, & ei succedentes in infinitum tam principal' quàm ejus pertinentiarum. § 11. Sub hoc autem verbo (pertinentiis) comprehenduntur tam corporea; ut si pertineant hameletto, vel communia pasturæ; quàm incorporea, ut libertates, & jura, advocationes Ecclesiarum, in proprio, & servitus in alieno, & per largissimam warrantizationem tenetur donator & ejus hæredes omnib' in warrantia comprehensis immediatè warrantizare si res data ad tot manus devenerit, alioquin oportet quòd quilibet de gradu in gradum ascendendo vocet ad warran' suum feoffatorem, & suscipit in se obligationem ad defended' suum tenentem in possessione rei datæ, & assignatos suos, & eorum hæredes & alios, si forte ten' datum ab aliquo petatur in dominico, & ad acquietand' tenentem, si quis plus petierit servitii vel obligationis quàm in charta contineatur: Et etiam ad defendend' ipsum, si quis rei datæ servitutem velit imponere contra formam feoffamenti. Per hoc enim quod dicit (contra omnes gentes) excludit seipsum & hæredes suos quòd petere non poterunt in dominico quod erga alios tenentur warrantizare. § 12. Nec etiam petere poterit quis quod defendere obligatur: Non autem locum haberet breve de warrantia chartæ, si feoffator petere posset versus suum feoffatum. § 13. Et quoniam hujusmodi Scripturæ non est fides adhibenda, nisi signum interveniat, quòd talis donatio & Scriptura à conscientia & voluntate donatoris provenerit: Ideo in testimonium, & rei gestæ probationem apponat donator signum, adjiciendo clausulam istam vel consimilem (In cujus rei testimonium huic scripto sigillum meum apposui) Ad quod quidem debent testes convocari, sub quorum præsentia omnia cum solemnitate procedant, ut veritatem dicere possint cum inde fuerint requisiti, quorum nomina in eadem charta debent imbreviari, nec noceret si omnes sigill sua

apponerent in testimonium præmissorum, vel si charta in rotulo Cancellar' Regis, vel alterius loci recordum portantis transcriberetur, vel saltem in aliquo libro parochiæ loci, vel in Cur' domini feodi, vel in Comit', vel Hundr': Et si testes nominati in confessione præsentes non fuerint, sufficit tamen si coram absentibus recitetur & concedatur; nec multum refert utrum donator sigillum proprium habuerit vel alienum accommodatum, cum semel à donatore coram testibus ad hoc vocatis recognita fuerit & concessa. § 14. Et caveat sibi donatarius, nè donatio pereat pro defectu probationis: Contingit etiam frequenter, quòd donatores hujusmodi donationes nituntur irritare.

De Traditionibus & Usucaptionibus. CAP. 15.

QUia verò non sufficit alicui juris concessio, nisi donatarius donationis possessionem consequatur, ideo de possessione vidend' est: possessio autem corporalis rei detentio copore simul & animo cum juris adminiculo concurrente: Incorporalia verò possidere non poterunt, nec usucapi, nec sine corpore tradi, quia per se traditionem non patiuntur: Quasi possideri tamen non poterunt per patientiam & per usum. § 2. Possessionum, alia civilis, quæ animo tantùm retinetur; & alia naturalis, quæ solo corpore, quæ aliquando est justa, aliquando verò minimè, & est tertius modus possidendi animo simul & corpore, & aliter ritè non poterit fieri perquisitum, & quod cum ritè adquiratur, extunc nisi utroque poterit admitti, retineri tamen poterit copore tantùm, ut post mortem alicujus, donec corpus ad sepulturam efferatur. § 3. Item, possessionum alia vera, alia imaginaria, alia nuda, alia vestita, alia adquisita, alia adquirenda, alia bona, alia in pendenti, alia propria, alia aliena; & alienarum quædam propinqua, quædam remota, alia vetus, alia recens & nova, alia nihil juris habens sed aliquid possessionis, alia quæ aliquid habet possessionis & parum juris, alia quæ plurimum habet possessionis & aliquid juris, ubi vertitur causa proprietatis; alia quæ multum habet possessionis & multum juris, alia brevis, alia tenera, alia longo tempore firmata, alia pacifica, alia contentiosa, alia continua & longa, alia interrupta & brevis, alia justa civilit' & naturaliter quoad quasdam personas, & quantum ad alias utroque modo injusta, alia precaria, & alia pro pretio concessa: ut, si quis sine scripto concesserit alicui habitationem vel usumfructum in re sua tenendi ad voluntatem suam, hæc quidem possessio precaria est & nuda, eo quod tempestivè & intempestivè pro voluntate domini poterit revocari, velut de servis in villenagio, qui si per dominum ejici non poterunt, per assisam novæ disseisinæ ejicientur: Si autem certum pretium in possessione pro pretio concessa constituatur, tunc refert utrum tenendi pro voluntate dimissoris, vel imperpetuum; quòd si imperpetuum, tunc ejici non poterit tenens pro voluntate concedentis: & si ad tempus voluntarium, de die in diem poterit, utique per semetipsum, vel per assisam. § 4. Traditio verò est de re corporali, aliena vel propria, de persona, & manu propria vel aliena, sicut procurato-

ris,

ris, in manum alterius gratuita translatio. Item nihil aliud est traditio in uno sensu, nisi in possessionem inductio. § 5. Traditionem enim facere potest omnis qui donationem facere potest, sive sit dominus, sive non dominus: Quæ cum à vero domino fiat, statim incipit donatarius habere liberum tenementum propter conjunctionem juris & sesinæ, & mutuum utriusque consensum, & non refert utrum ipse dominus personaliter tradat, an alius per ipsum per literas suas patentes ad hoc procurator constitutus, cujus potestas publicè debet legi & ostendi, & duplicari, & una penes procuratorem, & alia cum donatario remaneat pro warranto: Refert enim de traditione & usu, utrum de terra fieri debet fundo, manerio, vel domo, quia si de domo, tunc ea à domino, & familia, & catallis, suis vacuata, sufficit si per haspam vel annulum hostii exterioris à vero domino donatario fiat sesina, coram testibus tamen fide dignis: Si autem nullum sit ædificium, tunc per assisam vel baculum, quia sufficit pro traditione corporali sola domini voluntas ad alium translata, mutatâ possessione cum solemnitate, ut probatio non deficiat, & donatario sola pedis positio cum possidendi affectu, voluntate donatoris concurrente, quamvis statim expletia non ceperit; usus enim & expletia non multum operantur ad donationem, valent tamen multotiens ad possessionis declarationem: nec perfectæ erunt donationes, antequam de usu fructu capiatur seisina. § 6. Nec etiam multum operantur ad seisinam scissio, vel fractura arborum, vel ramorum, vel segetum nondum maturarum, cum potius cedant in dampnum quàm cômoditatem. Nec etiam est necesse in seisina faciend' omnes glebas circuire, nec ubique, nec undique pedem apponere, sed sufficit pro traditione quoad seisinam ad liberum tenementum longa seisina & pacifica, & longus usus, quamvis de re alieni juris: ut, si quis ingressum habuerit in rem vacuam, & à nullo possessam, sicut in hæreditatem nondum aditam; longa enim possessio jus parit. § 7. Nec valebit propria intrusio in re concessa, nisi à donatore fiat traditio, eò quod voluntas donatoris inter concessionem & traditionem mutari poterit, & animo retinere quod corpore concesserat. Et quo casu si talis intrusor teneat se in possessione, ejici poterit impunè, vel donator per assisam novæ disseisinæ seisinam suam recuperabit; & quamvis talis seisina infirma sit, per ratihabitionem tamen domini veri ex postfacto, vel per patientiam ejus convalescere poterit. Et eodem modo si quis alicui rem suam dimiserit ad terminum annorum, & eam postea donaverit in feodo eidem, vel saltem ad terminum vitæ firmario sufficit charta donatoris publicè intellecta cum voluntate & patientia: Fieri autem poterit traditio ab uno vel à pluribus, uni vel pluribus; dum tamen donator aliquam inde habuerit possessionem, quamvis qualem & usumfructum unius anni; sed à non habente nulla fieri poterit seisina. § 8. Nemo enim dare potest quod non habet; & si à duobus non dominis fiat donatio & traditio de eadem re uni vel duobus, utraque à vero domino poterit revocari; & quantum ad donatores præfertur ille, qui prius fuit in seisina: & idem dici poterit de duobus, quibus dominus vel non dominus donationem fecerit, & unde versus

Rem domino vel non domino vendente duobus,
In jure est potior venditione prior.

§ 9. Donator atem nunquam desinit possidere, antequam donatarius possidere incipit: ut desinente uno corpore & animo, incipiat illius animo & corpore; poterunt enim quidam natural' possidere verè & justè, & etiam natural' injustè & non verè. § 10. Est enim naturalis possessio justa & injusta: Justa, ut si factâ traditione extiterit donatarius in possessione vacua; & per se naturalis & injusta, ut, si cum donator donatarium in possessionem induxerit, & sic corpore & animo recesserit, uxore tamen vel pueris, vel aliâ familiâ, vel catallis donator' in possessione relictis, per talem usum nihil adquirit sibi donatarius, donec per verum dominum fuerit vacuata, & iterum tradita, quia non refert utrum ipse donator cum donatario in possessione remanserit, vel ejus familia, vel catalla utendo, ut prius: per hujusmodi vero usum manifestè apparet, quòd quamvis corpore recesserit, animo tamen non intendit recedere, & unde versus

Monstrat per vultum quid sit sub corde sepultum.

quod multò evidentiùs per factum poterit demonstrari; per usum enim videri poterit quid lateat in animo donatoris: secus erit cum donator familiæ suæ injunxerit, quòd extunc sit donatario intendens ut domino, cum fidelitatis sacramento vel sine; & quo casu valida erit donatio. § 11. Si autem donator hoc familiæ non præceperit, sed reversus negotium per familiam suam gestum ratum habuerit, tunc imaginaria est traditio & falsa: Si autem reversus actionem negotiorum per familiam gestorum non approbaverit, adhuc valida erit donatio, & traditio firmata: & ad hujusmodi suspitiones tollendas oportet de necessitate, quòd vacua sit possessio in omni traditione tenementi. Ad quod duo principaliter exiguntur ad hoc, ut donatario competat actio contra donatorem, scil. quòd res detur cum solemnitate, & quòd sequatur immissio, vel introductio rei pacifica in vacuam possessionem: Ita quòd donator, vel ejus procurator, uxor, liberi, familia, colonus, inquilinus, hospes, serviens, servus vel amicus, vel aliqua catalla nomine donatoris in re data non remaneant; aliter enim semper videbitur quòd donator nunquam desiit possidere. Et cum in possessione vacua fiat traditio, & donator corpore simul & animo recesserit, & donatarium induxerit, quamvis donatarius donatorem admittat, ut in re data moram secum faciat, dum tamen non agat ut dominus, sed tanquam procurator, vel Seneschallus, vel ut serviens, vel ut ministrator, ubi dominus fuerit prius major & præceptor, non erit talis admissio donatario præjudicialis. § 12. Quia tamen non semper consistit veritas in Juratoribus, expedit ut non admittatur. § 13. Et si talis donator donatarium ejiciat vel impediat, competit sibi remedium per assisam novæ disseisinæ, & cum per ar' seisinam suam recuperaverit, per hoc firma erit imperpetuum: Et ulterius non erit imaginaria vel simulata, & per hoc potest statim donatarius sine suspitione donatario suo concedere, quòd terram sic recuperatam teneat ad vitam: & si donator reversus feoffatum ejicerit, si donatarius ipsum statim ejicere non possit, per assisam novæ disseisinæ

ſeiſinæ recuperabit, exceptione teneræ ſeſinæ non obſtante: Prodeſt enim poſſidere traditiones ex voluntate ejus ad quem res pertinet poſſidend' ceptum eſt, & ſufficit ſemel voluiſſe, omnibus concurrentibus quæ faciunt validam donationem; & ſi poſtquam ceptum eſt poſſidendi, voluntas ejus ad quem res pertinet acceſſerit, licet nulla ab initio intervenerit, ſuffieit tamen ex poſtfacto quod prodeſſe debet poſſeſſori. Et ſicut fit perquiſitum in perſona propria, ita fit per procuratorem alicujus, etiam ipſo hoc ignorante: Sed ſi dominus procuratoris rem geſtam non approbaverit, & aliquis à latere procuratorem ejicerit, quæro cui competit aſſiſa, cum donator dederit quod ſuum erat, & procurator nihil nomine proprio ſtipulatus fuerit, ſed alieno, qui ſe intromittere non curat; & revera donatori competit aſſiſa, quia donatarius poſſidere nondum incepit. § 14. De minori verò non ſic, qui verſus Curatorem actionem negotiorum geſtorum habebit: Si autem donator ante traditionem moriatur vel donatarius, revocari poterit donatio, quia poſſeſſionem vacuam non fuit adeptus. Sine traditione autem poterit quis incipere poſſidere per longam & pacificam ſeſinam, & uſum continuum, licet alius poſſidere non deſinat, eo quòd traditionibus & uſucaptionibus rerum dominia & poſſeſſiones adquiruntur. Quamvis autem tenera ſit quandoque ſeiſina, & quandoque firma, nunquam tamen erit tenera, ubi jus, proprietas, & ſeiſina concurrunt: ut, ſi jus alicui jure deſcenderit jure hæreditario, qui in ſeiſinam vacuam animo & corpore ſine contentione ſe poſuerit, ſtatim in ipſa conjuctione liberum tenementum habebit: Si autem facta fuerit donatio de re aliena, vel contra conventionem, vel conditionem, vel intruſionem, vel diſſeiſinam, nunquam erit ibi poſſeſſio firma & valida; ſed tenera erit, quouſque ſubſtantiam vel ſeiſinam ceperit ex longo tempore & pacifico, quod ſufficere poſſit pro titulo, & maximè contra verum dominum, vel contra conventionem, vel conditionem. Contra donatorem verò & alios, qui jus non habent, firma erit & valida: Adquiruntur autem nobis poſſeſſiones per noſmetipos, & per liberos & ſervos, quos ſub poteſtate noſtra habemus, dum tamen factum eorum honeſtum fuerit, & illud approbaverimus, & ea quæ ex maleficiis ſervus apprehenderit ad domini poſſeſſionem: Ideo non pertinent, quia nec peculii apprehendunt, necnon & per illos qui extra noſtram ſunt poteſtatem, cum eorum corpora diſrationaverimus, niſi aliena facti fuerint ſervi. Minoribus etiam adquiruntur poſſeſſiones, & naturaliter fatuis & furioſis per tutores inde, aliter verò minimè, eo quod intellectum recipiendi non habent, nec retinendi: Curatores autem ſanum intellectum oportet habere, quia ſi minorem fatuum à nativitate vel furioſum miſeris ut poſſideas, nequaquam videres per eos poſſeſſionem apprehendiſſe: Si autem plures fuerint ſervientes, per unum poterit hæreditas retineri, ſicut totus redditus retinetur per unius tenentis ſolutionem, cum plures ad redditum contribuere teneantur: & à ſimil', ſi cui data fuerit paſtura ad centum pecora, per unum immiſſum paſturam ad centum retinebit. § 15. Si amicus autem venditoris cui mandavit ut donatarium

donatarium in possessionem induceret mortuo donatore priusquam id sciret hæredibus non prohibentibus donatarium in possessionem induxerit, rectè tradita erit possessio: sed si id fecerit cum donatorem sciret mortuum, vel quòd hæredes id facere nollent, non erit ritè facta traditio. § 16. Advocationes autem Ecclesiarum sine corporibus alienari non possunt, quamvis ipsæ Ecclesiæ conferri possunt Tutoribus & personis, nec cum corpore possunt alienari, nisi alienatores in seisina præsentandi extiterint, vel nisi in villa, in qua sita est Ecclesia, aliquem habeant fundum ad quem hujusmodi advocationes pertinuerint. Et quamvis sic transferatur, donatarius tamen advocationis seisina non gaudebit, donec vacaverit, ut tunc præsentare possit, & unde nulli donatario valebit donatio, antequam rei datæ seisinam fuerit adeptus, quia donator possidere non desinit, donec ejus donatarius possidere incipiat, quamvis assignatum sibi facere possit per modum donationis sibi collatæ, quia si tenens ab aliquo super advocatione implacitatus suum vocaret feoffatorem ad warrantum, excipere posset quod warrantizare non tenetur, eò quòd nullam unquam inde habuit seisinam, nec dare potuit quod non habuit, quamvis de manerio, ad quod pertinuit advocatio, plenè fuerit seisitus. Et si manerium, ad quod pertinuerit advocatio Ecclesiæ, ad diversas manus per particulas cum pertinentiis per venditionem devolvatur, & donator aliquid sibi retinuerit, quamvis minimam partem fundi, semper remanebit advocatio cum parte retenta, nisi specialis mentio in aliquo dono fiat de advocatione. § 17. In omni verò casu ubi confirmatio fieri debet vel recognitio, oportet confirmantem & recognoscentem in possessione proprietatis esse, vel possessionis de qua fieri debent, & eodem modo ille cui, quia si neuter, locum non habebunt.

De homagiis, & eorum membris CAP. 16

SEcundùm autem diversa genera Tenementorum sunt quidam hæredes, qui ad homagium tenentur faciend', & ad sacramentum fidelitatis, & quidam ad sacramentum fidelitatis tantùm. § 2. Tenementorum autem aliud tenetur per servitium militare, vel per magnam Serjantiam, de quibus homagium facere oportebit; & aliud quod per parvam Serjantiam, vel tanquam in Sokagio libero tenentur, de quibus eadem habetur consuetudo in pluribus, uterque namque suum servitium scit certum: Neutrius enim hæres in custodia domini remanebit. § 3. A Soco autem derivatur Sokagium; & à Socco dicuntur Sokemanni, ratione tenementorum suorum, eò quòd ad culturam tantùm deputati sunt; quorum hæredum custodia & maritagia ad propinquiores parentes jure sanguinis pertinebunt: Villani autem sokemanni nullo privilegio libero gaudebunt tum ratione personarum, tum ratione tenementorum. § 4. De tenementis autem in maritagium datis ante tertium hæredem donatarii capi homag' non debet ratione reversionis rei datæ forte ad donatorem, quòd si prius captum fuerit, tenet utique. § 5. Recusatur etiam homagium quandoque

que

que propter jus accreſcendi: ut ſi hæreditas prius deſcendat hæred' fratribus vel ſororibus, nullis eorum homagium faciat antenatus, quia ſi aliquis cohæredum ſine hærede de copore ſuo decedat, pars decedentis accreſcet ſuperſtitibus, & ſi homagium intervenerit, ad hæredes inferiores deſcendet. § 6. Cum autem plures fuerint hæredes, omnes filiæ primogenitæ acapitabunt, & ſacramenta facient fidelitatis, & totum ſervitium. § 7. Primogenita autem domino capitali faciet homagium de toto feodo & de toto ſervitio domino reſpondebit, ne cogatur ſervitium ſuum recipere per particulas; dominus tamen cuſtodiam poſtnatarum & maritagium habebit: Primogenita verò nequaquam, ut oves à luporum morſibus eruantur propter ſpem & ſucceſſionis eventum, quæ evenire poſſet ſi ipſas infra ætatem mori contingat ex aliqua machinatione; verumtamen ſi de Rege tenuerint in capite, omnes Regi homagium facere tenebuntur. § 8. Homagium autem eſt juris vinculum quo quis tenetur & aſtringitur ad warrantizand', acquietand' & defendend' tenentem ſuum in ſeiſina ſua verſus omnes per certum ſervitium in donatione comprehenſum, & vice verſâ quo tenens obligatur & reſtringitur ad fidem domino ſuo obſervandam, & ſervitium debitum faciend'. § 9. Contrahitur enim de mutua utriuſque voluntate, & diſſolvitur per mutuam utriuſque voluntatem ſi uterque voluerit, non ſufficit unius voluntas: Eſt itaque tanta & talis connexio inter dominum & tenentem ſuum per homagii vinculum, quòd dominus tantum debet tenenti, quantum tenens domino, præter ſolam reverentiam: § 10. Capere verò debet homagium dominus feodi, ſive ſit maſculus ſive femina, ſive major ſive minor; minor tamen major factus, valebit exceptio deceptionis: Major autem ignorare non debet cujus conditionis ſit ille cujus homagium ceperit, viri etiam ſupervenientes nihil niſi cuſtodiam uxorum habentes ante prolis ſuſcitationem homagium capere non tenetur: Facere autem poteſt homagium liber homo maſculus vel femina, clericus & laicus, major & minor. § 11. Electi tamen in Eiſcopos poſt conſecrationem homagium non facient, ſed ſacramentum tantùm fidelitatis. § 12. Abbates etiam, Priores, conventus, vel Eccleſiaſticæ perſonæ, qui nihil tenent niſi nomine Eccleſiarum ſuarum, homagium facere non tenentur, eò quòd nomine tenent alieno, & ideo nullus alii jure ſuccedit hæreditario. § 13. In feoffamentis enim talium manifeſtè apparet, quòd primo & principaliter ſit donatio Deo & Eccleſiæ de tali loco, & ſecundariò religioſis vel rectoribus ibidem Deo ſervientibus; & quamvis mutatio fiat capitum & perſonarum per privationem, collationem, vel electionem, idem tamen corpus manet, tanquam de grege; nec ideo poterit fieri narratio deſcenſus de Abbate in Abbatem, ſicut de hærede in hæredem; faciunt tamen tales frequenter homagium per ignorantiam, cum de jure non debent, & tales ideo ad relevium infra triceſimum annum præſtand' tenentur, ne capitales domini debitis ſervitiis defraudentur, ſicut in Normannia de conſuetudine obſervatur. § 14. Si autem minor homagium faciat, ſacramentum tamen fidelitatis ante

ante ætatem facere non debet. Quilibet autem donatarius qui homagium facere tenetur in seisina sibi collata, ante seisinam & post, illud facere potest, quod si ante, & si sesina rei non sequatur, effectum non habebit; vel si nec in vita donatoris, nisi donatio ratificata fuerit per confirmationem ab hærede, quod cùm semel factum fuerit, semper tenet, donec mors, quæ omnia solvit, eorum alterum præveniat. Tenet tamen ex parte superstitis, quòd si cadet in persona morientis, tamen tenet obligatio in persona hæred', cum post homagium relevatur ten' in persona domini, renovatur homagium quod tenuit ab initio, & unde si plura fiunt homagia pluribus successivè, plura erunt ibi homagia ratione plurium hæredum, & per hoc plura relevia. § 15. Non tamen erit nisi unum homagium, quamvis unus dominus plura receperit homagia, vel quamvis pluries innovetur, & vice versà cum tenens superstes fuerit & homagium fecerit, & dominus capitalis decesserit, cadit homagium ex parte illa; durat tamen homagii obligatio in persona hæred', & in persona ejus hæred' relevabitur homagium, ita quòd de novo erit capiend' ab hærede, & de novo faciend' à tenente: Et sic fieri poterit de pluribus capitalibus dominis decedentibus, & eorum hæredibus. Et quo casu plura erunt homagia ex parte dominorum, & non nisi unum ex parte tenentis, qui semper superstes est. Sed plures homagii innovationes propter pluralitatem dominorum & hæredum eorum, & ideo non dabitur nisi unicum relevium à tenente; de uno etiam & eodem tenemento simul & semel non possunt fieri plura homagia pluribus dominis capitalibus, sive tenementum illud ab uno teneri debeat, vel à pluribus in communi, quia si à pluribus in communi, & unus sit hæres primogenitus, ex pluribus homagium capiet ab uno. Si autem plures tenere debeant in communi de uno vel pluribus, primogentius faciet homagium pro omnibus: Si autem unus vel plures qui tenent in communi, de uno tantùm tenuerint, & alicui cui non tenentur per ignorantiam vel districtionem injustam homagium fecerint, talibus est subveniend': Si autem per malitiam & fraudem hoc fecerint ad exhæredationem domini sui, eo ipso amittere debent tenemen' unde provenit, & obligatio homagii propter fraudem penitus extinguetur; & eodem modo cum semel homagium fecerint vero domino, & per fraudem recesserint ab eo: Si autem ab initio homagium fecerint non dominico, quod postea recuperaverit verus dominus ratione alicujus finis vel attornationis, & tenens noluerit ei homagium facere cui de jure tenetur; sed se tenuerit ad homagium, ad quod non tenetur nisi de voluntate, cum verus dominus postea recuperaverit homagium & servitium de jure, non liberabitur tenens ab eo cui adhæsit de voluntate. § 16. Item, poterit quis de pluribus tenem' plura facere homagia uni domino vel diversis, simul vel successivè, & poterunt plures domini plura capere homagia ratione plurium tenementorum; dum tamen unus ex pluribus dominis præcipuus sit & legius ut feoffator primus quia talis semper maritagium habebit hæredum propter primum feoffamentum, nisi tenens aliquid tenuerit de Rege in capite.

capite. Et si inimicitiæ inter dominos suos capitales oriantur, in una propria persona stabit cum eo cui fecit ligeantiam, & per Attornatum cum aliis, vel salvo eis servitio in quo eis tenetur de tenemento. § 17. De terris autem redditibusque quæ per servit' tenentur militare, tenetur quilibet facere homagium, semper sequetur custodia hæred' & maritagium, non tamen tantùm propter homagium, sed propter servitium regale, quia ad omne homagium non sequitur custodia & maritagium. § 18. De Socagio Cameræ non debent fieri homagium, & si fiant, custodias tamen vel maritagia non habebunt. § 19. Nec etiam de magnis Serjantiis, nisi Regem tantùm respiciant & patriæ defensionem; quod secus erit si non Regem tantùm vel patriæ defensionem, sed tantùm privatam personam respiciant: Campiones autem & servientes quandoque homagium faciunt, hoc tamen ratione nudi domini reputatur. § 20. Ille autem qui homagium facere debet, obtentu reverentiæ domino suo debitæ, dominum suum ubicunque inventus fuerit adire tenetur; dum tamen commodè possit adiri, & junctis manibus & erectis offerre debet suum homagium in signum subjectionis & reverentiæ, non tamen in loco secreto, sed publico coram pluribus, qui domino vel tenenti super rebus gestis testimonium, cum necesse fuerit, valeant perhibere, quòd si dominus recipere voluerit, tunc in signum warrantiæ, acquietationis & defensionis manus tenentis infra manus suas tenere debet, dum tenens proferat hæc verba: Devenio homo vester de feodis ten', quæ de vobis teneo & tenere debeo, & fidem vobis portabo contra omnes, salvâ fide meâ versus Regem & hæredes suos, & alios dominos meos. § 21. Regi autem sic: Devenio homo vester de feodis & tenementis, quæ de vobis teneo, & tenere debeo, & fidem vobis portabo de vita & membris, corpore & catallis, & omni terreno honore, contra omnes qui vivere poterunt & mori. Et facto homagio statim faciat tenens fidelitatem suam sub hiis verbis, tactis sacrosanctis: Hoc auditis domine N. quòd fidem vobis portabo contra omnes, salvâ fide ut supra, & quòd fideliter & sine diminutione, contradictione, dilatione injustâ, vel impedimento, terminis statutis servitium debitum secundùm posse meum vobis faciam, sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta. § 22. Et Regi sic: Hoc auditis circumstantes, quòd fidem Regi portabo de vita & membris, & terreno honore, & arma contra ipsum non portabo; sic me Deus, &c. § 23. Examinatio autem homagium præcedere debet, si ille qui se hæred' facit, sit filius naturalis ejus, cujus hæred' se facit, & hæres rectus & propinquus, & propinquior quantum ad jus possessionis & proprietatis. Item, quale & quantum tenementi de eo teneat, & de quo homagio facto obligatur. § 24. Item, quid in dominico, & quid in servitio. Item, per quod servitium. Item, qualiter descendit ei hæreditas quod hæres esse debeat, nè in captione homagii contingat dominum per negligentiam decipi, vel errorem. Effectus autem homagii est, quòd si quis homagium alteri fecerit domino, vel non domino, à tali domino vel homagio suo sine judicio recedere non potest, quamdiu tenuerit ten' per quod obligatur ad homagium

in dominico, vel in ſervitio. § 25. Nec etiam poterit tenens aliquid facere propter obligationem homagii, quod domino ſuo vertatur ad exhæredationem, vel aliam atrocem injuriam, nec è converſo dominus tenenti, quod ſi fecerint, diſſolvitur homagium, & omnis homagii connexio & obligatio, & unde merito in judicio conſiderabitur, ſi in perſona domini quòd dominium amittat, & ſi in perſona tenentis, quòd amittat tenementum. § 26. Aliquando etiam tenet homag' & homagii connexio in perſona tenentis, & extinguitur in perſona domini propter ipſius defectum vel delictum, ſed relevatur & vivificat in perſona alterius domini ſuperioris propter defectum; ut ſi dominus omnino ſine hærede deceſſerit, vel alteri homagium & ſervitium ejus attornaverit in caſibus licitis & conceſſis, vel alio modo de voluntate tenentis; & quo caſu extinguitur homagium, quoad ipſum dominum, ſemper tamen durat in perſona tenentis, quia in perſona alterius reviviſcit. § 27. Propter delictum, ut ſi dominus feloniam fecerit, vel aliquid ad exhæredationem ſui tenentis propter quod ipſe dominus juſto judicio debeat exhæredari, & quo caſu quod ſuperior dominus capitalis prius per medium obtinuit modo immediatè capiet medio omnino ſublato, & extunc incipit obligatio homagii inter tenentem & capitalem dominum ſuperiorem, & tenebitur talis dominus homagium capere velit nolit; nec weyvare poterit feodum ſuum, neque homagium & ſervitium recuſare, ut ſic à fœdere warrantiæ abſolvatur, pro inconvenienti proſequeretur contra voluntatem tenentis ſui, quominus teneatur ad warrantiam & eſcambium, nec etiam tenens quominus faciat domino ſuo ſervitium debitum, quamdiu tenuerit ten' propter quod obligatur ad ſervitium, nunquam enim faceret aliquis warrantiam ſuo tenenti de magna quantitate terræ pro minimo ſervitio, ſi pro voluntate ſua poſſet feodum ſuum weyvare, & homagium & ſervitium ſui tenentis recuſare. § 28. Tener' etiam poterit homagium in perſona domini, & diſſolvi in perſona tenentis ut ſi tenens, cum domino ſuo fecerit homagium, ſe ex toto dimiſerit de hæreditate ſua, & alium feoffaverit tenendi de domino capitali, & quo caſu tenens ab homagio abſolvitur, & extinguitur homagium, velit nolit dominus, & incipit in perſona feoffati, qui obligatur propter tenementum quod tenet de feodo domini. § 29. Extingui etiam poterit homagium & ejus obligatio diſſolvi ex utraque parte propter defectum vel delictum ten', ut ten' ad manum domini deſcendat quoquo modo per eſchaetam, vel ſi tenens cum homagium domino fecerit malitioſè in locum Recordi deadvocaverit tenere de eo, propter exhæredationem ipſius domini, & quo caſu licet homag' & obligatio teneat ex parte domini, ſi voluerit, non tamen tenet ex parte tenentis, cum per abnegationem domini ſui homagium ſuum & vinculum fidelitatis infringit. § 30. Et quo caſu domino competit quod petat tenementum tenentis ſui quod de eo tenere debuit in dominico, quia deadvocatus eſt per tenentem, in cujus perſona defuit obligatio per tale breve. § 31. Præcipe tali quòd reddat tali tantum terræ cum pertinentiis, vel tot feoda quæ prædictus tali de eo tenuit,

nuit, & inde homagium ei fecit & servitium, & quæ debent esse eschaeta sua, eo quod prædictus talis tenens contra homagium suum & fidelitatis sacramentum quod ei inde fecerat, ipsum malitiosè & ad exhæredationem suam deadvocaverit, & nisi fecerit; & unde cum sic probatum fuerit per inquisitionem & juratam, non erit necesse ulterius quærere de aliquo juris descensu: Si autem petere velit per breve de recto incongruè, tamen petet per aliquem descensum, cum tenens in possessione extiterit per descensum ab Antecessoribus suis. § 32. Sed qualitercunque agatur, non erit locus magnæ assisæ, sub hiis verbis, utrum, viz. ille qui tenet majus jus tenendi tenem' illud habeat, vel feod' in dominico; an ille qui petit, & cui idem tenens aut aliquis ejus Antecessorum inde homagium & servitium fecit, & quem postmodum contra homagium & fidelitatem suam malitiosè deadvocaverit. Quòd si probatum fuerit, petens recuperabit in dominico quod tenens in dominico tenuit. § 33. Si autem servicium petierit, id recuperabit, & de cætero non erit medius inter tenentem & dominum, & sic extinguitur homagium in persona medii, & reviviscit in persona inferioris tenentis. § 34. Ubi autem eadem est ratio, ibi idem jus erit. Si tenens domino suo atrocem injuriam facit, vel si steterit in bello cum inimicis domini sui consilio vel auxilio contra dominum suum, excepto Principe vel capitali domino suo cum ligeantiam fecit, vel si manus violentas in dominum suum felonicè injecerit, vel aliquid fecerit ad ejus exhæredationem, & quo casu justum erit judicium quod tenens exhæredetur propter obligationem homagii quam confringit, & plura hiis similia tenentem exhæredant. § 35. Poterit etiam tenens domino suo reddere homagium suum simul cum tenem' propter cap' inimicitias, ut liberiùs appellum suum versus eum sequatur, & sic dissolvitur homagium. § 36. Homagium autem contra voluntatem hominis attornari non poterit, eo quod sic posset dominus suum hominem capitali inimico subjugare, per quod teneretur sacramentum facere fidelitatis ei qui ipsum dampnare niteretur. Et differt levis inimicitia à capitali: Levis enim inimicitia non impedit, quin dominus homagium & servitium sui tenentis attornare posset invito ipso tenente per finem factum in Curia Regis. Et quo casu summonendus est ille, cujus homagium & servitium conceditur, ut ibi cognoscat servitium & homagium, vel dedicat; quæ si cognoscat, extunc attornabitur donatario, & nisi recedere velit à domino suo quantum ad homagium, quantum tamen ad servitium considerabitur, quòd donatario sacramentum faciat fidelitatis; quod si nolit, extunc liceat tali donatario distringere ten' ad hoc obligata, donec fidelit' sibi fecerit; quantum tamen ad homag', à priori domino suo invitus non recedet: Sed cum talis decesserit, tunc statim evanescit homagium in personis hæred' defuncti qui alienavit, & convalescit in persona illius cui attornabatur. Et eodem modo si quis terram dederit in maritagium cum filia sua, cum homagio & servitio alicujus liberi hominis. § 37. Item & pro redemptione corporis sui, in quibus casibus, attornabitur, velit, nolit, nisi causas prætenderit rationabiles quare non debeat attornari: Et cum considerabitur quòd donatarius distringat, donec

 fideli-

fidelitatem gratis fecerit, & districtus averia sua replegiari faciat, & dicat quòd injustè ipsum distrinxit, eò quòd non est dominus ejus, nec unquam ei fecit homagium, sed alio tali, è quo nondum recessit, & quòd nihil clamat tenere de distringente, non tamen propterea cesset districtio sed continuetur, quia servitium concedere sine districtione nihil aliud est quàm concedere haustum aquæ in fontem, sed non accessum ad fontem; & in hoc casu stare possunt simul deadvocatio & districtio ante homagium: Causa verò quare non poterit, est, ut si velit homagium attornare tali, qui nihil habet in bonis unde posit warrantizare, vel escambium facere, si necesse fuerit pro inconvenienti; nam si hoc esset licitum, sic posset quilibet dominus ad warrantiam centum libratarum terræ obligatus pro uno denariato servitii per ann' exonerare se cum vellet, nè suo tenenti ad warrantiam teneretur, vel escambium occasione parvitatis servitii, quod esset iniquum. § 38. Cum domino offeratur homagium à tenente, ac ille captionem injustè deferat, vel recuset, in fraudem forte nè ei teneretur ad warrantiam, tunc omne servitium & relevium licitum est tenenti retinere, quia non erit dominus ejus antequam ipsum tanquam tenentem suum admiserit, qui si servitium per judicium Curiæ Regis debeat recuperare, considerabitur quòd non faciat ei servitium, antequam ejus receperit homagium, qui si tunc homagium ceperit, arreragia enim servitiorum non recuperabit; poterit etiam tenens si voluerit oblato homagio coram pluribus testibus fide dignis, & præcisè recusato attornare se superiori domino capitali, & si ipse homagium recusaverit, tunc alteri superiori, & sic de domino in dominum, donec pervenerit ad Regem, qui nemini Cur' claudit, non magis quàm Ecclesia: Et cum superior dominus homagium ejus ceperit, & ille qui homagium recusavit, ulterius servitium nec homagium petere poterit, & nihilominus tenebitur ad warrantiam, acquietantiam, & defensionem; hoc tamen probato, quòd homagium justè recusavit, & illum sequetur servitium cui factum est homagium; verumtamen si tenens velit omni modo immediatè domino suo acapitare, & non alii, tunc consulitur ei per breve, quòd dominus homagium capiat, & nisi fecerit, quòd veniat coram Justiciar' ostensur' quare non fecerit. § 39. Et cum summonitus in Cur' venerit, prætendat quærens suas rationes quare summonit' debet suum homag' capere; dicere enim poterit quòd pater ejus tenuit de tali, & homag' ei fecit, vel de tali alio Antecessore summoniti, & per tale servit': Ita quòd ille tali ratione tenere debeat de eo, & ipse homag' suum capere tenetur, ad quod respondere poterit summonitus defendendo verba Curialia, homagium oblatum & servitium, & dicere præcisè quòd ille quærens nullam terr' de eo tenet, nec tenere debet; & hoc profert defendere per campionem, vel poterit se ponere in magnam assisam per hæc verba, utrum ille de quo quæritur majus jus habeat tenendi terram illam in dominico, an idem qui quæritur tenendi de eo. § 40. Poterit enim esse quod quærens, vel Antecessor' querentis homag' fecerunt Antecessoribus ejus de quo quæritur, nunquam tamen seisinam in vita Antecessor' fuerunt consecuti, vel quòd ipse homagium talis cepit, & talis propria authoritate, & sine warranto, & contra voluntatem

donatoris

donatoris se posuit in seisinam, & sic poterit petere terram in dominico. § 41. Si autem tenens per districtionem homagium fecerit alicui non domino, & verus dominus postea petat homagium ejusdem tenentis, non poterit tenens ab eo cui fecit homagium recedere sine judicio; & quo casu consulitur vero domino per breve de consuetudinibus & servitiis. Ad quod oportebit tenentem respondere quòd libenter faceret ei homagium & servitia recta, si à tali cui per districtionem fecit homagium, possit impunè recedere vel dicere, quòd nihil tenet, nec tenere clamat de petente, sed de alio tali cui fecit homagium: Et quibus casibus Rex venire fac' talem qui homagium cepit, ut inter eos procedat veritatis discussio, ut homagium per judicium remaneat, cum quo remanere debet, & tunc puniendi sunt per misericordiam Regis, tam ille qui homagium injustè cepit vel petiit, quam tenens. § 42. Et si petens recuperaverit dampna, consequetur, ne maleficia impunita remaneant, & sic evanescit homagium non domino factum, & ad pristinum statum revertetur. Et cum tenens verum dominum suum deadvocaverit in judicio, & ei nullo modo velit adhærere, tunc primò vertetur placitum inter ipsos tantum; & si dominus agat per breve de consuetudinibus & servitiis, tunc refert utrum super ipso jure agat, vel super seisina homagii & servitii, hoc est, utrum contineatur in brevi quod faciat ei consuetudines & recta servitia quæ ei facere debet & solet, vel tantum quæ facere solet: Si autem super ipso jure, sive dominus petat quòd tenens faciat, sive tenens petat quòd dominus capiat per breve de homagio capiendo in utroque casu per interrogationes & responsiones perveniri poterit ad duellum, vel ad magnam assisam. Secus erit si dominus terram petat in dominico pro deadvocatione: Si autem evitare voluerit duellum & magnam assisam, tunc omisso hoc verbo debet & petat consuetudines & recta servitia quæ ei facere solet tantùm, & sic loquetur breve tantùm de seisina, & non de ipso recto per omissionem alterius verbi: Et cum seisinam suam verificaverit, considerabitur quòd extunc recuperanti attornetur, & licitum erit tali distringere pro arreragiis & servitiis, donec competenter fuerit inde sibi satisfactum, quamvis ipsum deadvocaverit pro domino suo pro homagio alteri facto, quòd sine morte vel judicio extingui non potest in persona captoris, verumtamen succurritur domino deadvocato per assisam novæ disseisinæ, cum per deadvocationem incipiat esse non tenens eò quod breve de consuetudinibus & servitiis nihil prodest omnino deadvocato: Si autem petens servitia per manum tenentis fuerit seisitus, & de tali recenti seisina petierit, aut tenens confitebitur, aut nihil respondet, aut omnino negabit: Si autem confiteatur, plenum est judicium. Si nihil respondeat, indefensus remanebit; & si præcisè negaverit, per patriam debet veritas declarari.

De Releviis. CAP. 17.

CAptis igitur homagiis & fidelitatibus ab illis qui plenæ fuerint ætatis, statim oportet quòd ten' quod fuit in man' Antecessor'; & hæreditas quæ jacens fuerit per eorum decessum, relevetur in manus hær', & propter talem relevationem facienda erit ab hær' quædam prestatio quæ dicitur

relevium

relevium. Rationabile autem relevium est secundùm constitutionem magnæ Chartæ de libertatibus, ut de comitatu integro centum lib' sterlingor': Per hæredes verò Baron' de Baronia integra dari debent centum m'c', de hæred' milit' de feodo militari integro centum solid' sunt petendi. Et qui minus tenuerit, minus det secundùm portionem ten' sui. § 2. Et omnes illi hæreditates suas relevare tenentur, qui alicui succedunt hæreditariæ, & in quorum personis relevantur hæreditates, quæ jacentes fuerint per mortem Antecessorum, nisi minores fuerint hæredes, propter quorum minorem ætatem in custodiis fuerint dominorum, quamvis per modicum tempus & relevium dare non debent nisi semel, quamvis plures decesserint domini successivè, quia unicum erit relevium quantum ad tenentem, quamdiu idem tenens vixerit. § 3. Nec ante homagium captum debet dari relevium, nec ante hæreditatem suam plenar' sibi restitut' cum chartis ad ipsum spectantibus, si quas habuerit. Et sicut non tenetur quis duo facere homagia duobus dominis, ambo viventibus de uno ten', sic nec duo relevia. § 4. De pluribus tamen hæredibus successivè succedentibus, plura capi poterunt homagia. § 5. Nullus autem qui tenementum adquisiverit aliquo genere adquisitionis. § 6. Nullus etiam cui dominus mutatur. § 7. Nullus etiam qui ad vitam tenuerit tantum quoquo modo. § 8. Nullus etiam qui aliquam duxerit in uxorem, quæ aliquandiu in custodia domini sui extiterit: nullus etiam à quo dominus receperit rationem custodiæ ad valentiam unius denar'. § 9. Nullus etiam qui semel relevaverit terram suam. § 10. Isti autem à relevio sint absoluti. Nulli autem dandum est relevium, dum fuerit infra ætatem, & in custodia domini sui, nec antequam suæ hæreditatis habeant possessionem. § 11. De Sokagio autem fiat secundùm quod de feodo militari in jur' ordine, non tamen in relevii quantitate, eo quod dominus feodi homagium petere non poterit, eo quod tales per servitia regalia non feoffantur. Nec aliquid petere poterunt nomine relevii, nisi solummodo tantum, quantum reddit ei per unum annum in redditu assiso; nec propterea sit tenens quietus de redditu suo sibi præstando in terminis in donatione comprehensis: & sic habebit dominus in uno anno pro relevio, & pro redditu redditum unius anni duplicatum. § 12. Omnes tamen hoc petere non poterunt, antequam hæres sibi facere valeat fidelitatis sacramentum. § 13. De tenementis autem quæ ad feodi firmam tenentur reddendo inde minus per annum quam valorem quartæ partis, observetur idem processus; sed si amplius dederint, ab omni relevio sint quieti.

De Heriettis. CAP. 18.

EST autem quædam alia præstatio quæ dicitur Heriettum, ubi tenens liber vel servus in morte sua dominum suum respicit de meliori averio suo, vel de secundo meliori, quæ quidem præstatio magis fit de gratia quàm de jure; & nullam habet comparationem ad relevium, eo quod hæredem non contingit, quia factum est Antecessoris.

LIBER

LIBER QUARTUS.

De rerum Actionibus. CAP. I.

QUia à justitia tanquam à fonte emanant jura nostra, ideo de justitia & de jure primò dicamus. Est autem justitia constans & perpetua voluntas, jus suum unicuique tribuens, vel hoc saltem affectans. § 2. Jus enim à justitia derivatur, & cum multiplex sit, est tamen jus possessionis & jus proprietatis: Jus verò possessionis per se descendere potest, & cum jus proprietatis descendat ad antenatum tanquam propinquiorem. Ac postnatus se ponat in seisinam, & moriatur seisitus, transmittit ad suos hæredes quoddam jus proprietatis cum jure possessionis, quod sequi debuit primam proprietatem, & sic de hærede in hæredem. Sed primi hæredes majus jus habent, semper tamen præfertur possessio secundis hæred', donec primi jus suum evicerint. § 3. Et cum actio super proprietate summum sit remedium & ultimum, de actionibus possessoris intentemus. § 4. Agentibus enim in jure possessorio plura ordinantur brevia remediorum: Quatuor autem sunt brevia assisarum, sicut assisa novæ disseisinæ cum suis membris, quæ sunt brevia de intrusione quare ejecit, de redisseisinis, & hujusmodi. § 5. Præterea, assisa ultimæ præsentationis cum suis membris, quæ sunt brevia quare impedit, & quare incumbravit. § 6. Item, assisa mortis Antecessoris cum suis membris, quæ sunt de consanguinitate, de avo, nuper obiit, & quod permittat, & etiam assisa de utrum cum convictionibus. § 7. Est autem assisa in jure possessorio quædam recognitio xii. hominum juratorum, per quam Justiciarii certiorentur de articulis in brevi contentis, tam in absentia tenentis, quàm ejus præsentia, quibus infligitur pœna convictionis, si in modum assisæ perjurium committant. § 8. Fit autem disseisina multis modis, & non refert an domino fiat ipso præsente, vel procuratori, vel familiæ suæ ipso absente; & non solùm disseisitur quis, cum à seisina sua violenter, injustè, & sine judicio de tenemento suo qualitercunque ejectus fuerit; verumetiam cum ad nundinas, vel peregrè profectus fuerit, vel aliàs se diverterit, nemine in possessione relicto, alius possessionem ingreditur, & ipsum reversum non admittit, vel cum ingredi voluerit per se, vel assumptis viribus violenter repellat, vel etiam si ipsum, vel ejus procuratorem, vel familiam in possessione existentem, uti omnino non permittat, vel saltem injustè impediat, quo minus commodo uti possit. § 9. Item fit disseisina cum quis præpotens uti voluerit in alterius ten' contra ipsius domini voluntatem, vel contendendo

tendendo tenementum esse suum, cum sit alienum, vel pecora immittendo, vel alio quocunque modo servitutem libero fundo imponendo, cum auferat libertat' quo minus possessor liberè teneat. § 10. Item etiam fit disseisina, cum quis non nisi nudam habens possessionem alteri feod' fecerit, vel liberum tenementum: Et si custos hoc fecerit vel firmarius, & statim per verum dominum, vel ejus nomine ejiciatur donatarius, neuter recuperabit. Et fiunt quandoque disseisinæ per Justic', & quamvis cum judicio, injustè tamen, quia sine warranto per breve originale, de quo Rex fuerit testis; ac etiam per Escaetores & Vicecom', & alios ministros Regis, quibus inhibitum est, nè per colorem officiorum suorum sine warranto, aut speciali præcepto, aut certâ authoritate, officio suo appendente, aliquem de libero ten' suo ejicere, vel aliquo modo disseisire præsumant: Et si fecerint, provisum est quòd in electione disseisitorum sit, quòd sibi perquirant per assisas novæ disseisinæ, vel per petitiones Regi factas debitum apponatur remedium. Et in utraque via de injuria convincantur, dampna reddentur duplicata, & in misericordia Regis remanebunt. § 11. Fit etiam disseisina, quam quis ultra mandatum Regis admissum, vel ostensum quòd liberet, vel quòd ne diutius teneat tenem', injustè detinuerit, vel reddere noluerit. § 12. Fiunt etiam disseisinæ in districtionibus: ut, si quis distringat pro servitio, cum nullum ei debeatur, vel cum ei solutum fuerit, vel cum modum districtionis excedat. § 13. Item, disseisitur quis, cum à distringendo injustè impediatur, ut si ten' feodum domini sui muro fossato, hayâ, vel hujusmodi sic incluserit, quo minus dominus liberum aditum habere possit ad distringend' in feodo suo, vel cum tenens debitam vetuerit districtionem, vel injustè replegiaverit, vel cum waynagium alicujus liberi per crebas & indebitas impeditur districtiones. § 14. Fit etiam disseisina, cum quis obtinuerit possessionem à qua fuerit ipso præsente, vel in casu absente abjudicatus, vel cum quis alienum ingrediatur tenem' per judicium quod non ligat, vel cum quis firmarius vel custos liberum tenementum clamaverit habere, cum non habeat in exhæredationem proprietarii. Fit etiam disseisina firmario in casu, ut cum tenentes in dotem vel aliter ad terminum vitæ alicui dimiserint statum quem habuerint, & ipsi fuerint inde ejecti viventibus dimissoribus. § 15. Item fit eis disseisina, cum à tenente expelluntur qui tenuerint per feodum talliatum, vel per legem Angliæ, vel donec provideantur, vel per judicium Curiæ Regis, donec tanta pecunia inde fuerit levata: Hæc quidem assisa non solum locum habet in rebus corporalibus, sicut in tenementis, pratis, boscis, pasturis, vastis, piscariis, turbariis, gurgitibus, estoveriis, nucibus, glandis, & aliis fructibus colligend' deliberationibus, & aliis quæ in seisina alicujus sunt aliquo justo titulo in feodo, vel ad terminum vitæ possessoris, vel dimittentis in casu; verumetiam in rebus incorporalibus, sicut in servitutibus, & juribus, & pertinentiis pertinentiarum, quæ pertinent ad tenementa, & ad hoc facit hoc Statutum. § 16. Quia non est aliquod breve in Cancellar', per quod quærentes habent tam festinum remedium, sicut per breve novæ disseisinæ

Rex

Rex voluntatem habet, quòd conquerentibus injuriatis celeriùs fiat justitia, & quòd dilationes in placitis amputentur & abbrevientur, providit & ordinavit, quòd ass. no. disseis' locum habeat in pluribus casibus quàm priùs habuit; Et concessit quod de Estoveriis bosci & proficuo capiendo in bosco, de nucibus & glande & aliis fructibus colligendis, ac etiam de corrodia & liberatione bladi aut aliorum victualium aut necessariorum in certo loco annuatim recipiendorum; Nec non de Tolneto, Tronagio, pontagio, passagio & hiis similibus certis locis capiend'; Ac etiam in custod' Parcorum, Boscorum, Forestarum, Chaciarum, Warennarum, Portarum, & aliis ballivis & officiis in feod', de cætero jaceat ass. no. diss'. Et in omnibus supradictis modo consueto fiat breve de libero Tenemento. Et sicut breve priùs jacuit & locum habuit in Com' Pasturæ, ita de cætero locum habeat in Com' Turbariæ, Piscariæ & aliis Communiis & hiis similibus quas habet pertin' ad liberum Tenementum suum, vel etiam sine Tenemento per speciale factum ad minus ad terminum vitæ. In casu etiam quando quis tenet tenementum ad terminum Annorum vel in Custodia, & illud alienat in feodo, & per illam alienationem transfert liberum tenementum in feoffamentum; fiat remedium per breve no. diss', & habeantur pro disseisitoribus tam ille qui feoffat quam feoffatus, ita quod vivente altero eorum locum habeat prædictum breve. Et si post mortem personarum cesset remedium per prædictum breve, fiat remedium per breve de ingressu. § 17. Item de domo, muro, mercato ad nocumentum levato & hujusmodi, habeant querentes remedia per eandem assisam. § 18. Et si alienatio fiat de manu ad manum, tunc ambo nominentur sicut tenens & disseisitor. § 19. Fit etiam disseisina de fossato, muro vel stagno injustè levato, vel prostrato vel exaltato, sepe levata vel prostrata via, obstructa vel arctata, & de cursu aquæ diverso vel ad nocumentum arctato. § 20. Sunt tamen quædam ad nocumentum levata de quibus non dabitur assisa, sed ad Vic' in Comitatibus pertinent placitanda: veluti de virgulto, porta, ovili, molendino ventritio, gurgite, furno bercaria, vaccaria, wayeria, augmentatione cur' & Curtilagii. § 21. Item fit disseisina cum quis depascerit alterius seperale, vel cum quis piscatus fuerit in alterius piscaria, & in consimilibus. Nam si quis terram possideat prope ripam, ex utraque parte aquæ, per totum licebit piscari sicut in libero ten' suo; quod si sine impedimento alicujus facere non possit, succurritur ei per assisam, & si ex una parte tantùm, tunc usque ad filum in medio aquæ erit piscaria suum liberum tenementum, & quicquid indè pro dote fuerit assignatum, liberum tenementum erit mulieris.

De Remedio Spoliationis. CAP. 2.

SI vero aliquo prædictorum modorum facta fuerit disseisina, primum & principale competit remedium, quòd ille qui ita disseisitus est, per se si possit, vel sumptis viribus vel resumptis, dum tamen sine aliquo intervallo flagrante disseisina & maleficio, rejiciat spoliantem. In continenti autem vim si repellere licitum est, vel quam cito sciri possit vim esse illatam, priusquam

quam ille cui illata fuerit ad actū contrariū divertat, vel si cum fuerit in possessione alius cum eo uti voluerit ipse nihilominus utatur, nisi omninò injustè utentem tenere possit ab utendo exclusum, ut per usum suum justè suam retineat seisinam. Et quo casu tenens injuste in alieno nihil sibi per usum injustum. Quem si nullo modo expellere possit, ad superioris auxilium erit recurrendum, & illa via electa & facta impetratione ad rejectionem redire non poterit, nec seisinam suam propria authoritate resumere in præjudicium superioris ad quem devoluta est cognitio. § 2. Si autem verus possessor absens fuerit ex quacunque causa, tunc locorum distantiam distinguere oportebit secundum quod fuerit prope vel longe, quo tempore. *viz.* scire potuit disseisinam esse factam, ut sic allocatis ei rationabilibus dilationibus, primo die cum venerit statim suum dejiciat disseisitorem, qui si primo die non possit, in crastino vel die tertio vel ulterius, dum tamen sine fictitia, hoc facere poterit, vires sibi resumendo, arma colligendo, auxiliumque amicorum convocando, quod satis erit in continenti, cum non currat tempus nisi à tempore scientiæ, ex quo post scientiam com'ode venire posset: quod si per longum tempus hoc expectaverit, videbitur per hoc injuriam dissimulasse, & per hoc illam penitus aboleri. Si autem extra regnum fuerit in peregrinatione simplici, sicut apud Sanctum Jacobum, vel in Vascon' in servitio Regis, tunc xl. dierum dilationem habebit duorumque fluminum & unius ebbe, quia de ultra mare, & similitet xv. dierum, post quam venerit in Regnum, & etiam quatuor dierum, ut vires sibi resumat si necesse fuerit. Et si extra regnum fuerit in simplici peregrinatione in terra sancta, tunc dabitur dilatio unius anni, xv. dierum & quatuor dierum. § 3. Si autem in generali passagio ad terram Jerosolymitanam, impunè poterit quenquam seisitum ejicere quandocunq; redierit, dum tamen negligentia sua vel dissimulatio ipsum non impediat. Et si aliquis infra tempus illud à disseisitore feoffatus fuerit si verus dominus reversus eum incontinenter ejiciat, ejectus non recuperabit, quia temptus tale, quamvis longum, præjudiciale non erit absenti. Taliter igitur provideant sibi qui disseisitores rejicere velint, quod statim flagrante maleficio expellantur, ita quòd injuriam disseisinæ per patientiam, dissimulationem, negligentiam, impotentiam, desperationem vel negligentem impetrationem non tepescant, per quod utramque possessionem amittant, & disseisitor utramque habere incipiat, ita sine judicio licitè ejici non possit. Et si verus possessor contra spoliatorem assisam contempnat, & possessionem suam viribus & non judicio sibi usurpare præsumat, competit spoliatori assisa propter usurpationem, quia sine judicio, quamvis justè fuerit spoliatus, quia per negligentiam veri domini incepit utramque habere possessionem, nec habere poterit recursum ad assisam, quia frustra legis auxilium invocat qui in legem committit. § 4. Ad ipsos autem pertinet querela qui nomine proprio tenuerunt & non alieno, in feodo, vel saltem ad vitam propriam, vel in vadium ante termin' quoquo modo per feoffamentum, vel per constitutionem mercatorum, vel judicium Cur Reg. pro delicto recognito vel dampnis adjudicatis, vel hujusmodi. § 5. Et quamvis injustè possidentes contra veros dominos nullam habeant actionē

si

si ejiciantur, habebunt tamē querelam action' & assisam contra tales qui jus non habent propter commodum possidendi, quia si tales qui jus non habent extra seisinā peterent, nunquā versus possidentes recuperarent, sed remaneret suo loco possessio, quia secundus spoliator nullū jus habuit ejiciendi. § 6. Ejecto etiam competit assisa versus omnes à quocunq; fuerit feoffatus, domino vel non domino, qui pro se titulum habuerit, & tempus seisinæ pacificū. § 7. Et etiā competit ei qui sine judicio disseisitus fuerit de aliquo ten' de quo in seisina fuerit quoquo modo, quamvis nullum titulum habuerit, sed tempus tantum quod sufficere poterit pro titulo. § 8. Competit enim cuicunq; libero & statu libero existenti, quod dicitur de hiis qui in nayvitate sunt procreati, verumtamen qui à magno tempore extra astrum suum villanum ad loca remotiora se transtulerunt, & liberum tenementum perquisierint, si ejiciantur, competit eis remedium per assisam no. diss. contra dominos suos, sicut contra quascunque extraneas personas, quia cujusque hujusmodi domini tales fugitivos suos repugnantes in servitutem per judicium redegerint, ad perquisitum eorum seisiend' manum apponere non possunt; Villanis autem in veteribus astris suis commorantibus non competit hujusmodi remedium contra veros dominos, quamvis contra alias quascunque personas tam de Villenagio quam de perquisito, quia quamvis Villanus quoad dominum suum unum vel plures pro Villano & nativo habeatur, contra tamen alios pro libero debet reputari in conquerendo, sicut Sokemannus de antiquo dominico Coronæ Regis, licet contra dominum vel alium Sokemannū, vicinum suum de eodem Sokagio placitare non possit nisi per breve de recto clausum secundùm consuetudinem maner', versus quemcunque tamen extraneum ipsum ejicientem à Sokagio suo vel perquisito competit ei remedium per ass. nov' diss'. § 9. Item competit liberis à magno tempore in servitutem redactis, quorum patres & alii Antecessores sui à tempore quo currit breve de recto in statu extiterint servili, si in astris suis fuerint commorantes, competit eis remedium ad liberum ten' rehabend' per br'e Ne vexes; Et, si ab hujusmodi tenemento omnino fuerint ejecti, competit eis remedium per ass. nov' diss'. § 10. Competit etiam viro quandoque contra uxorem suam in casu quo uxor profuga liberum ten' viri alienat vel proprium, vel cum teneat se seisitam invito viro, postquam semel virum reliquerit, & pro adulterio recesserit. § 11. Competit etiam ei remedium per assisam licet personaliter vel per procuratorem ejectus non fuerit, verumetiam cum nemine in seisina relicto, quamvis recessit, non admittatur, vel repellatur cum redire voluerit. § 12. Item, & ei competit assisa qui per Judicem & judicium injustum sicut sine br'i originali de ten' fuerit ejectus. Si autem servus ingrediatur ad liberam uxorem habentem liberum tenementum ut dotem vel hæreditatem, si ejiciantur, recuperabunt per assisam, non obstante servitute viri, secus si è converso. Et de libero Tenem' bene competit assisa viro versus omnes si ejiciatur, non obstante uxore sua villana vel ejus villenagio. Item, jacet assisa inter dominum & non dominum cum non dominus injustè distrinxerit tenentem domini, & si tenens gratis solverit non domino, tunc habebit assisam contra utrumque. § 13. Præterea

 competit

competit ei cujus pater obiit in statu libero, si post mortem patris à seisina perquisiti patris fuerit ejectus, & contra dominum suum si sub ejus potestate non fuerit constitutus. § 14. Item, & ei qui feoffatus fuerit donec ei provideatur, si ante terminum fuerit ejectus, & omnibus qui in consimilibus casibus fuerint feoffati ejecti. § 15. Si autem duobus facta fuerit donatio, & uterque se posuerit in seisinam sine warranto, si recenter ejiciantur, non recuperabunt: Et idem dicatur de eodem altero. Si autem non ejiciantur per donatorem, sed inter ipsos tenentes habeatur contentio, tunc ille debet præferri cujus seisinam donator ratum habuerit, ut hic. Si duo contendant de aliqua hæreditate, quorum nullus jus habuerit, ut si ambo fuerint bastardi, ei competit assisa qui prius fuerit in seisina & possessione, donec majus jus habens per judicium recuperaverit; vel sic: Si duo se gerant pro hæredibus, & de eorum jure dubitetur, melior erit conditio possidentis. § 16. Cum autem donatio fiat ob causam, si donatarius ad alia vota convolaverit, & non satisfaciat conditioni, si ejiciatur per donatorem, per assisam non recuperabit, licet ab initio perfecta sit donatio, cũ causa non sequatur. § 17. Et sicut unus disseisiri poterit de re propriâ, sic plures possunt de re communi inter virum suum & ipsam uxorem, & de quo neutri sine alio competit querela: Competit tamen viro contra uxorem suam in casu, poterit enim tenementum esse commune inter duos vel plures, sicut bundæ metæ & rationabiles divisæ quæ ponuntur in terminis & finibus agrorum ad distinguend' prædia & dominia vicinorum, quorum, quilibet dominus est proprietatis, non tamen in solidum sed in commun', & talibus competit assisa conjunctim vel divisim, quia quicunque divisas araverit, lapidem vel arborem finalem amoverit & asportaverit, facit disseisinam, quia hujusmodi divisæ solo cedunt. § 18. Poterit etiam res esse communis inter plures, sicut inter cohæredes, participes in ten' communibus non partitis, & etiam inter vicinos in aliquo tenemento quod aliquando fuit litigiosum, & de communi voluntate relinquitur ad aliquem usum communem; & si quis ex talibus participibus alium suum participem disseisiverit, ejectus seisinam habebit versus participes suos ad tenend' in commun'. Si autem duos, quilibet suam habebit assisam, idem erit de pluribus in causâ possessionis adquirendæ ante partitionem hæreditatis cum semel fuerit adquisita; Et sunt ibi diversa jura licet de re incerta, de seisina verò propria si ejectus fuerit particeps unus vel plures, à participe vel à participibus vel ab extraneis personis, quilibet per se assisam habebit sine participe, quia plures sunt ibi disseisinæ; Et vice versa si unus vel plures cohæredes disseisinam fecerint cohæred' uni vel pluribus, sive extraneis uni vel pluribus, quilibet de facto suo per se respondebit, quia pœna tenebit suos auctores. Ante aditionem verò hæreditatis conjunctum est jus & seisina Antecessoris, & ideo conjunctim ad omnibus petere debent per ass' mor' ant' quia conjuncti sunt tanquam unus hæres: sed cum adita fuerit vel adiri inceperit, adhuc manet unum jus conjunctum ut seisina diversa communis tamen quousque fuerit partita, & ideo nullus sine alio respondebit cuicunque seisinam petenti, vel jus alicujus Antecessoris sui, nec in câ proprietatis neque possessionis per ass' mor' ant' cum omnia sint eis com'unia

proprietas

proprietas & possessio, & post divisionem hæred' communis erunt plures, seisinæ & plura jura separata, sed tamen non debet quis sine alio respondere in causa proprietatis nisi velit. Quod si faceret, nullum regressum haberet erga suos participes, si forte amitteret. Et quod dictum est de participibus, dici poterit de vicinis. § 19. Competit etiam assisa contra liberum hominem & servum masculum & fœminam, Clericum & Laicum, majorem & minorem, furiosum & stultum, & contra omnes spoliatores & tenentes, & non solùm contra eos qui spoliant & tenent, sed etiam contra illos quorum nomine spoliatio fit vel perquisitum, dum tamen ad hoc fuerint advocati, vel saltem quòd non deadvocati præcisè, vel quòd injuriam non emendaverint cum de hoc eis constiterit, quia non refert an quis propriis manibus ejiciat an per alium. § 20. Contra dominum verò Regem non habetur remedium per assisam, quamvis in electione spoliati sit, vel providere sibi per supplicationem versus ipsum Regem, vel quòd omnino procedat assisa versus spoliatores, hoc excepto, quòd ipse Rex in asisa non comprehendatur. Et si spoliator dicat, quòd sine Rege respondere non poterit cujus nomine fecit id quod fecit, non propter hoc differatur asisa, sed capiatur: Et si spoliator evidentem rationem & manifestam habeat, differatur in judicium donec cum Rege fuerit inde tractatum; sin autem, seisinam recuperet cum dampnis duplicatis tam versus Escaetorem Vic' & alios ministros reg' quam versus quascunq; privatas personas. § 21. Hæredes autem in hæreditatem Antecessorum succedentes à pœna disseisinæ sint quieti, teneantur tamen ad pœnam restitutionis per breve de ingressu, dum tamen lis in suis Antecessoribus extitit contestata, non obstante eorum minori ætate pro re vitiosa quam sunt ingresi; Et eodem modo de successoribus in rem litigiosam succedentibus, dum tamen prædecessor spoliator in brevi nominetur nomine dignitatis, & non nomine proprio tantùm, quia licet diversum nomen, eadem tamen dignitas manet. § 22. Contingit autem quandoque quòd spoliator rem transfert ad alium, & cum disseisitus asisam arrannare voluerit, spoliator timens asisam, suum spoliat feoffatum, super quem ipse spoliatus statim perquirit asisam, & tunc sunt duæ asisæ in unicam concurrentes personam, & utrique concurrenti competit asisa. Refert tamen cui primò competit, & revera in omni casu spoliationis, ubi plures asisæ arrannantur versus unum de uno ten', de ultima disseisina priùs erit cognoscend'. § 23. Et nota quòd tenens, dum non fuerit principalis disseisitor sed à disseisitore feoffatus, quamvis tanquam disseisitor nominetur, pro eo quod alius ab eo restituere non potest, vocare poterit ad warrantum suum feoffatorem sine alio brevi, si præsens sit in captione asisæ, & si absens fuerit, tunc observetur idem processus velut in asisa mor' Antecessor',

Quibus non competit Assisa. CAP. 3.

NUlli autem competit querela nec remedium per as' nov' dis' qui in possessione fuerit nomine alieno, quia, quamvis talis in possessione fuerit, non possidet tamen, quia ipse possidet cujus nomine possidetur. § 2. Item, non competit eis asisa qui statim annexo dn'o post disseisinam flagrante

grante disseisina sunt ejecti. § 3. Item, nec intrusori, nisi longum tempus habuerit & pacificum, & sufficere possit pro titulo. § 4. Item, nec Villano, vel Villanæ sub potestate domini existenti de Villenagio contra dominum suum, nec contra alios quoscunque, nec ratione personarum, nec ratione tenementi, nec etiam de perquisito contra dominum, quamvis contra alios quoscunque dominus sub cujus fuerit potestate hujusmodi tenementum in manum suam ceperit. § 5. Item, nec de terris perquirend' in manum mortuam, si à domino capitali infra annum vel à superiori infra alium dimidium annum ejiciantur. § 6. Item, nec ei qui se cognoverit ad Villanum disseisitoris, nisi exceptionem habeat sibi adjutricem. § 7. Item, nec ei à cujus ten' spoliata fuerint ædificia aliena per ignorantiam, vel mala fide constructa, & per ædificatorem asportata, nisi prohibitio præcesserit ne amoverentur, vel donunciatio ne fierent. § 8. Item, nec ei qui à tenem' ejicitur qui tenuerit per legem Angl' ratione liberorum qui convicti ad bastardos, vel quod hæredes non possunt esse quoquo modo. § 9. Item, nec donatario cum quo donator semper extitit in seisina, si à verò hærede ejiciatur recenter post mortem donatoris, secus verò ab extraneo cujus non interfuerit, & quo casu recuperabit propter commodum possessionis; verus tamen hæres post tempus per assi' mor' ant' recuperabit. § 10. Item, nec viro per se sine uxore de jure uxor' disseisito, nec è converso. § 11. Item, nec ei qui secundùm conventionem suam fuerat ejectus. § 12. Item, nec ei qui impeditur ratione vasti per ipsum facti, donec transgressionem emendaverit. § 13. Item, nec domino contra tenentem suū de servitio detento, cum districtio sufficiat & non sit vetita, vel per breve replegiata, & quo casu locum habet districtio. § 14. Item, nec ei qui semel se retraxerit coram Justic' ab assisa & à brevi. § 15. Item, nec ei qui semel bona per scriptum fieri sine solempnitate traditionis, quod non est in donatione. § 16. Item, nec mulieri clamanti dotem, quâ probatum est, quòd nunquam fuit ei cujus nomine dotatur legitimo matrimonio copulata, si à vero hærede ejiciatur. § 17. Item, nec viro tenenti hæreditatem uxoris à quâ prolem non suscitavit, si à vero hærede fuerit spoliatus. § 18. Item, nec secundo viro clamanti tenere per legem Angliæ, quamvis hær' habuerit ab uxore. Item, nec ei qui rem spoliatori dissimulando remiserit, vel omnino quietam clamaverit, vel injuriam condonaverit vel confirmaverit. § 19. Item, nec ei qui tenentem de eodem ten' per breve de altiori natura implacitaverit lite pendente. § 20. De cœmeteriis & hujusmodi dedicatis ten' in sacris, ac etiam de muris, theatris, stadiis, viis, & stratis publicis & aliis ad usum publicum deputatis non jacent assisæ, sed querelæ de transgressione, quia nulla singularis persona in hujusmodi rebus aliquod singulare jus sibi poterit vendicare, & ideo non disseisire.

De vi simplici & armata. CAP. 4.

DUo autem maximè paci sunt contraria, vis & injuria; Est autem vis majoris rei impetus cui resisti non potest. § 2. Est autem vis quotiens quis quod sibi deb' putat non per judicium reposcit. § 3. Viriū autē alia

alia ſimplex, alia armata, alia expulſiva omnino ſine armis, alia expulſiva cum aliis, alia clandeſtina & de nocte, alia publica & de die, alia juſta, alia injuſta, alia per violentiam, alia ſine violentia, ſicut in rem vacuam, alia perturbativa, alia inquietiva, alia ablativa, alia compulſiva, quæ quandoque metum inducit, alia injurioſa & illicita, alia juſta & licita, ſive fuerit ſimplex, ſive violenta, inermis vel armata. § 4. Eſt enim vis armata, non ſolùm ſi quis venerit cum telis, verum etiam omnes illos dicimus armatos qui habent quod nocere poteſt. Telorum autem appellatione omnia, in quibus ſinguli homines nocere poſſunt, accipiuntur. Sed ſi quis venerit ſine armis, & in ipſa certatione ligna ſumpſerit, fuſtes, vel lapides, talis dicitur vis armata. Et ſi quis venerit cum armis cum non uſus fuerit ad dejiciend', & dejecerit, vis armata dicitur eſſe facta: ſufficit enim terror armorum ut videatur armis dejeciſſe. § 5. Si autem cum dn's à peregrinatione vel à nundinis reverſus fuerit, & qui poſſeſſionem invaſerit ei prohibuerit ne ingrediatur, talis armis eſt ejectus, & talis vis dicitur eſſe repulſiva. Item, cum procurator generalis armatus venerit, ſive dominus hoc mandaverit ſive ratum habuerit, & ejicerit, ipſe dn's videtur armis dejeciſſe. Hoc idem dicendum erit in familia, cum ipſa venerit armata. Et quo caſu non videor eſſe armatus, ſed ipſa familia, niſi hoc juſſi vel ratum habui, & ſecundùm præcedentia qualitas facti pœnam habet graviorem vel minus gravem; Et quibus caſibus tales fiunt conſtitutiones. § 6. Quicunque autem de diſſeiſina cum robberia de aliquibus mobilibus vel catallis, vel abſque robberia, dum tamen vi & armis, convinci contigerit per recognitionem juratorum aſſiſæ, primò adjudicetur querenti ſeiſina cum dampnis tam ten' quàm catallorum ablatorum, eo inſuper pœna carcerali mancipetur, & inde redimatur pro tranſgreſſione, ſive præſens fuerit vel abſens; Et eodem modo fiat de diſſeiſitore uno vel pluribus convicto de diſſeiſina facta vi & armis, & ſine robberia: Et ſi diſſeiſitor non habeat unde dampna reddere poſſit, reſpondeat illi ad quorum manus ten' medio tempore devenerint, ita quod quilibet tenens pro ſuo tempore oneretur; ſive fuerit vis armata vel inermis, quælibet talis non erit injurioſa, quia armorum quædam ſunt tuitionis, & quod quis ob tutelam ſui corporis fecerit vel ſui jur' juſtè feciſſe videtur. Sunt etiam arma pacis & juſtitiæ, & arma perturbationis pacis & injuriæ, & ſunt arma uſurpationis rei alienæ, & talis vis dici poterit ablativa, undè ei qui juſtè poſſidet licitum erit cum armis repellere, ut per arma tuitionis & pacis, quæ ſunt juſtitiæ, repellat injuriam & vim injuſtam & arma injuriæ; ſed tamen talis cum diſcretionis moderamine quod injuriam non committat. § 7. Non enim poterit quis ſub tali prætextu hominem interficere, vulnerare vel male tractare, ſi alio modo tueri poſſit ſuam poſſeſſionem, & igitur qui viribus vult uti, erit viribus viriliter reſiſtendus; venit etiam quis ut juſtè poſſidentem cum viribus ejiciat, ſed cum poſſidens ei reſiſtat, quod opere adimplere non poſſit quod in animo habuit & voluntate, in aſſiſam non incidit; nec debet obeſſe conatus ubi injuria nullum habuit effectum.

De

De Brevi Novæ Disseisinæ. CAP. 5.

AUdito à superiore ad quem pertinet vim & injuriam propulsare, & ad quem recurritur de necessitate querela, statim transmittit breve suum vic' loci, in quo continebitur tam nomen querentis quàm ejus de quo queritur, sive fuerit unus vel plures; facta itaque impet'ione, statim tradatur br'e vic', ne per negligentiam & minus diligentem prosecutionem efficiatur seisina pacifica, quæ ab initio fuit litigiosa per diligentem impet'ionem. § 2. Officium Vic' in hac parte est, in principio pleg' recipere de prosequendo, nisi querens in Cancellar' Regis pleg' invenerit, vel aliam securitatem fecerit de prosequendo, ut per fidei interpositionem pro paupertate querentis, secundùm quod in brevi continebitur, & tales pleg' recipiat qui sibi sunt distringibiles & sufficientes ad misericordiam Regis solvendam, si querens forte se retraxerit, vel non fuerit prosecutus, alioquin ipse idem per pleg' habeatur; duo autem pleg' sufficiunt de prosequendo, quamvis plures fuerint in brevi querentis nominati, sicut vir & uxor, & plures querentes in communi. § 3. Ad Vic' verò pertinet quòd tenem' de quo fit querimonia reseisiri faciat de catallis quæ in ipso fuerint inventa. Hodiè tamen aliter observatur, quia querens omnia dampna post captionem assisæ per sacramentum Juratorum declandā recuperabit. § 4. Itē, quod ipsum tenem' cū catallis esse faciat in pace, hoc est, quod non permittat quod res ad alium sine judicio transferatur, vel qd' diss. seisinam sine judicio sibi usurpet, donec Justic' venerint, quod sic debet interpretari, qd' si spoliator rē spoliatā à recessu querentis à domicilio suo versus Cur' Regis alienaverit, dum tamē querens diligentē fecerit prosecutionē in impetrando, donatarius tenebitur ad restitutionē, quamvis in brevi non fuerit cōprehensus, nec à donatore escambiū consequatur, nisi sibi in seisina sua per breve de warrantia Cartæ cautiùs prospexerit, & interim faciat 12. liberos & legales homines de visneto illo videre illud ten'; per hoc præceptum pertinet ad Vic' qd' convenire fac' plures liberos & legales homines de visneto illo, & in præsentia partium, si velint interesse, inde eligere 12. qui neutri parti sunt affines essoniabiles vel suspecti, nec qui sunt languidi vel de stipite Villani, vel in alia Provincia commorantes, vel infra ætatem, vel nimis senes, quos statim mittat ten' illud videre; & non solum ab uno fiat visus vel tantùm à duobus, sed etiam ab omnibus, si fieri poterit, vel à 7. ad minus, quia assisa per pauciores visores procedere non potest; & qui debent poni in assisis, & qui non, decipiant istas constitutiones; quia hundredarii, ballivi & servientes Regis populum sibi subditum gravare consueverunt, ponendo in assisis & juratis homines languidos & despitos, perpetuo vel temporali languore detentos, ac homines tempore summonitionis in patriâ ante morantes, nec non etiam summonendo superfluam hominum multitudinem, ita quod quosdam dimitterent in pace prece vel precio, & à quibusdam denarios & alia munera extorquerent, per quod assisæ & juratæ frequenter per pauperes & insufficientes capiebantur, divitibus & discretis pro suo dando domi commorantibus: Statutum est quòd de cætero non summoneantur in una assisa plures quam vigin ti

viginti quatuor. § 5. Senes etiam 70. annorum & ultra, perpetuo languidi, vel etiam tempore summonitionis, infirmi, vel in patria non morantes in minoribus assisis non ponantur, nec juratis vel assisis, quamvis in eodem Comitatu capi debeant. Aliqui qui minus tenuerint quam 20. solidat' terræ per annum. § 6. Et si extra Comitatum, tunc non ponantur aliqui qui minus habuerint quam 40. solidat', exceptis duntaxat testibus in Chartis & scriptis. In magnis autem assisis milites terram habentes in Com' licet moram non facientes in eodem, pro defectu militum ejusdem Com' ponere licebit. § 7. Si quis autem ballivus convincatur quod contra hoc Statutum evenerit, restituet dampna gravatis, & in misericordia regis remanebit. Et habeant Justic' ad assisas capiend' assignat' cum in Com' venerint, potestatem audiendi querimonias singulorum conquerentium in præmissis, & justitiam exhibendi in forma prædicta. § 8. Et quia spoliatores potius viribus quam judicio utuntur, quod est manifestè contra pacem, ideo causare non poterunt quòd per quindenam non fuerint præmuniti secundùm rationem rationabil' summonitionis, ideò essoniam non habebunt, nec longas inducias, nec judiciorum solempnitates, sed pro voluntate Vicecom' attachiari poterunt. Quià sive quindenam habuerint, sive non venire poterunt per ballivos & per amicos suos, qui personaliter adesse non possunt. § 9. Et quorum responsiones admittentur ad districtionem Juratorum, & etiam ad declinand' assisam cognoscere cum non poterunt disseisinam remittere neque pacisci. § 10. Et cum Juratores visum fecerint, statim imbrevientur nomina, & summoneantur per bonos summon'., hoc est, per duos liberos homines, & ideò bonos quia terram tenentes, quod sint coram talibus Justiciar' ad certos diem & locum secundùm mandatum Justic' Vic' directum, parati indè facere recognitionem. Sed tunc refert utrum in Com' vel extra Com'. Ad quod nos instruit Magna Charta de Libertatibus, quæ dicit, quòd Communia Placita non sequantur Cur' Reg', sed teneantur in Banco apud Westm', recognitiones autem assisarum no. diss' & mor' ant' non capiantur nisi in suis Com'; Juratæ tamen alibi capi poterunt sine juris offensâ, non autem ass. no. diss' & mor' ant. § 11. Ad idem in constitutionibus secundis Westm' assignentur duo Justic' ad minus in singulis, Com' qui sibi associent de discretioribus militibus de Com' in quo declinabunt, coram quibus capiantur ass. no. diss' & mor' ant' & juratæ convictionum & certificationum, ad minus ter per annum, *viz.* semel inter quindenam Nativitatis Sancti Johannis Baptistæ & primum diem Augusti, & iterum inter Festum exaltationis Sanctæ crucis & Octabis Sancti Michaelis, & tertio inter Festa Epiphaniæ & Pur', & in quolibet Com' ad quamlibet captionem Assisarum antequam recedant, statuant diem de reditu suo, quod omnes de Com' scire valeant de eorum adventu. Et termino in terminum adjornent assisas super vocationibus warrantorum per resumonitiones & per defectus recognitorum, si ad unum diem earum capti differatur. Et si de aliqua causa viderint utile esse quod ass. mor. ant' per esson' vel per vocationes warrantorum, quod assisæ ponantur in respectum, tunc liceat Justiciar' partes adjornare in Banco, ut difficultates, si quæ fuerint, terminentur

Statut.

minentur ibidem. Et tunc mittant Justicar' de Banco Recordum cum brevi originali, & cum loquela perveniatur ad captionem assisæ, remittatur loquela cum brevi originali per Justiciar' de Banco ad priores Justiciar' assignatos, coram quibus capiatur assisa, & Justiciar' de Banco de cætero dent in hujusmodi assisis quatuor dies ad minus per annum. § 12. Apponatur etiam terminus in brevi nov. diss' quia ass. nov. diss' infra certum tempus limitatur & ultra non extenditur: Tempus enim modus tollendi obligationes & actiones, quia tempus currit contra desides & sui juris contemptores; & ita poterit quis amittere actionem & sesinam suam per negligentiam suam, & indè habebit tenens contra querentē exceptionem. § 13. Et unde fit talis constitutio quod in brevi de recto non narretur de longiori seisina quàm de tempore Regis Richardi. § 14. In brevibus nov' diss' & nuper obiit non nisi post primam transfretationem domini H. Regis patris Regis E. in Vascon'. In brevibus mor' ant' consanguinei. Avi de ingressu & de nativo habendo nisi à tempore Coronationis Regis H. patris Reg' E. § 15. Et sicut tempus est modus tollendæ obligationis & actionis, ita est modus inducendæ obligationis & actionis, & ex tempore adquirunt sibi plures actiones, ut si quis intruserit se in ten', vel alium injustè disseisiverit, si statim non rejiciatur, post tempus habebit actionem, si fuerit ejectus. § 16. Si quis etiam ingressum in Communiam pasturæ per usurpationem ante tempus quo currit as' mor' ant' non poterit inde ejici quin recuperet. § 17. Præterea si quis arentaverit in Curia sua finem pro pulchrè placitando à tempore quo Rex H. pater Reg' E. transfretavit in Britanniam, non poterit de hujusmodi redditu disseisiri. § 18. Mulieres etiam raptæ ultra 40. dies, nullatenus audiantur. § 19. Idem etiam parcorum & vivariorum ultra ann' in prosecutionem contra malefactores eorundem ab actione repellantur: & eodem modo ipsi qui Wreckum prosequitur vel Weyvium, vel qui finem velint clamare, & idem tempus limitatur in sectis petendis.

De modo Videndi in ten'. CAP. 6.

Missis itaque visoribus necesse est quòd discretè fiat visus quòd certa res in judicium possit deduci. Jurator' verum & certum facere possunt sacramentum, & Justic' proferre judicium. § 2. Videre autem debent Juratores utrum terra sit vel redditus, & utrum res sacra vel privata, & quale sit ten', utrum privatum vel commune, & quid & quantum querens posuerit in visu suo, utrum plus vel minus, quia, si querens superfluum in visu suo posuerit, in misericordia pro super demanda remanebit, sicut & in as' mor' ant' & utrum totum in uno Comitatu vel in diversis, in qua villa & in quo loco, & in qua parte loci, inter quos fines, & quos terminos tenem' contineatur. Si autem de redditu de Estoveriis bosci, de corrodiis vel liberationibus bladi aut aliorum victualium aut necessariorum, tolneto, tronagio, pontagio, passagio, & hiis similia, vel de custodiis Parcorum, Boscorum, Forestarum, Chacearum, Warrennarum, Portarum & hujusmodi officiis, vel de Communia pasturæ, turbariæ, piscariæ, & aliis communiis similibus fieri debeat

debeat visus, tunc fiat de ten' unde proveniunt, vel saltem de hiis ad quæ dicuntur pertinere, adeo de Abbatiis & Prioratibus, sicut de aliis locis privatis. § 3. Item, cum spoliatus visum faciat Juratoribus, videre debent an proprium sit vel commune, & si commune sit inter cohæredes vel vicinos, tunc fiat visus de toto ten' in communi à quocunque facta fuerit disseisina. Videre etiam debent an sit certe, sicut divisæ communes sunt quæ dividunt & distringunt dominia & fines agrorum, sive sit arbor, fossatum, lapis vel murus; regia quamvis communis sit, non tamen inter vicinos communis est; sed quicunque inde aliquid occupaverit excedendo fines & terminos terræ suæ, dicitur fecisse purpresturam super Regem & transgressionem: Et idem dici poterit de via militari, quæ ducit ad mare, & ad portus & ad mercata dici poterit. Sed de divisis prædiorum de consensu vicinorum factis secus, est, quod hujusmodi divisæ communes sunt & dicuntur divisæ, eò quòd agros dividant & ten'. Aqua verò currens non dicitur divisa, nisi quamdiu rectum cursum tenuerit, & cum alveum mutaverit desinit esse divisa inter vicinos. § 4. Item, sicut oportet facere visum de ten' de quo redditus provenit, ita videre oportet ten' propter quod præstatur redditus, ut si quis certum redditum constituerit alicui hær' suis de camera sua ut aquam ducere possit per fundum suum, & quo casu videre oportebit si talis aquam duxerit vel non duxerit. Item, si quis redditum constituerit quamvis eodem modo ut habeat in alieno fundo jus pascendi vel eundi vel quid tale faciendi, sive alius aquam duxerit vel diverterit vel quid tale fecerit, vel non semper tamen debetur redditus & pro redditu servitus, unde si aliquis ipsorum contrahentium recedere voluerit à contractu cum alius non voluerit non recedet, & unde ille qui servitutem concesserit redditum recipere voluerit, nihilominus tamen debetur servitus, ut jus eundi aquamve ducendi vel pascendi, vel hujusmod. Si autem servitus concedatur, & reddit' denegetur vel detineatur, vel sit locus vel ten' ubi districtio fieri posit, locus erit ass' nov' diss' quasi de libero ten', & si non sit ten' de quo redditus provenit, & de quo visus fieri posit, sufficit tamen si fiat visus de ten' propter quod debetur redditus. § 5. Item, videre debent si fiat aliquid in fundo alicujus injustè quod vicino noceat, ut si fossatum, vel murus, vel hujusmodi levetur vel prosternatur, vel aliud quid fiat tale ad nocumentum injustum vel injuriosum, nec sufficit videre tantum ten' quod nocet, sed etiam illud cui nocitum est. Item, si jus eundi vel pascendi, vel quid tale debeatur non sufficit videre ten' in quo jus illud constituitur, verumetiam illud ad quod jus pertinet, oportet enim videre ten' ubi pastura est, & ten' ad quod pertinet pastura. § 6. Si autem conquerens locum designat visoribus, nescit tamen designare in qua parte loci, sufficit si in aliquo loco detur ei seisina per sacramentum Juratorum. Si autem de certa parte loci constiterit, sed nesciat querens terminos & fines distinguere, eò quod termini & lapides finales amoti sunt fortè, tunc ei assignetur tantum quantum juratores crediderint ipsum esse disseisitum, quia etsi Justic' semper certum non possunt reddere judicium, eò quod de incerta re agitur apud illos, tamen hoc facere debent quantum eis fuerit possibile. § 7. Item, continetur in brevi pone per va'

&

& certos pleg' talem, vel ballivum suum si ipse inventus non fuerit, unde videndum erit quid pertineat ad dominum & quid ad ballivum; Ballivus enim non potest quicquid dominus poterit; Non enim poterit ballivus cognoscere disseisinam quo minus procedat assisa ad veritatem declarandam, nec etiam transigere, nec pacisci, nec locum petitum facere, nec aliud quo magis dominus suus seisinam amittat in toto vel in parte, nisi hoc sit per judicium & assisam sicut ipse dominus quare assisam vendicare debet imperpetuū vel ad tempus; dicere enim poterit contra Juratores, & causas suspicionis prætendere sicut ipse dominus, & etiam contra ipsum Justiciar' si forte jurisdictionem non habuerit, & contra querentem & contra breve, & generaliter omnes habebit exceptiones quas haberet ipse dominus principalis: Attornatus verò hæc omnia facere poterit; est tamen differentia magna inter Attornatum & responsalem. Item, habere debet vic' nomina pleg', quia si querens coram Justic' retraxerit, sic ipse & pleg' sui in misericordia remanebunt, & ejus facienda est securitas quem commoda sequi debent, quia si securitas defecerit, difficil' erit prosecutio misericordiæ satisfactionis propter libertates. § 8. Item, habere debet breve coram Justic', nam sine brevi cognoscendi non habebunt potestatem.

Nomina.

De Intentione quærentis. C A P. 7.

IN adventu verò Justiciar' partibus vocatis & non comparentibus omnes pleg' querentis & tenentis vel ejus ballivi erunt in misericordia, petens tamen semel poterit essoniari secundùm tenorem hujus constitutionis. In brevibus autem assisarum & attinctarum & juratarum utrum non habeat petens nisi unicum essonium, tenens autem nullum, nec tenenti nec petenti post apparentiam nullum essonium allocetur; sed faciant Attornatos si velint, alioquin capiantur assisæ vel juratæ per eorum defaltam, querens tamen eandem habeat actionem quam prius, sed per aliud breve consimile. Si autem querens venerit, & attachiatur non attachiatus & plegii sui in misericordia remanebunt, & in odium defaltæ capiatur assisa. Si autem venerit querens, & ille de quo queritur, statim capiatur assisa. Si verò querens simpliciter se retraxerit in quocunque fuerit placito, nunquam per consimile breve recuperabit, si incepta fuerit assisa, vel placitum quodcunque inceptū, & error fortè fuerit in brevis impetratione, ita quod cadere oportebit tanquam vitiosum, sive querens dicat quod sequi voluerit breve illud, vel se simpliciter retrahat, vel licentiam retrahendi petat, vel alio quocunque modo, ad melius tantum breve poterit recuperare, quia ad actionem non respondetur, nec contra actionem excipitur, sed tantum contra vitium & brevis errorem in se integ' manet & non incepta, & ideò nulli præjudicabitur retractio nisi ei quia brevi se retraxerit & actione; sed qualitercunque se retraxerit impunè non recedet, quia ipse & plegii sui de prosequendo in misericordia reg' remanebunt, nisi eis per justiciarios gratia recedendi concedatur. Si autem breve competens sit, nec excipi poterit contra personam, si res & actio in judicium deducantur, & non sit error in quantitate rei petitæ, & tunc petat licentiam recedendi, simpliciter recedat ab utroque, &

nunquam

nunquam per aliud breve consimile recuperabit. Si autem sic dicam, retraho me versus talem quia nihil tenet, fortè nihilominus recuperabo ad aliud breve versus alium qui tenet, quamvis versus non tenentem me retraxerim ab utroque, nec obstat mihi illa subtractio si non tenens de novo inceperit possidere, & super eum iterum impetravero, quia jam incepit actio de novo competere, quæ tunc non competiit, & non in tali casu semper est videnď utrum me retraxero de brevi tantum pro vitio & assisa tacitè vel expressè, & si eadem sit persona vel eadem res, vel diversa, & utrum actio primò non competiit quia tenens non tenuit, & petens competere incepit. Si autem tenens dicat, quòd nihil habet nec aliquid clamat in ten' de quo queritur, ab omni actione tam rei quam hujusmodi pertinentiarum excluditur imperpetuū, nisi ex novo contractu sibi aliquo genere adquisitionis generetur. § 2. Partibus autem in judicio comparentibus, & audito brevi patente per quod judices cognitionem habeant & jurisdictionem, ad officium eorum pertinet querentem de jure suo diligentissimè examinare, ut scire possint si actionem habeat vel querelam, & utrum recognitio procedere debeat in modum juratæ vel assisæ interrogare, vel etiam debent reum si ad ipsum pertineat exceptio, & qualis, qui si præsens disseisinam cognoverit, mittendus est gaolæ, eo autem si dissesinam cognoverit quæ est contra pacem, docere autem oportet petentem & plenius ostendere, quod sua intersit queri, quia non sufficit dicere, quòd aliquis disseisivit me de libero tenemento meo sic unde proponendo intentionem meam, nisi illam fundavero aliqua ratione probabiliter vel præsumptivè: ut si dicam quod talis disseisivit me de tali libero ten', oportebit me docere, qualiter fuit mihi liberum tenementum, vel denegabitur mihi actio, ita videlicet quod quia mihi descenderit ex causa successionis, escaetæ, reversionis, dotis vel ex aliqua alia justa causa adquirendi, & unde fui in seisina per tantum tempus, donec ipse de quo queritur me injuste disseisivit, vel saltem quod ten' illud, qualemcunque ingressum habuero, per tantum tempus pacificè tenui, quòd sine judicio non debui disseisiri, quia, cum quis agere velit quòd possessionem alicujus adipiscat, docere debet de jure suo per quod probet illam rem ad se pertinere, alioquin subcumbet actio, quod res illa non pertineat ad disseisitorem: Vel dicere potero in casu quòd qualitercunque tempus sive per longum sive per modicum, ad illum non pertinuit me disseisire, cum nullum jus haberet vel juris scintillam ejiciendi, nec aliquam actionem in causa proprietatis habere si ejiceretur. Et sicut necesse est quòd petens doceat in causa proprietatis quo jure, cum non sufficiat simpliciter dicere, quòd jus habeat in re, nisi doceat de jure: ita nec sufficit proponere querelam, nisi querens doceat jus querelæ, & quo jure ad ipsum pertineat, & quo titulo, an per titulum successionis hæreditariæ, vel feoffamenti & perquisiti, vel escaetæ, vel per alium. Si autem per successionem, tunc sufficiet ad liberum ten' habendum sola pedis positio, dum tamen sit verus hæres, & vacuam invenerit possessionem, & non solùm de mesuagio, verumetiam de toto quod ten' admittitur, quod secus esset de hærede non vero, sicut de bastardo in utroque membro, vel de hærede remoto, quibus non competit.

competit assisa, si à vero hærede ab ejus hæreditate ejiciantur, quamvis per dimidium annum fuerint in possessione; hujusmodi enim possessio potius dicitur intrusio quam seisina; vel si hæres remotus ingrediatur statim post mortem antecessor', & ambo diu simul manserint, & unus postea alium ejiciat, pro vero hærede semper judicabitur. § 3. De titulo autem liberi ten' per feoffamentum & perquisitum multa sunt consideranda, quia cum quis alium feoffaverit, statim transfertur liberum ten' in feoffatum, dum tamen feoffamentum illud nulli cedat in dampnum vel præjudicium; Et etiam si donator in donatione nihil sibi retinuerit nisi nudum dominium & servicium, alioquin non statim transfertur, nam si ten' ad terminum vitæ tantùm, custodes intrusores vel tenentes per feodum talliatum feoffamenta fecerint de facto, & de jure non possint, non statim fit donatariis liberum tenementum, nisi per tempus pacificum subveniatur, & si tales ejecti fuerint, & ipsi assisam portaverint, consideranda sunt remota absentia illius cujus interest tempus, notitiam portans ejus resistendi, & multa alia; Et similiter de Villano alienante Villenagium, & ballivo ten' in custodia sua existen' alienante, in quibus casibus non adquiritur donatariis liberum tenem' nisi ex longâ & pacificâ seisinâ. In titulo autem per escaetam, quæ quandoque adquiritur capitali domino per feloniam tenentis, vel cum tenens obierit sine hærede, & hujusmodi, in quibus casibus & hiis similibus sicut in reversione post feodum talliatum. § 4. In jure etiam quod alicui competit per formam donationis, de facili adquiritur liberum ten' perquisitoribus. In istis tamen duobus casibus diversa exigitur verificatio & intentio. Adquiritur etiam titulus per quietam clamantiam, per finem, per chirographatum, & per judicium Cur' Reg', & per patientiam disseisiti, & mulieri per dotem, & homini per legem Angliæ, & multis aliis modis; & unde si disseisitus in intentione sua probanda nullum titulum suæ possessionis velit exprimere, videtur quòd actione meritò debet expelli; & ut igitur certæ res in judiciũ deducatur certi reddantur Justiciarii, & in aliqua certitudine instruantur Juratores, oportebit Justiciarios interrogationes facere ad cautelam, de quo ten' tenens fuerit disseisitus, & qualiter sit ejus liberum tenementum, & de qualitate, utrum de terra vel de redditu. Et si de terra, utrum propria fuerit vel communis, publica vel res sacra, vel utrum sit hæreditas descendens, revertens, vel perquisitum, vel Escaeta, & utrum in feodum vel ad vitam propriam vel alienam, vel ad terminum annorum vel donec fuerit provisum vel habetur, ita quod ad minus præsumi possit quod suum possit esse liberum tenementum, quamvis fuerit alienum, dum tamen seisinam habuit quod sufficiens fuerit, ita quòd impune sine judicio non potuit inde spoliari, & quo casu necesse est de tempore seisinæ querend'; si autem de redditu, tunc inquirere oportebit, si de illo redditu qui domino capitali debetur, vel de redditu annuo de aliquo ten' percipiendo, vel de redditu cameræ, vel de redditu concesso pro aliquo ten' & pro aliquo jure tenendo vel libertate in fundo alieno. Oportet etiam inquirere si de corrodio vel aliis in constitutione, necnon & de quantitate ten', ut sciri possit utrum querens plus posuerit in visu suo quàm recuperare debeat per assisam, & ne querens

querens plus usurpet in seisina quàm recuperaverit per assisam. § 5. Inquirend' est etiam, utrum omnino ejectus fuerit vel repulsus vel impeditus, quo minus uti possit seisina sua. § 6. Et quamvis tenens docere nesciat quare liberum tenementum habeat, oportet tamen verum docere quod non habet, & quod justè se posuit in seisina, sicut per judicium justum, vel alio modo. Si autem proferat chartam donationis querentis,non sufficit,nisi sola voluntas donatoris probari possit in donatione. Si autem negaverit se possidere, dicens quod nihil inde teneat nec tenere clamat, non propterea remaneat quo minus assisa capiatur, per quam si convincatur quòd tenens sit, & quòd injustè possideat, querens tamen impunè ipsum ejicere poterit, præsentibus siquidem partibus, vel saltem querente & recognitoribus omnibus, quamvis disseisitor præsens non fuerit per se nec per ballivum suum, nec per alium qui per se verba facere possit,procedat assisæ recognitio per defaltam, quia nulli parcendum est, nec differenda erit assisa præ aliquo, & in quo casu non minus examinetur querens, nec minus instruantur Juratores.

De Exceptionibus contra Juratores. CAP. 8.

SUnt autem quidam disseisitores qui cum in judicio venerint aliquid volunt vel fortè nesciunt dicere quare assisa debeat remanere, sed statim negando quod disseisinam non fecerint, se simpliciter ponunt in assisam, & sic procedet assisa in modum assisæ, si omnes juratores præsentes sint, contra quos excipi non poterit, & si præsentes non fuerint, differatur assisa ad alium diem. § 2. Partibus verò in judicio comparentibus & juratoribus; excipi enim poterit contra Juratores multipliciter; eisdem enim modis amoveri poterunt à sacramento quibus & testes amoventur à testimonio. Repellitur autem sacramento infamis, qui aliàs convictus fuerit de perjurio, quia jam legem liberam amisit, nec ulteriùs dignus est legis libertate gaudere, quia publicè in legem commisit. § 3. Item, repellitur propter inimicitiam magnam dum tamen præsentem, secus verò propter levem, quæ si aliquando fuit, modo tamen non est. § 4. Item, propter amicitiam præsentem, sicut propter odium. § 5. Item, pro eo quod Jurator repulsus aliquod juris clamat in re petita de qua debet jurare. § 6. Item repellitur ille qui in patria non moram fecit, excommunicatus, & senex habens 70 annos & ampliùs, servus absque sacramento Juratorum simplici testimonio conjuratorum absque sacramento, dum tamen à pluribus dictum fuerit & testatum, quòd fuerit in statu servitutis, & in possessione domini sui constitutus ut servus. § 7. Item, propter nimiam familiaritatem, consanguinitatem & affinitatem præsentem, quia fere paribus passibus incedunt, nisi eadem familiaritate, consanguinitate & affinitate vel consimili alteri parti sit conjunctus; & idem dici poterit de amicitia & inimicitia. § 8. Item, repellitur si fuerit cum eo, pro quo jurare debet, commensal' continuè vel de ejus familia, & similiter, si ita sit sub ejus potestate quòd ei possit impetrari vel nocere vel justè distringere pro consuetud' vel serviciis. § 9. Item, repellitur Jurator si fuerit eadem causa sicut una partium, vel si fuerit advocatus alterius partis domini vel consiliarius.

De

De Veredicto Juratorum. CAP. 9.

Cum autem partes in Juratores consenserint, statim procedat assisa, qui per hæc verba jurabunt. Hoc auditis Justiciarii, quod veritatem dicam de assisa ista & de ten' de quo visū feci per præceptū Regis; vel sic, de ten' unde talis reddit' provenit, vel de pastura, vel de ten', vel de com'ia unde visū feci: vel si assisa arranentur de aliquo quod fiat ad nocumentū in fundo unius quod noceat fundo alterius, tunc dicatur, de eo quod nocet, & postea quod ten' cui nocitum est; si de muro & ten' hujusmodi unde visum feci; & ita generaliter de omnibus ratione quorum capiuntur assisæ & principaliter, & tunc dicant, & pro nihilo omittā quin veritatē dicam, sic Deus me adjuvet & hæc sancta. Postea jurent alii, sic, Tale sacramentum quale iste primus juravit tenebo erga me: sic me, &c. Et si plures assisæ capi debeant sub uno sacramento, tunc sic, de assisis & ten' de quibus visum feci; vel sic, de assisis & ten' istis, & similiter de ten' unde talis redditus provenit: vel sic, de talibus ten' & communia pasturæ, vel hujusmodi ten' de quibus visum feci: vel sic, de assisa ista & corrodio, & ten' unde visum feci; Et sic de omnibus aliis assisis nov' diss' mor' ant' & ultimæ præsentationis & aliis. § 2. Facto autem sacramento tunc legat prænotarius virtutem Juratorum; hoc quidem modo, Vos dicetis per sacramentum quod fecistis, si talis N. injustè & sine judicio disseisivit talem N. de libero tenemento suo in tali villa post triennium, vel non. Justiciar' etiam ad instructionem Juratorum recitabunt querelam petentis, & ipsis injungent dicere prout tutius fuerit faciend': & tunc recedant Juratores, & inde ad invicem interloquantur, ad quos si aliquis non juratus accedat, vel colloquium cum eis habeat sine licentia Justic', committendus est gaolæ, dum tamen per malitiam hoc fecerit excogitatum, & Juratores in misericordia nisi rationabilem prætenderint excusationem, nec ipse etiam signo vel verbo alicui manifestent quod fuerint in veredicto suo prolaturi. Si autem Juratores sibi invicem fuerint contrarii, quia in unam non poterunt consentire sententiam, in electione Justic' erit vel de consilio Cur' assisam afforciare per alios, dum tamen summonitos juxta numerum majoris partis dissentientis, vel eosdem Juratores compellere ad concordiam, quòd vic' videlicet ipsos sine cibo & potu custodiri faciat, donec unanimes fuerint & concordes. § 3. Cum autem post sacramentum suum, pro una parte vel alia veredictum suum dixerint, & secundùm eorum dicta proferatur judicium, nisi quid dixerint obstructum propter quod Justic' inducantur ad examinand', alioquin adjudicabitur seisina querenti, vel ipse tenens quietus recedet cum seisina sua; contingit tamen quandoque quòd eorum alter vel ambo in misericordia remaneant; Et si plures fuerint disseisitores nominati, quidam cadunt in pœnam disseisinæ, & quidam quieti recedūt. Si autem querens prosecutus, quamvis ipse in misericordia remaneat, plegii tamen ejus de prosequendo erunt convicti, licet judicium habuerit sibi contrarium. § 4. Possunt autem recognitores veredictum suum brevibus & paucis verbis pronunciare, dicendo quod sic nunquam fuit seisitus, quod de libero tenemento suo potuit inde disseisiri, vel præcisè quod

disseisitus sit, vel hujusmodi; verumtamen si difficultas oriatur vel obscuritas, tunc necesse habent facti veritatem declarare, vel narrationem expressam, & quo casu si Juratores ignoraverint si manifesta fuerit disseisina vel non, compelli non debent ulterius, sed petere debent instructionem Justic', quibus si difficile sit judicium pronunciare, tunc ponatur judicium usque ad bancum, ut ibi de consilio Cur' provideatur qualiter in hac parte fuerit judicand'. § 5. Si autem plana omnia sunt, cum benè juraverint, stabitur eorum veredicto. § 6. Si verò malè, locus erit convictioni, & si dubiè vel obscurè, ubi unica dictio vel ratio duplicem habere poterit intellectum, vel si partes nimis bene fuerint examinatæ, locus erit certior; Vidend' est igitur utrum certum dixerint vel incertum, clarum vel obscurum, vel utrum dubitaverint in veredicto suo vel omninò ignoraverint, vel si aliquid dixerint contra personam querentis quare assisam parcare non possit, vel contra personam tenentis quare contra assisam excipere non possit, vel contra breve quod stare non possit propter errorem. § 7. Si autem Juratores factum omninò ignoraverint, & nihil de veritate sciverint, tunc dicere oportebit de crudelitate & conscientia, & quo casu non committunt perjurium, quia contra conscientiam non vadunt. § 8. Si autem falsum dixerint contra personas, convincendi sunt, quia capienda erit assisa in modum assisæ, secus verò si in modum juratæ, ut si causa status conventio vel hujusmodi conventio aperte parti opponeretur, & utraque pars de hoc se poneret in juratam, cum aliam fortè non haberent probationem. Si autem juratores dicant quod breve ineptè fuit conceptum, quia erratum fortè in Comitatibus, nominibus villarum, personarum, vel dignitatum, vel in cognominibus, vel hujusmodi, non erit hoc multum curand', quia hoc ab initio non fuit à tenente excipiendo objectum, quia ex quo semel in assisa se posuit, errorem dissimulans, breve tanquam validum approbavit, & quamvis recognitores in hac parte erraverint, perjurium tamen non committunt, cum falsitati non consentiant, & qui errat non consentit, & quia ad judicem pertinet justum proferre judicium & reddere, diligenter oportebit eum deliberare & examinare si dicta juratorum in se contineant veritatem, nec eorum sequens errorem fatuum vel falsum ferat judicium. § 9. Post hoc insuper inquirant Justic' diligenter, quæ dampna facta sint in domibus, boscis, gardinis & locis aliis, & quod vastum fecerint disseisitores, quod exilium & quam destructionem, & quid medio tempore perceptum fuerit in fructibus, redditibus & aliis terrarum commoditatibus, & quale commodum spoliatus habuisset, si à ten' non fuisset ejectus: Et de omnibus rebus & catallis ablatis certificentur. Ex virtute autem brevis habetur, quòd cum ipso fundo restitui debent catalla tempore spoliationis inventa, utpote sunt arma, utensilia, oves, & boves & hujusmodi, & quæ restitui debent etiam sine re ipsa, & de quibus duplicem actor habeat actionem, criminalem & civilem, & quæ si non restituantur, semper tamen durabit jurisdictio Justiciar' dum recordum habeat donec sibi fuerint restituta, & non solùm quæ propria fuerint ipsius disseisiti, verumetiam omnia illa qui sibi commodata fuer', impignorata vel deposita, vel quorum usum vel usumfructum habuerit, & donec de bestiis

medio temporis mortuis plena fiat restitutio, quia licet disseisitor amiserit & dampna sensierit, hoc tamen erit imputand' disseisito; tenebitur etiam disseisitor ad casus fortuitos, ut si ædes incendio consumptæ fuerint, earum pretium restitui debet per assisam; & non solum restituendæ sunt res quas il ic habuit disseisitus, cum disseisiretur, verumetiam sive in eo loco à quo dejectus est, sive in omni possessione quæ ad aliquam partem possessionis refertur, qua quis caruit cum disseisiretur.

De exceptionibus injustè propositis & aliis. CAP. 10.

AUt caveant sibi de cætero qui nominati sunt seisitores, quia falsas exceptiones proponunt, per quas captio assisæ differatur, dicendo quòd assisa aliàs transivit inter easdem partes de eodem ten', vel dicendo in mentiendo, quòd breve de altior' natura pendet inter easdem partes de eodem ten', & super hiis & consimilibus vocet rotulos vel recordum ad warrantum ut per illam vocationem asportare posset vesturam & levare redditus & alia proficua ad magnum detrimentum querentis, quia namque licet prius aliam partem non habuit ille qui hujusmodi falsas exceptiones mendaciter proposuit, nisi tantum quòd post mendacium suum convictum processum fuit ad captionem assisæ, provisum est quòd si quis disseisitor nominatus personaliter proponat hujusmodi exceptiones, si defecerit de warranto quod vocavit, habeatur pro disseisitore absque recognitione assisæ & restituat dampna prius inquisita, vel post inquirenda in duplo, & nihilominus pro falsitate sua puniatur per prisonam unius anni, & si illa exceptio proponatur per ballivum, non propter hoc differatur captio assisæ, neque judicium super restitutione seisinæ & dampnorum. Ita tamen quòd si dominus illius ballivi qui absens fuit veniat postea coram Justic' qui assisam illam ceperint, & offerat verificare per recordum vel per rotulos quòd assisa aliàs transivit de eodem ten' inter easdem partes, vel quod querens aliàs retraxit se de consimili brevi, vel quod placitum pendet per breve de altiori natura, fiat ei breve ad faciend' venire super hoc Recordum; & cum illud habuerit & Justiciar' viderint quòd Recordum ante judicium ei valuisset, ita quod tenens ab agendo illa vice saltem repelleretur, statim faciant Justiciar' scire parti quæ recuperaverit, quòd sit coram eis ad certum diem, ad quam rem habeat defendens seisinam suam & dampna sua si qua prius solvit per primum judicium simul cum dampnis quæ habuit post primum judicium redditum, & illa restituantur ei in duplo, ut prædictum est, & nihilominus puniatur ille qui primo recuperavit per prisonam secundùm discretionem Justiciar': & eodem modo si defendens contra quem transivit assisa ipso absente ostendat cartas vel quietas clamantias super quarum confectione non fuerunt juratores examinati, nec examinare poterunt pro eo quod tunc non fiebat mentio in placitando, & probabiliter ignorare poterunt confectiones hujusmodi scriptorum Justiciar' visis scriptis, vel fac' scire parti quæ recuperaverit, quòd sit coram eis ad certum diem, & similiter ne jur' fac' coram eis juratores ejusdem assisæ; Et si per veredictum juratorum vel fortè per irrotulamentum scripta illa verificaverit, puniatur ille qui assisam impetravit

petravit contra factum suum, per pœnam supradictam. § 2. Quædam autem sunt quæ restitutionem impediunt ad tempus,& quædam imperpetuum, pœnis debent terminari, quia exceptionem perimunt cum post fuerint proposita & terminantur in modum juratæ & non in modum assisæ, & ideo non recipiunt convictionem propter consensum partium, cnm de hoc se gratis vel necessitate ne sint indefensi posuerunt se in juratam, qualia sunt quæstio status cum successionis causa, donationis pactum sive conditio vel conventio, incertitudo, voluntas & dissimulatio, transactio vel quieta clamatio, vel remissio, confirmatio sive consensus, propria usurpatio rei propriæ, difficultas judicii, justum judicium, finis & chirographum, intrusio in rem alienam vel disseisina, si in incontinenti rejiciatur, negligentia, quæ per cursum temporis excludit actionem & assisam. Sunt autem exceptiones in ass. no' diss. quæ competunt contra breve & assisam differunt, sed non perimunt; Et sunt quædam contra personam querentis, quæ assisam omnino perimunt. Est enim peremptoria brevis & dilatoria judicii & quod præparatoria quantum ad personam unius, & dilatoria judicii, & non peremptoria quantum ad personam alterius: ut si querens actionem non habeat, licet alius, & competat actio alteri, non sibi, & sicut competit contra personam, ita & contra assisam, & si breve non valeat ab initio, non erit ulteriùs procedend'; quòd si valeat, tunc recurrend' est ad personam, & vidend' si competit ei querela vel non; postea verò ad assisam si tenens injustè & sine judicio disseisiverit ipsum tenentem de libero tenemento suo, sicut dicit in tali villa post terminum. § 3. Inprimis excipere poterit tenens super jurisdictionem Justic' ut supra, & concessa jurisdictione excipere poterit contra breve, ut si non sit competens actioni, vel si in se sit vitiosum, ut si rasura fuerit in loco suspecto ubi nomina scripta fuerint, & non juvat si appensum fuerit sigillum adulterinum, vel si non habeat verbis Cancellariæ ordinatam dispositionem,nec verborum ordinem,nec stylum calami: suspicio verò esse poterit de brevi cum non concordet manibus notariorum, & etiam in rasura nominum locorum ten' & date & aliorum quæ sunt judicii principalia. § 4. In aliis autem quæ jur' non est multum curand' de rasura. Jura enim & constitutiones & ea quæ omnibus sunt communia ubique scribi possunt, nisi hujusmodi suspicionem inducant calami diversitas vel atramenti. Si autem in loco suspecto inveniatur rasura vel correctio, tunc distinguend' erit an facta fuerit correctió vel incrementum quando breve sigillat' vel post, sicut per clericum vic' vel Justiciar'; quod si ante, sustinend' est: si autem post & inde quis convincatur ultimo puniendus est judicio tanquam falsarius. § 5. Item vidend' erit si tempore date aliquam habuit occasionem impetrand' vel nullam. Item, si querens de consimili brevi, & etiam assisa omnino retraxerit. § 6. Item, si prius inceperit agere de seisina aliena quam de propria,ut per breve de altiori natura li. pen. ordine actionum non obobservato. § 7. Item, si impetratum fuerit contra jus commune quod plures querentes in uno brevi contineantur ubi diversæ sunt disseisinæ & res partitæ,& non in communi; error autem perimit breve,sed non judicium neque assisam. Error vero multipliciter in persona querentis esse poterit, ut si er-

De errore brevis.

raverit in impetrando contra personam ejus qui nomine possidet alieno & non proprio, ut Firmarius, Custos vel Canonicus. Perimitur autem breve propter errorem nominis ut si Matthæus ponatur pro Andrea; & etiam cognominis, ut si ponatur Matthæus filius Willielmi, ubi dici debuit filius Petri. Et idem erit si erratum fuerit nomine villæ vel in litera vel syllaba, vel in nomine dignitatis, vel cum filius eodem nomine vocetur sicut ejus pater, quamvis idem nomen habeant & cognomen, non tamen recuperabit quia erratum est in persona & actione, quia filio nulla facta est injuria, sed patri. § 8. Error autem quandoque versatur circa personam sive circa corpus, quandoque circa officium sive dignitatem, quandoque circa ipsam rem, & quandoque circa causam. § 9. Circa personam dupliciter, ut ex negligentia vel imperitia impetrantis, & quandoque ex dolo adversarii. Si quis vero binominis sit sine nomine proprio vel cognomine, illud nomen tenend' erit quo in partibus vel frequentius & communius appellatur. Cognomina enim ideo imposita sunt ut voluntatem dantis demonstrent & utantur vocis ministerio. Ex imperitia verò impetrantis, ut si quis nominaverit Petrum pro Paulo, & idem erit in errore prænominis, agnominis, cognominis, idem etiam erit in errore nominis appellantium, ut si vestem posuerit pro pecunia ; ex dolo adversarii, ut cum adversarius dolose in absentia impetrantis convincat possessionem, ut sic breve suum commutat & querelam, dum tamen ante brevis impetrationem facta fuerit transmutatio, & ante recessum querentis versus Cur' ad impetrand'. § 10. Poterit etiam error esse circa officium sive dignitatem, ut si quis præcentorem nominaverit pro decano. § 11. Circa ipsam vero rem; ut si quis nominaverit vineam ubi nominare deberet Ecclesiam, vel lanceam ubi vestem. Rerum enim vocabula immutabilia sunt vel quasi, & hominum mutabilia. Error etiam poterit esse in qualitate rei & quantitate, in precio, numero, ponder & mensura, in genere, colore & loco. Circa causam, ut si quis impetrando dederit intelligi quod juste possideat cum non fecerit, & tunc vidend' est si causa sit caussalis, & tunc non impedit processum, vel conditionalis, & tunc impedit omnino. § 12. Circa locum, & si disseisitus impetraverit ad vic' in cujus com' ten' non fuerit, vel si dicat ten' esse in una villa, cum sit in alia, vel si dicat ten' esse in hameletto pertinente ad villam, & non in villa ; agris enim sunt termini positi & ædificia tollata & vicinata, ex quibus fiunt hamletti, villæ tamen manent, & eosdem habent terminos & sua tenem' diffinita ut primus quod prius dignius, & à digniori fieri debet denominatio, quamvis ambo fuerint in una, quia villa continebitur in alia, & sic poterit ten' esse in utraque. § 13. Plures autem sunt exceptiones contra breve inferius assignatæ in causa proprietatis, quarum quædam locum habent hic, quædam verò non: Et sunt quædam exceptiones quæ hic assignatæ sunt contra breve in causa possessionis, quæ locum habent hic & non ibi. § 14. Si autem breve fuerit deperditum vel deletum, sequitur quod eo ipso cessabit jurisdictio Judicis quasi deficiente suo warranto, quia si judicium non cessaverit & Recordum coram ipso rege debeat demandari, nisi breve originale mitteretur cum Recordo non esset Recordum admittend' sed remittend' & vanum'

De exceptione in persona querentis.

&

& pro nullo haberetur, quia deficiente warranto, & caderet Justic' in aſsiſa cum vic' & tenente, ſi ſeiſina in hoc caſu fuerit petenti adjudicata, & quicunque convincatur, & de hujuſmodi malitioſa ſubtractione carcerali cuſtodiæ committetur, ibidem moraturus donec regium favorem per condempnationem, redemptionem, vel alio modo valeat adipiſci.

De Exceptionibus ſtatus. CAP. 11.

Competit etiam exceptio tenenti contra querentem ex perſona querentis, ut ſi querens excommunicatus fuerit, quod ſi ten' hoc docuerit per literas Ordinarii patentes, oportebit querentem docere de abſolutione priuſquam audiatur; dicere etiam poterit quod querela ad ipſum non pertinet, niſi aſsiſa, quia non tenuit ten' petitum nomine proprio, ſed alieno, ſicut procurator, Cuſtos, Firmarius, ſervus vel familia, & quo probato vel recognito cadet aſsiſa, quia talibus non competit aſs', quia tali proprio tenuerint per diſſeiſinā vel intruſionē, & tempus habuerit, quod ſine judicio diſſeiſiri non debuiſſent. Si autē tenens dicat quod querens ſervus ſit & tenuit ten' petitū in villenagio, cadet aſsiſa, quia alienū petit nomine proprio, niſi replicando docere poterit contrarium quod libere tenuit, nec ſufficit ipſum probare ſervū alienū, niſi probetur quod in villenagio tenuerit contra dominum ſuum, ſufficit ipſum probare ſervū ſuum, & in poteſtate ejus conſtitutum, quamvis ten' petitum in villenagio non tenuerit, & hoc probare licet dupliciter, vel per parentes, vel per aſsiſam, & quo comperto cadit actio & aſsiſa, donec in cauſa proprietatis ſe probaverit ipſum eſſe liberum, & quo caſu non nocebit ea probatio propria cum nihil operatur niſi ad declinand' aſsiſam. § 2. Et quia ſervus eſt aliquando ſub poteſtate domini conſtitutus, & in ſtatu ſervili, & in poſſeſsione ſervitutis, & aliquando extra poteſtatem in ſtatu libero, & in poſſeſsione libertatis. Aliquando etiam tenet liberè, & aliquando in villenagio, & quæſtio ſtatus cum incidat in aſsiſam præjudicial' ſit, & ideo vidend' eſt cui objiciatur & à quo cui, utrum ſervo qui fuerit ſub poteſtate domini conſtitutus, proprio vel alieno, bona fide poſſeſſo vel libero, ſub poteſtate exiſtenti in ſtatu ſervili qualitercunque per vim & injuſtam detentionem, ſive per copulam maritalem, vel ei qui omnino fuerit extra poteſtatem, & tunc utrum ei qui fugitivus ſuus fuerit, & recenter fugit de terra ſua, & recenter fuit inſecutus, vel non recenter; ita quod ſine brevi revocari non poſsit in ſervitutem: vel ei qui nunquam fuit ſub poteſtate ſua, ſed de nativis ſuis à terr' anteceſſorum ſuorum, vel eis qui omnino fugitivi ſunt, exceptione tamen perpetua inimici, vel privilegio, quibus ſemper tueri poſſunt, quia nunquam forte à terra opponentis fugerunt & hujuſmodi, vel quia manentes in Civitate aliqua, vel villa privilegiata, vel dominico Regis per unum annum & unum diem, ſine clameo domini, vel privilegio clericali, vel militiæ, quorum ordines pro privilegio ſufficiunt donec per aliquod judicium fuerint degradati. § 3. A quo, utrum à proprio domino vel alio; & in qua cauſa, utrum in judicio petitorio vel poſſeſſorio. § 4. Si autem exceptio ſervitutis apponitur ſervo proprio opponentis ſub cujus fuerit poteſtate conſtitutus, cum talis ſervus exceptionem habere non poſsit, neque actionem contra

contra dominum suum, quia quicquid per ipsum juste adquiritur id domino adquiritur; & cum ipse à domino suo possideatur, nihil possidere potest, nec aliquid proprium habere, nec oportebit producere parentes, sed sufficit si per assisam tantum probetur, quoniam si servus recusabit, denegabitur ei actio, & si Juratores malè juraverint, convincendi sunt per parentes; verumtamen si parentes producantur qui querentem suum sub potestate domini constitutum probaverint triantur per hoc tam causa status quam assisa, & talis liberabitur domino suo ut villanus suus. § 5. Idem erit si villanus domini constitutus contendens se esse liberum, perquirat breve quod dominus non exigat ab eo alias consuetudines, vel alia servicia, quam ea quæ de jure facere debet, si dominus opposuerit villenagium, & parentes produxerit utrum per hoc triabitur, quamvis indirectè. § 6. Item erit cum Ballivis à domino suo Justic' non possit quod ei faciat servicia, vel cum villanus breve de pace perquisierit cum sit sub potestate domini, & nullum breve naivitate præcesserit, & dominus sibi perquisierit per breve quod faciat ei consuetudines & servicia quæ ei facere debet de ten' quod de eo tenet in villenagio, & petens produxerit, & probaverit villenagium, utrunq; terminabitur quamvis indirectè, sive liberum tenuerit villenagium, sive villanus, & in hoc casu querens se ponat in assisam velit nolit, vel negabitur ei actio, quod secus esset, si esset extra domini potestatem. § 7. Si autem servo objiciatur alieno vel libero, in statu tamen servili possesso & constituto, tenebit exceptio donec ille lib' in servitute detentus se liberum probaverit, & donec servus probetur alienus. Si autem servo alieno bona fide possesso à possidente objiciatur hujusmodi exceptio parentes produci non debent, sed stand' erit præsumptioni, & tenebit exceptio propter possessionem donec possessus se probet liberum; Et eodem modo si servo alieno bona fide possesso semper stabitur exceptioni donec verus dominus eum evincat, & sive ille qui possidet aliquo casu parentes illius produxerit ad proband' non valebit, quia per hoc non probabit eum esse suum servum, quamvis alienum, cum parentes sui servi sunt alieni. § 8. Cum autem opposita fuerit à vero domino ei qui fuerit extra potestatem domini sui qui recenter fugerit, tenebit exceptio contra eum quamdiu domini eum repetere possit sine brevi & licite capere si in feodo inveniatur, sed cum ad villanum suum recuperandum habere non possit regressum, nisi per breve, non valebit exceptio, donec fugitivus in domini venerit potestate; quia cum dominus servum suum possidere desierit per impotentiam vel negligentiam, & utramq; possessionem amiserit, naturalem & civilem, tempus nec locum habebit exceptio, sed villano competit restitutio per assisam, & dominus nisi in causa proprietatis versus eum non habebit actionem, sed cum corpus disron'averit in causa proprietatis, tunc adjudicabitur domino, cum omnibus terris, bonis & catallis suis, & tota sequela sua, nec prius sibi quicquam auferri poterit, quin servus recuperet, tamen quia non poterit quis recuperare nec habere pertinentia antequam habuerit id ad quod res pertineat, tamen quia vana essent verba in brevi contenta, nisi rex præceperit tali quod habere faciat tali talem nativum & fugitivum suũ, cũ tota sequela sua, & cum catallis

lis suis, & unde si catalla servi fugitivi sine judicio usurpare possit, illud verbum (catalla) perperam esset positum, & effectum non haberet. Quod etiam jur' clamare poterit dominus in catallis vel ten' quasi in accessorio cum nihil jur' clamare poterit quod est principale, sed revera in quæstione status per breve de nativis, obstabit semper domino petenti exceptio spoliationis, donec servus restituatur ad plenum; & semper prius inquirend' erit de spoliatione, & inde fiat plena restitutio, quam de statu; sed refert utrum queratur, & petat restitui de spoliatione propria, vel petat sibi rem reddi de possessione aliena, sicut de seisina alicujus antecessoris servi quam antecessor habuit de quo obiit in causa possessionis ut de feodo. § 9. Cum igitur dicat querens quod injuste disseisitus fuerit, oportet quod tenens ostendat quod justè & quo jure, quia forte statim post disseisinam querentis ad quod replicari poterit quod injustè, eò quod post longævum intervallum, & ubi sibi perquirere debuit fecit se justiciari; vel sic justè, quia querens nullum habuit, nec liberum ten', nec feodum, quia per disseisinam vel intrusionem; nec hoc valebit, quia si disseisitus nullum habeat jus tenendi, ille qui ejicit nullum habuit jus ejiciendi, quia si disseisitus justè fuit in possessione quantum ad ipsum ejicientem qui nihil jur' habet; vel si dicatur quod justè quia servus est, & non potest assisam portare, sed non sufficit cum non sit servus, & ideo nihil ad eum, nec dicere poterit quòd justè eum ejecit cum sit servus alienus, quia sic non defenditur, ex quo nihil ad eum quod dicere potuit, quia res fuit empta de denar' suis sicut posset dicere verus dominus. § 10. Item sine judicio, quia si disseisitor ultimus judicium expectaret, & actionem petere vellet, nullam in mundo inveniret quæ ei competere possit. Et ideo cum nullam habere possit actionem, nulla ei competere debet exceptio contra servum qui alienus est omnino, quia sic sequeretur hoc inconveniens quod retinere posset per exceptionem & malitiam quod nunquam adquirere posset per actionem, & cum exceperit de servitute quamvis hoc verificare petat per assisam, querens tamen contra extraneum non dominum, non habet necesse replicare de libertate, quia si gratis inde se poneret in assisam, & de statu servili convictus esset, non tamen propterea convictum erit quod non ipsum injustè non disseisivit, cum sit servus alienus & non suus. Et si dominus servi habere non possit assisam ex quo ten' nondum cepit in manum suam ante disseisinam, nec ipse servus sic sequeretur, quod terra remaneret cum disseisitore, & sic de malitia lucrum reportaret, quod esse non debet; sequitur ergo quod exceptio servitutis in ore extranei locum habere non debeat, cum ille qui in possessione fuerit majus jus habeat in re possessa, quam ille qui fuerit extra, cui nullum jus competit; & ideo semper in tali casu prius terminanda erit disseisina & spoliatio, quam quæstio status. § 11. Nullus autem in statu libero existens necesse habet ponendi statum suum in assisam vel juratam, verumtamen si hoc per stultitam fecerit, non tamen præjudicabitur statim, nisi tantum ad hoc quod assisa non procedat, licet producti fuerint parentes ad exceptionem proband', quilibet autem in tali casu petere debet judicium, si ponere se debeat in assisam de aliquo quod tangat statum suum antequam fuerit de spoliatis restitutus

ſtitutus, ut ſi tenens exceptionem weyviare voluerit, nec querens replicationem, ex officio Judicis capienda erit aſſiſa utrum diſſeiſitus fuerit vel non; & eodem modo de libero exiſtente in ſtatu ſervili, & de omnibus præterquam de villano ſub poteſtate domini conſtituto tenente villenagium de eo, contra quem nullum liberum ten' poterit vendicare. Si autem ſervus ſub poteſtate domini ſui perquiſitum fecerit tenend' libere, & feoffator ſuus eum inde ejecerit antequam dominus ten' illud ceperit in manus ſuas, ſtatim competit actio villano per aſſ. no. diſſ' & non domino contra feoffatorem ſuum, & omnes alios præterquam contra verum dominum ſub cujus poteſtate fuerit conſtitutus, non obſtante exceptione villenagii, & ubi ſequitur aſſiſa no. diſſ. in perſona anteceſſoris ſequitur aſſiſa mor' ant' in perſona hæred' & verſus eaſdem perſonas. § 12. Si autem à domino ſuo feoffatus fuerit tenend' liberè ſibi & hæredibus ſuis, ſi per dominum ſuum poſtea ejiciatur, competit reſtitutio per aſſiſam contra dominum ſuum, & contra omnes quamvis aliam terr' tenuerint in villenagio de domino, non obſtante exceptione villenagii, quia villenagium non aufert à libero libertatem manumiſſionis. Sed ſi dominus ſervo ſuo petenti opponat exceptionem, ſervus habebit replicationem ex facto & manumiſſione domini; & eodem modo ſi dominus cum ſervo ſuo faciat conventionem, per quam manumittatur, tunc agere contra dominum ſuum, & multò fortius contra non dominum. Si autem villenagium opponatur alicui petenti contra quem non producantur parentes ad exceptionem probandam, & petens ſtatim inde ſe ponat in aſſiſam, & tenens ſimiliter, cadit aſſiſa, & vertitur in Juratam, & inde verba ſacramenti Juratorum talia erunt quod veritatem dicent de hiis quæ ab eis exigentur ex parte Regis, & non ſecundum verba aſſiſæ, quia non eſt actum principaliter ad aſſiſam utrum diſſeiſitus fuerit vel non, ſed quantum ad juratam Inquiſic' ſi querens ſit vel ſervus vel paritatem habeat à domino priuſquam cum domino reſpondeatur, qui ſi convincatur per juratam quod ſervus ſit, cadit aſſiſa, nec villanus aliquid capiet per aſſiſam, ſed erit in miſericordia pro falſo clamore; non tamen propter hoc erit ſervus domino ſuo pro ſervo liberandus, quia per juratam nihil agitur niſi quòd ſervus, à querela repellatur, & ſi convincatur per juratam quod liberæ ſit conditionis, pro querente judicabitur, nec latebit convictio, quia in modum aſſiſæ non tranſivit, non tamen in poeſtate domini liberandus, quia talis exceptio in brevi no. diſſ' oppoſita ſtatum non mutat neque conditionem, ſed ſecus eſſet in placito de conſuetud' & ſerviciis quamvis indirectè. Et ſi Juratores non oppoſita exceptione villenagii dicant quod querens habere non poſſit liberum ten' quia ſervus tenentis, convinci poterunt de perjurio dum tamen aſſiſa in modo aſſiſæ proceſſerit: & ſimiliter ſi dicant quod liber ſit, convinci poterunt per parentes vel alio modo; & ſi de ſtatu fiat diſcuſſio, & Juratores veraciter neſciverint utrum ſervus ſit vel liber, pro libertate erit judicand'. § 13. Si autem ſic ſervo objiciatur quod villanus ſit qualiter pater ſuus villanus fuit, replicare poterit ſervus quod etſi pater ſuus villanus fuerat mater tamen cum ſua libera fuit & in parte ſoluta. § 14. Si autem uxor liberi petatur ab aliquo nunquam nativa, obſtabit petenti exceptio liberi thori viro ſuo. Si autem cauſa talis adici-

Sacramentum juratæ.

Nomina.

adjiciatur, quia pater suus villanus fuit, non sufficit nisi dicat quod in statu servili obiit sub potestate domini constitutus; Et quamvis ad hoc agi non possit, quod mortuus ad villanum probetur quia hoc esset principali causa status ad proband' ipsum esse talem per testes & parentes, & ita mutare statum defuncti; poterit tamen inquiri per juratam utrum ipse villanus obiit vel lib' sicut inquireretur si legatarius obiit vel bastardus, statu propter hoc non mutato, quia villenagium oppositum in modum exceptionis statum defuncti vel vivi non alterat neque mutat, & sicut villanus in judicio petitus per breve in statu libero se defenderit usque ad mortem, vel quamvis nunquam petitus fuerit in possessione domini, tamen non fuerit constitutus ut servus sine placito & brevi revocari non poterit in servitute. Ita nec liber homo in statu servi sub potestate domini existens & in possessione servitutis constitutus sine placito pervenire poterit ad libertatem. § 15. Excipere autem poterit servus replicare in multis modis, ut si dominus in Cur' Reg' recognoverit ipsum esse liberum & hoc docere possit. § 16. Item, si dominus eum aliquando produxerit in Cur' Reg' ut liberum hominem suum ad disrationationem vel legem aliquam faciendam vel purgationem, & hoc docere possit per Record' Cur' Reg' vel Comitatus. § 17. Item, si dominus eum manumiserit. § 18. Item, si homagium ejus ceperit. § 19. Item, si ipsum feoffaverit sibi & hæredibus suis. § 20. Item, si totum jus quod in eo habuit & in sequela & in catal' suis ei remisit & quietum clamavit. § 21. Item, si contra dominum petentem ipsum ut vacuum suum quietus recesserit per judicium: Et nota quod manumissio sine traditione magis obesse poterit in persona hæred' si proferatur contra dominum ipsum petentem quam prodesse, quia imperfecta fuit emptio sive manumissio, eo quod nunquam fuit in vita venditoris traditio prosecuta; Et si quis replicando dicat quod quamvis aliquando fuit villanus ab ipso tamen tenente fuit manumissus, licet certam manumissionem proferat, non recuperabit contra dominum pro cognitione, quia si dominum mutaverit per manumissionem, statum tamen non mutat. Nam si hujusmodi manumissus prolem suscitaverit etiam ex libera hæreditatem habuit, si post mortem patris ejiciatur non recuperabit per assisam. § 22. Esto quod villanus feoffatus sit à domino suo sub cujus fuerit potestate tenend' liberè nulla facta mentione de hæredibus, quamvis per feoffatorem fuerit ejectus non recuperabit per assisam, quia status suus in aliquo non mutatur, quia omnis homo aut est omninò liber aut omnino servus, nec habetur medium; si autem simpliciter opponatur quod querens villanus sit, & querens hoc neget, tunc procedet assisa ac si nihil dictum esset quare assisa remaneret: & nota quod contra nullum in statu libero existentem, sed tantum contra servum sub potestate dn'i constitutum produci debent parentes, nec per eos admitti debet probatio, sed tantum per Jurat'. § 23. Est enim in statu libero quicunque potestatem habet standi in judicio sicut lib', & cum de statu suo sine brevi respondere non teneatur; & sicut servus esse poterit in statu liberi, ita poterit liber esse in statu servi. Servus autem fugitivus non solum infra annum & diem capi poterit in feodo domini, sed ubicunque inventus fuerit in Regno, dum

Nota.

tamen recenter post fugam sequatur, comprehendi poterit, etiam impunè retineri. Secus verò si infra annum & diem non sequatur vel petatur.

De Exceptione ratione adjuncti. CAP. 12.

SI autem mulier libera nupta sit villano existenti sub potestate domini sui, & ipsa liber' habet ten', & dominus servi illos ejecerit, non recuperabunt vivente viro. Sed post mortem viri recuperabit mulier quasi sublato impedimento qualitercunque mortuus fuerit morte naturali vel civili; & cum ab extraneo non domino ejecti fuerint neuter de jure uxor' sine alio petere poterit. Secus verò de jure viri. Si autem uxor de re propria donationem fecerit in vita viri sui, ambo assisam portare non poterunt simul, ne quilibet per se, vir tamen recuperabit per aliud breve. § 2. Si autem de re uxoria simul disseisiti fuerint & assisam simul impetraverint, si alter eorum moriatur ante captionem assisæ cadit breve. Si autem vir præmoriatur, uxor per assisam non recuperabit sed per breve de ingressu in quam non habet ingressum, nisi per disseisinam quam fecit ei & tali viro suo. Si autem mulier fuit disseisita, & assisam perquisierit, & ante captionem assisæ nupta fuerit, cadit breve ratione adjuncti, & non assisa, & quo casu fiat tale breve. § 3. Questi sunt nob' A. & B. uxor ejus quod C. injustè disseisivit prædictam B. Si autem uxor ejiciatur viro agente longe in remotis, ut in peregrinatione, vel in nuntio, vel hujusmodi, non competit uxori restitutio per assisam ratione adjuncti, & ideo provisum fuit breve de generali Attornato. Si autem uxor virum relinquens virũ suũ disseisiverit, competit viro remediũ per assisam per tale breve. § 4. Questi sunt nob' A. & B. uxor ejus, quod B. de tali loco, ita quod ipsa uxor nominetur, si res de qua fit disseisina, fuerit jus uxoris simul cum viro suo in querela, & iterum per idem nomen, sed cognomen diversum, sicut de villa in qua nata fuit, vel tanquam filia patris ejus, & quo casu habebitur uxor pro disseisitrice.

De Exceptione ex persona pet. CAP. 13.

COmpetit etiam exceptio tenenti ex persona sua propria contra querentem, ut si dicat quod quamvis disseisina ibi fuerit ipse, tamen disseisinam non fecit, sed alius antecessor vel prædecessor qui mortuus est, & injuria personalis est, & se non extendit ad hæredes, neque ad successores, quia pœnalis est, & pœna suos debet tenere tantum auctores, & quo comperto cadit breve. Si autem procuratores, custodes, firmarii, servi vel familia disseisinam fecerint, quamvis dominus cujus nomine disseisinã fecerint de seisina non sciverit, non propter hoc remaneat assisa, sed capiatur in odium disseisitorum, si assisam fac' contra eos recuperabit querens, & dominus cum redierit si factum eorum advocaverit, incidit in pœnam disseisinæ cum suis. § 2. Itẽ competit exceptio contra querentem, ut si dominus capitalis petat per assisam, ubi competit ei districtio. Si autem distringere non audeat, ad auxiliũ Regis habeat recursum, & ipse præcipiet vic' loci quod sit ei in auxilium: nam si tenens ad tuitionem sui excipiat, quod assisa procedere non debet de servitio, nisi servitium negaret, sed palam confitetur quod tenet de tali, statim

tim propter confeſſionem jacebit diſtrictio, & cadet aſſiſa, & ſine alio brevi. § 3. Præcipietur vic' ex parte Reg' ex officio Juſtic' quod ſit tali domino in auxilium ad diſtringend'. Si autem tenens omnino ipſum deadvocaverit, tunc ſtatim ceſſat diſtrictio propter quod dominus petere poteſt terram in dominico poſt biennium, prius tamen agere poterit per breve nov' diſſ. in caſu cum tenens contendat contra dominum diſtringentem, & fac' diſtrictionē replegiari, & quibus caſibus facit diſſeiſinā domino ſuo, & quamvis aſſiſa non jacet inter dominum & tenentem ſuum, tenens tamen diſtrictionem replegiando, vel dominum ſuum deadvocando ſe facit non tenentem. § 4. Eſto quod extraneus non dominus per vim compellat alienum tenentem, quod ei ſolvat redditum domino debitum, vel quod domino ſuo non ſolvat, talis extraneus domino facit diſſeiſinam, & non tenens, quia de libero ten' domini; & illud idem erit ſi tenens de voluntate ſua ſolvat extraneo, & quo caſu competit domino diſtrictio contra tenentem, & aſſiſa contra extraneum diſtringentem, de altero tamen iſtorum habeat ſe contentum. § 5. Si quis autem recenter rem ingreſſus fuerit poſt diſſeiſinam flagrante malefacto, non eſt mirum ſi teneatur de diſſeiſina, cum res in ſe ſit vitioſa propter diſſeiſinam; ſcit enim, aut ſcire debet, quæ & qualis ſit res quam ingreditur, ſi vitioſa ſit per diſſeiſinam, ſicut ille qui rem emit ſcire debet utrum libera ſit vel ſerva, per impoſitionem ſeu conſtitutionem ſervitutis, vel utrum onerata ſit, necne, & utrum ſit contentioſa per diligentem impetrationem, ſive ſic, ſive ſic, ſemper tenebitur accipiens ad pœnam vel ad reſtitutionem, vel ad utrumque.

De exceptionibus judicialibus. CAP. 14.

Continetur enim in brevi, Queſtus eſt nob' talis, quod talis injuſtè & ſine judicio diſſeiſivit talem; Injuſtè autem ſine judicio accipi poterunt copulativè vel disjunctivè, injuſtè propter injuriam, vel injuſtè quamvis non ſine judicio, ſed non à ſuo Judice, & ideo injuſtè quia Judex non habuit warrantum per breve, & ideo ejus judicium nullum de jure habere potuit effectum, nec executioni demandari; Et non ſolum facit Cur' quæ judicat injuriam, & diſſeiſinam, verumetiam ballivus qui tale judicium injuſtum fuerit executus; nec etiam ipſe ballivus tantum cum Judice & Curia, ſed etiam ille qui tali judicio nactus fuerit poſſeſſionem; & ſi querens per aſſiſam recuperare non poterit, poterit tamen per breve de falſo judicio. Sed ad hoc requiritur regium conſilium & auxilium, quia nullum breve originale ab initio ſine quo non admittetur recordum ſine regio aſſenſu & præcepto, & quo caſu ſemper poterit tenens vocare ad warrantum recordum tam Cur' Reg' quam alterius male judicantis, & cum judicium falſum inveniatur, querens recuperabit ſimul cum dampnis. § 2. Competit etiam exceptio tenenti ratione tenementi, & rei quæ ſancta eſt, ſicut ſunt loca Deo dedicata, & qui ab aliquo poſſidere non poſſunt, & ideo nulli de talibus tenementis competit aſſiſa, & in quo caſu cadit aſſiſa & non breve, & vertitur aſſiſa in juratam, ad inquirend' de tranſgreſſione, ſi facta fuerit in re ſacra, quia nulla ibi eſt diſſeiſina, ut per juratam emendetur tranſgreſſio, & uterq; *De exceptionibus ratione rei.*

 tam

tam tenens quam querens in misericordia. § 3. Item, si ten' fuerit universitatis, vel publicum, & in Civitate, vel Burgo, si ibi fuerit ædificatum, vel præsumptum, ad dominum Civitatis pertinebit emendatio, & quo casu potius erit transgressio & purprestura quam disseisina. § 4. Si autem via publica, vel regia, extra Civitatem, vel Burgum, eodem modo pertinebit ad regem emendatio; si autem locus fuerit communis, alicujus Universitatis, extra Civitatem vel Burgum, qui deputatus sit ad aliquem usum communem, sic erit transgressio, & nulla disseisina.

Cadit Assisa. CAP. 15.

QUandoque autem cadit breve, & non assisa, ut si tenens excipiat contra breve, ita quod ten' non sit in villa in brevi comprehensa, sed in alia, & querens dicat contrarium per officiũ Judicis, inquiratur præstito sacram', & sive dicant Juratores hic vel ibi non propter hoc terminabitur negotium, quia exceptio proponitur contra breve, & non contra assisam, & ideo stat assisa, sed cadit breve forte; nec erit locus loco partito, etiam si partes consentire vellent, quia si juratores dicant quod ten' non sit in villa in brevi nominata, cadit breve, & non assisa, & ad consimile breve redire poterit, sive petat licentiam recedendi de brevi suo, & habeat, sive sine licentia à brevi suo se retrahat; quamvis enim quis propter breve male impetratum sine licentia à brevi se retraxerit, nec propter hoc se retrahit ab actione; & si dicant juratores quod ten' est in villa in brevi nominata, sive ita sit, vel non, procedit assisa, & per assisam terminabitur negotium, nec erit locus convictioni, quia utraque pars de hoc se posuit in juratam. Si autem juratores forte dubitaverint, & nesciverint in qua villa ten' illud fuerit, tunc inquiratur à querente, si clamat in villa non nominata, qui si dicat quod non, cadet assisa, sed non breve, statim tamen sine alio brevi fiant rationabiles divisæ inter villas vel inter maneria, secundum quod inter certas divisas fuerint distincta: & eodem modo fiat cum fuerit contentio de finibus, & terminis Comitatuum, ut si tenens dicat quod in uno Comitatu, & querens in alio, & inde se posuerit super juratam, & juratores distinguere sciant fines & terminos Comitatuum, per eorum sacramentum procedat negotium: ut si dicant, quod ten' fuerit in Comitatu non nominato, cadit breve, & per aliud breve procedet negotium, modo quo prædictum est, & in Comitatu nominato, tunc procedet assisa, & per assisam terminabitur negotium. Si autem Juratores nullo modo distinguere sciant fines & terminos Comitatuum, non propter hoc cadit breve, sed sine alio brevi per officium Judic' cadit assisa in perambulationem, & per perambulationem terminabitur negotium, dum tamen partes prius coercentur. Ad certum & ita quod à querente sciatur, si aliquid clamet in Comitatu nominato, & sic procedet perambulatio, habita tamen ratione, utrum querens majoris fuerit ætatis vel minoris, quia nullus infra ætatem consentire poterit in perambulationem, & sine ejus assensu ante ætatem non procedet perambulatio. § 2. Si autem Juratores dicant quod quædam pars tenementi unde visus factus est, sit in villa, vel in Comitatu nominato, & quædam pars in villa & Comitatu non nominatis, procedet

cedet aſsiſa pro ea parte ten', quæ eſt in villa vel in comitatu nominatis, & pro alia non; uterque erit in miſericordia, & cadet aſsiſa, quandoque in perambulationem propter incertitudinem de conſenſu partium modo prædicto; ut ſi fuit contentio inter partes in cujus Baronia vel feodo ten' fuerit, & ſi Juratores neſciant deſignare, tunc per perambulationem terminabitur negotium: & ſicut fieri poterit perambulatio inter privatas perſonas, ita inter ipſum Regem & aliquem querentem de eo vel de miniſtris ejus, aſſenſu tamen regio interveniente. Item non competit reſtitutio per aſsiſam propter falſam impetrationem, ut ſi quis impetraverit antequam facta fuerit diſſeiſina quod perpendi poterit per dat' brevis, & eodem modo ſi cauſa fuit impetrandi, & poſtea deſiit eſſe, ut diſſeiſitor rem diſſeiſitam domino proprietatis reſtituerit illam gratis accipienti, deſinit eſſe reſtitutio per aſsiſam; quod ſecus eſſet, ſi verus dominus ſeſinam ſuam ſibi viribus uſurpaverit. § 3. Item cadit aſsiſa pro falſo judicio, ut ſi quis per judicium alicujus cur' ingreſſum habuerit, & non per diſſeiſinam, & quo caſu vocare poterit cur' ad warrantum, & ſi judicium compertum fuerit falſum, cadit aſsiſa, & agat de falſo judicio. § 4. Item cadit aſsiſa propter incertudinem rei, nec vertitur in juratam, neque in perambulationem, ſicut videri poterit inter mulierem & warrantum ſuum de dote ſua, ante aſsignationem dotis: ut ſi ambo ejecti fuerint de ten', & mulier per ſe petat reſtitutionem tertiæ partis, per aſsiſam non recuperabit, quia ſuam tertiam partem deſignare non poteſt, quia nunquam fuit ſpecificata, nec ei aſsignata: & eodem modo ſi hæres eam ejecerit de toto, cum ad ætatem pervenerit, verſus eum per aſsiſam non recuperabit ratione prædicta, qualecunque ſit feodum, ſocagium, vel militare: eodem modo dici poterit inter eos qui tenent in communi, ante diviſionem, ſicut ſunt cohæredes & participes, vel vicini, ſi de conſenſu teneant in communi propter contentionem habitam ex cauſa tranſactionis, & unde ſi quis à latere omnes ejecit, vel aliquam ipſorum, & unus per ſe reſtitutionem petat de aliqua certa parte, nihil capiet per aſsiſam, quia nullam certam partem per ſe deſignare poteſt. Si autem petat totum unus vel omnes tenent in communi, bene procedet aſsiſa: & idem erit ſi particeps à participe ejiciatur, & ita fiat de aliis hujuſmodi quæ tenentur in communi. § 5. Item cadit aſsiſa quandoque per incertitudinem perſonæ, vel ſi Juratores de eo nullam habent notitiam per quam ſcire poſſunt quis ſit, vel utrum poſſeſsione fuerit nomine proprio vel alieno. § 6. Item cadit aſsiſa propter incertitudinem: ut ſi jus alicujus terræ recognitum ſit duobus, & unus ſe poſuerit in ſeiſinam ſine participe facta participatione, & diſſeiſitus fuerit, non recuperabit per aſsiſam; cadit aſsiſa cum Juratores neſciant ad quam pertineat ten', ad tenentem, vel ad querentem, cum viſum fecerint. § 7. Item cadit aſsiſa, cum traditio donationem non fuit in vita donatoris ſecuta. § 8. Item ſi duæ ſorores tulerint aſsiſam in communi, & objectum fuit uni, quod vir ſuus fuit utlagatus, nec conſtat utrum mortuus fuerit, vel vivus, cadet aſsiſa. § 9. Manerium autem poterit eſſe per ſe ex pluribus ædificiis, ſive villis, vel hamelettis coadunatis, & etiam per ſe cum villis & hamelettis adjicientibus, & poterit eſſe manerium capitale plura ſub ſe continens maneria, non

tamen capitalia, quod poterit continere plures villas & plures hamelettos sub capite uno; & plures hameletti poterunt pertinere ad unam parochiam & plures parochiæ ad unam villam, & si quælibet parochia nomen habeat seperale, & quamvis in qualibet sit ecclesia, & cœmeterium quo inferantur mortui, & unde si nomen parochiæ nominetur in brevi, nisi nominetur villa integra, cadit breve.

Qualiter assisa vertitur in juratam. CAP. 16.

VErtitur autem assisa in Juratam multipliciter, ex causa successionis sic, esto quod querens sic fundat intentionem suam, dicat quod de tali tenemento obiit antecessor ejus seisitus ut de feodo, & ipse sicut hæres propinquior se posuit in seisinam, & fuit in seisina per tantum tempus donec talis eum injustè ejecit. § 2. Ad quod excipi poterit quod talis antecessor non obiit seisitus ut de feodo, sed ad vitam quocunque modo, vel ad terminum tenuerit, vel in vadium, & quod ipse querens nihil habeat nisi per intrusionem, & unde statim ejectus fuit per ten' qui est verus dominus, vel justus hæres, vel dominus capitalis, vel quod posuit se in seisinam, licet hæres esse possit super dominum capitalem qui primam habuit seisinam suam ut dominus capitalis ipse se intrusit super seisinam suam antequam sciretur utrum ipse hæres esset vel non, vel quis esset hæres; & si obiit seisitus ut de feodo, ille tamen querens non potuit esse hæres, quia non fuit filius, nec hæres, sed bastardus; vel si filius & hæres propinquus alius fuit propinquior, scilicet talis. § 3. Ad quod replicari poterit à querente, quod ipse hæres est, & licet hæres esse non possit, tamen fuit ibi per tantum tempus, & sine judicio ejici non debuit, & aliæ infinitæ exceptiones inde elici poterunt, quæ omnes per assisam in modum Juratæ debent terminari, quæ non recipiunt convictionem. § 4. Multæ etiam competere poterunt exceptiones ex donatione, ut si querens dicat, quod fuit in seisina illius ten' de dono talis, per tantum tempus, donec talis eum ejecit. § 5. Sed excipi poterit contra eum, quod ille qui donasse debuit nunquam habuit inde aliquam seisinam quod donationē inde facere posset, vel quia omnino nullam habuit, vel si habuit ten' tamen illud prius dederat tali per cartam suam priusquam aliquam cartam fecisset prædicto querenti. Vel sic respondere poterit, quod si aliquam seisinam inde habuit, nullam tamen habuit nisi post donatoris per intrusionem, & de qua recenter fuit ejectus, & quo casu cadit breve, & assisa vertitur in juratam, & sciatur si seisinam habuit in vita donatoris, vel non, & per hoc terminabitur breve. Si Juratores autem dicant, quod nihil sciunt de seisina, querens nihil capiet per juratam: si autem dubitaverint, pro possessore judicabitur. Si autem dicant quod de disseisina querentis bene sunt certi, & quo die positus fuerit in seisina, sed de morte donatoris nihil sciunt, quia obiit in remotis, in alio comitatu in quo obiit, per aliam juratam inquiratur de veritate, & sic conjunctis illis duabus inquisitionibus terminabitur negotium. § 6. Cadere etiam poterit in assisam pactum sive conventio, si opposita fuerit in initio donationis, & ita inerit donationi, & donationem non formabit. Et eodem modo inesse poterit modus

modus, ut si dicatur, do ut facias; conditio, ut si dicatur, do si feceris; vel potest conditio apponi sic, quod quis teneatur ad duo conjunctim, ut si dicatur, do ut facias istud & illud, & quo casu non sufficit unum fieri nisi fiat utrumque; vel potest fieri conditio ad duo disjunctim, sic, do si feceris hoc vel illud, & quo casu sufficit unum fieri; alio autem modo poterunt inesse donationi modus & conditio, uno modo verbis affirmativis, ut si dicatur, do ut facias, & alio modo verbis negativis, ut si dicatur, do ne facias: poterit etiam esse modus sive conditio verbis affirmativis, & negativis conjunctim, & sic erit dupliciter, ut si dicatur, do ut fac', & si non feceris, volo quod terra data revertatur ad me, vel ad alios tales, vel quod liceat mihi & hæredibus meis ponere me in terram illam; è converso etiam verbis negativis & affirmativis conjunctim, & sic erit dupliciter, ut si dicatur, do ne facias, & si feceris, tunc liceat mihi, &c. & fieri poterit verbis negativis, ut si dicatur, do ne facias sine voluntate & consensu meo, & si feceris quod tunc ponam me, & cum hoc fecerit adhuc non sufficit hæc fieri, nisi sciatur utrum hoc fecerit de voluntate, vel contra voluntatem, & sive satisfactum sit conditioni, sive non, & unus se ponere possit in seisinam, & se tenere in eadem, exceptionem habebit ex conventione. Cum igitur querens proposita querela sua, illam fundaverit sic, & unde queritur quod talis injustè disseisivit eum de tanta terra quam habuit in dono ipsius talis, & unde idem talis cepit homagium suum, & posuit eum in seisinam, per se, vel per procuratorem suum, vel per literas, vel hujusmodi, & unde fuit in seisina per tantum tempus, donec idem talis ipsum injustè & sine judicio disseisivit, & inde ponit se super assisam; & notand' quod omnis intentio querentis in assis. no. diss. fundari poterit secundum omnia genera adquisitionis liberi tenementi, sive ex causa successionis, vel quacunque alia, sive in feodo, sive ad vitam, vel secundum quod possessio alicujus pacifica erit, vel turbata, vel secundum quod disseisina facta fuerit in principali, scilicet in corpore vel in ejus pertinentiis, sicut in juribus, ut sicut jus habeat emendi vel pascendi in fundo alieno, vel hujusmodi, & talis venit & defendit, quod ipsum injustè non disseisivit, nec aliquam ei fecit injuriam, & bene cognoscit donum & homagium factum, & seisinam, & totum quod proponitur à querente, sed dicit quod antequam homagium suum capere voluit de tali ten', concessit idem querens, quod si ille tenens infra certum tempus inquirere posit, quod idem querens aliquid teneret de Rege in capite, vel si quid fecerit vel non fecerit, & sic secundum quamcunq; conventionē, ut supra, quod benè licerit ei ingredi prædictum ten', & tenere sibi & hæredibus suis quietè imperpetū sine contradictione & impedimento prædicti talis querentis & hæred' suorum, & quia inquisivit infra prædictum terminum, quod tenuit de Rege in capite, talem terram, & talem, vel quia fecit contra prædictam conventionem, ideo posuit se in seisinam juxta prædictam conventionem, & unde dicit quod licet donatio valida esset & perfecta ab initio, tamen perfecta est invalida per conventionem prædictam: ad quod querens respondere poterit: Si autem cognoscat prædictam convenctionem, & factum sit contra, tunc erit manifestum, quod nullam fecit ei injuriam. Si autem illam omnino negaverit vel

Nota de conventione.

vel defenderit, cum ex tali negatione fiat res dubia, oportebit eum de necessitate quod illam probet, si fuerit extra seisinam alioquin indefensus remanebit quasi exceptione nulla, & per hoc recuperabit querens sine aliqua jurata, & si fuerit in seisina, dabitur ei exceptio. § 7. Probari autem poterit conventio per scripturā, cum fuerit extra seisinam, & si scriptum confectum fuerit inter eos super prædictam conventionem sub præsentia virorum fide dignorum, qui præsentes erant, & audientes prædictam conventionem ante captionem homagii, vel post, & qui loqui possunt de proprio visu & auditu, quæ quidem si fuerit à querente dedicta, probetur carta & conventio per testes, licet domestici sint, simul cum aliis de jurata, vel per collationem, vel alio modo. Et si probatum fuerit instrumentum, sic manifestum erit quod talis fuit conventio, non tamen propter hoc probatur quod satisfactum sit conventioni. Oportebit igitur ulterius procedere in vestigando per assisam in modo juratæ capiend', & per testes nominatos in scripto, utrum factum sit secundum conventionem, utrum ita sit vel non, secundum quod dicitur in conventione, & eodem modo erit procedend' probato scripto & probata conventione, ac si ab initio essent concessa, quia etsi concessa essent adhuc vidend' esset utrum satisfactum esset conventioni, vel non, & quod ita sit procedend', videri poterit per cartam quæ confecta est super donatione aliqua, & si carta fuerit dedicta, non sufficit nisi donum dedictum; nam si dicat, defendo cartam & donum, tunc tenentem oportet probare utrumq; § 8. Si autem dicat, tantum defendo donum, sufficit quod donum poterit esse validum & perfectum esse sine carta, & carta benè poterit esse vera, & sine dono perfecto vacua erit & invalida. Si autem donum validum fuerit & perfectum, utrumque juvari poterit per aliud, & sic donum poterit esse validum licet carta sit falsa, & carta poterit esse valida licet donum invalidum vel imperfectum; ut si donatorius intruserit se propria authoritate sine warranto, non igitur sufficit cartam esse veram, nisi probetur donum esse validum & perfectum. Cum igitur probata sit scriptura & conventio, & oporteat de necessitate ulterius procedere, aut benè sciunt conventioni esse satisfactum, vel benè sciunt quod non est satisfactum, secundum hæc pro una parte, vel pro alia erit judicand'. Si autem nihil sciverint de aliqua conventione, per hoc recuperabit querens, quasi exceptione nulla: si autem dubitaverint utrum satisfactum si conventioni, vel non, licet constiterit eis de conventione facta, si præsumptiones inducant probabiles pro una parte, vel pro alia, in hoc dubio stand' erit præsumptioni, cum nulla sit pro aliqua parte vera probatio quæ vincere possit præsumptionem; poterit tamen præsumptio in posterum juvari, si fecerit pro eo qui forte conventionem cognoverit, sed forte replicando dicit illam esse remissam, & præsumptio facit pro eo, juvari poterit præsumptio per instrumentum postea compertum ex parte illa quod contineat veritatem. Si autem tenens nullum omnino habeat instrumentum, tunc oportebit quod alio modo probet exceptionem conventionis, & unde aut ponit se in assisam in modo juratæ capiend', aut non. Si autem velit probare per domesticos & familiares suos exceptionem, non licet, & si per domesticos & familiares alterius partis, non prodest; si autem communiter

ter per utrosque, nunquam convenient. Oportet igitur de necessitate recurrere ad assisam, assumptis aliquibus qui interfuerint conventioni, dum tamen neutram partem contingat. § 9. Si autem instrumentum habuit, neque se ponere velit in juratam, habet tamen sectam unam forte vel plures, sive sint familiares sive non, & ex secta habeatur ad minus præsumptio, donec probetur in contrarium, probari tamen poterit contrarium per defensionem per legem, quia lex vincit sectam, & si donator per conventionem non sufficiat quod se ponere possit in seisina, dabitur ei actio ex conventione, cum sit extra seisinam, & ad superiorem erit recurrend', & cum sit in seisina, dabitur ei exceptio ex conventione.

Quæ impediunt restitutionem. CAP. 17.

INcertitudo autem restitution' impedit, sive fuit in ipsa re sicut in corpore, & ten', sive in jure pertinente ad ten', sive in ipsa persona quæ queritur, non dico tamen si aliqua ratione posset esse certitudo, vel saltem præsumptio, immo si omnino nulla possit haberi certitudo, nec etiam præsumptio, negligentia vero & dissimulatio ad tempus quæ trahuntur ad consensum, impediunt restitutionem, non tamen quod omnino tollatur actio, sed quod auferatur disseisito recens rejectio, & dissimulatio, & negligentia, quæ trahuntur & consensum dant quasi liberum ten' disseisitori, ita quod sine judicio ejici non potest, & tollit privilegium disseisito, quia ex quo negligens est, præsumitur quod voluit disseisiri, & per hoc præsumitur etiam quam utramque amiserit possessionem naturalem, & eodem modo voluntas si hoc voluit ab initio, vel post tempus, injuriam remiserit, & quietam clamaverit. § 2. Transactio autem impedit restitutionem, ut si partem ten' remiserit, & partem receperit nomine concordiæ, quod quidem de gratia ei concedi poterit, & pro bono pacis, & non de jure, quia de hiis qui præsumpti sunt contra pacem Regis in illas terras actio sine concordia, sed ipsum judicium secundum quod querens se retraxerit, vel ipse disseisitor cognoverit seisinam. § 3. Confirmat etiam vel consensus restitutionem impedit, ut si disseisitus confirmaverit disseisitori rem disseisitam, quia confirmatio gratuita tollit injuriam, consensus, ut si disseisitor donationem fecerit, & disseisitus donationi consenserit, & illam ratam habuit, sive ab initio, sive post. § 4. Item propria usurpatio rei propriæ post disseisinam sine judico, sed post tempus, ut si disseisitus fuerit quis, & negligens in impetratione fuerit, vel prosecutione, vel in utraque sine judicio, rem propriam sibi usurpare non poterit tamen illam recipere, si ei gratis offeratur, non tamen in omni casu. § 5. Item difficultas judicii impedit restitutionem. § 6. Item justum judicium, secus si injustum, nisi ad tempus. § 7. Item intrusio impedit restitutionem, dum tamen non currat tempus per negligentiam, hoc est si incontinenti rejiciatur. § 8. Item exceptio finis facti, & alia; Sunt etiam quædam exceptiones quæ assisam non perimunt, nec actionem, sed breve tantum, licet ad tempus differatur, sicut exceptiones contra jurisdictionem, exceptiones contra breve, exceptiones contra personam querentis, exceptiones quæ competunt ex loco & tempore, & hæ quæ compe-

tunt contra Juratores; & cum omnes istæ exceptiones, sive sint peremptoriæ, sive dilatoriæ, fuerint etiam extra assisam, vel præter, ideo non in modum assisæ, sed in modum juratæ terminabuntur, quasi per consensum partium, cum unus dicat ita esse, & alius dicat contrarium, quasi extra assisam, & petat quilibet quod sua veritas inquiratur, ideo convictionem non recipiunt, quia si qua partium venire vellet contra dicta Juratorum, ita dicerent probationem suam falsam, cum veredictum Juratorum in hoc casu non sit assisa, sed probatio exceptionis, quia qui excipit probare debet exceptionem, replicans replicationem, sicut agens suam actionem. § 9. Ut autem sciatur quando locum habet convictio, & quando non, vidend' erit utrū assisa capiatur in modo assisæ, vel in modo juratæ, sic ut fundata intentione querentis tenens statim ponat in assisam sine aliqua exceptione, & respondeat simpliciter ad intentionem querentis, quod non disseisivit talem injustè cum non disseisiverit, vel è converso. Vel si dicat quod tenens disseisivit querentem de libero ten', cum tenuerit illud in villenagium, vel è converso, & hujusmodi; vel si dicant aliquid quod tangat exceptionem, & non actionem, neque assisam, non tamen simpliciter, sed cum adjectione, sic dicendo, quod querens liberum ten' habere non potuit, quia villanus est, & tenuit in villenagio cum lib' sit, & liberè tenuerit, vel è converso. Si querens postmodum docere potest contrarium, Juratores convincendi erunt de perjurio, quia assisa capta est in modum assisæ, & non in modum juratæ. Si autem proposita querela respondeat tenens intentioni quod tenens disseisiri non potuit de libero ten', quia villanus est, & tenuit in villenagio, & querens dicat simpliciter quod non nihil replicando cum per negationem fiat res dubia, oportet quod tenens probet exceptionem per parentes quos statim habeat ad manum, si possit vel ad diem vel per assisam, & quo casu sive per parentes, sive per assisam probaverit, cum inde se posuerit in assisam in modo juratæ capiend', sive Juratores dicant pro una parte, vel pro alia, non sunt convincendi, quia hæc est potius probatio exceptionis per Juratam, quam captio assisæ per assisam; nec etiam sive verum dicant, sive falsum, propter hoc præjudicabitur querenti in causa, & sic in hoc casu semper incumbit probatio tenenti: sed esto quod querens exceptioni servitutis, dicens quod lib' sit, adhuc incumbit probatio tenenti, quam quidem si aliquo modo probaverit, probet querens contrarium, si possit, per probationem validiorem replicando. Si autem excipiens non probaverit, non erit necesse quod querens probat contrarium replicando, quasi exceptione nulla. Si autem non sint parentes qui ex aliqua parte producantur, de necessitate recurrend' erit ad assisam, ut in mod' juratæ terminetur negotium, & hinc inde erit probatio, & non assisa; probat enim tenens exceptionem per juratam in quam de necessitate consentire poterit, oportet propter defectum alterius probationis, quia si non habeat parentes, & de necessitate recurritur ad juratam, alioquin nulla erit exceptio, quasi deficiente conditione probation', & eodem modo dici poterit de replicatione querentis. Sed esto quod querens parentes non habeat quos producat, sequitur & cum tenens probare voluerit exceptionem per juratam, & querens hoc recusaverit querenti, eo ipso denegabitur actio, & assisa, in

De convictione.

in modum aſsiſæ, quaſi exceptione nulla. Si autem tenens fundata intentione querentis, excipiat de villenagio & probationem habeat ad manum parentes, vel juratam, querens replicare poterit de privilegio, ſi fuerit dominus qui petat. § 10. Vertitur etiam aſsiſa in juratam alio modo, ut ſi querens ſic fundaverit intentionem, & dicat quod duxerit uxorem hæreditatem habentem vel maritagium, & poſt mortem uxoris ſuæ fuit in ſeiſina per tantum tempus, donec talis eum injuſtè diſſeiſivit, & ita fuit in ſeiſina per legem Angliæ, quia pueros genuit de uxore ſua. Ad quod ſi tenens contra ipſum exceperit quod nullum omnino habuerit puerum, vel ſi habuerit, mortuus tamen fuit in utero, vel ſi natus fuerit monſtrum fuit & non puer, & ſi puer fuit & vivus, & nunquam tamen auditus fuit clamare. Si autem querens dicat replicando contrarium, inquiratur veritas per aſsiſam in modum juratæ. Si autem juratores dicant quod bene viderunt eum ſeiſitum, & poſtea ejectum per tenentem, ſed de aliquo puero nihil ſciverint, quia mater obiit in pariendo extra Comitatum in remotis, recurrend' erit ad Comitatum, & ad viſnetum ubi mater obiit, quia eorum veredictum inſufficiens eſt, & quia ipſi ignorare poſſunt ea quæ fuerint in remotis, & ibi facta inquiſitione de veritate terminetur. § 11. Præterea dicere poterit tenens quod ſi filios habuit, non nocet tamen eò quod poſtea convicti fuerint ad baſtardos; quod ſi querens negaverit, veritas per aſſiſam in modum juratæ declarabitur. Si autem dicat quod pueri baſtardi ſunt, & hoc paratus eſt docere quando & ubi, tenens autem dicit, quod ita baſtardi ſunt quod nati fuerunt ante matrimonium, vel quod pater eorum nunquam matrem eorum deſponſavit; ſi primo modo & alius dicat quod poſt uterque ſe poſuerit in juratam, poterit negotium terminari, & ſi ſecundo modo & querens replicando dicat quod ſic remanebit aſſiſa, quouſque in foro Eccleſiaſtico conſtiterit de veritate. § 12. Vertitur etiam quandoque aſsiſa in juratam propter tranſgreſsionem, ut ſi quis contra voluntatem domini uti velit in alieno, vel contra voluntatem participum uti voluerit in communi, & de communi facere proprium vel exceſſum, proprium ut ſi ſibi appruare voluerit aliquam partem quæ communis eſt utendo exceſſum facere, & ita ſibi uſurpare quod alienum eſt, vel commune ſibi & aliis facit diſſeiſinam, & ſimiliter tranſgreſsionem ſecundum quod tranſgreſsio non eſt diſſeiſina, ut ſi eo animo forte ingrediatur fundum alienum, non quod ſibi uſurpet ten', vel jura, non fac' diſſeiſinam, ſed tranſgreſsionem: ſed quoniam incertum eſt quo animo hoc faciat, ideo querens ſibi perquirat per aſsiſam, & quo caſu querendum erit per judicem, quo animo hoc fecerit, utrum eo quod majus jus habuerit in re, vel non habuit, ut ſi forte ductus errore probabili, vel ignorantia non tamen groſſa, ut ſi omnes de patria ſciverint rem ad ipſum non pertinere, & ipſe ſolus ignoraverit, non excuſatur. Si autem ignorantia juſta fuerit, & probabilis error, & ita ingrediatur fundum alienum, quem ſuum eſſe crediderit, & clam vel palam arbores ſucciderit, vel herbas falcaverit, vel aliud in veſturæ & non nomine ſeiſinæ aſportaverit, ſed per errorem vel ignorantiam excuſatur à diſſeiſina, quia ibi eſt potius tranſgreſsio quam diſſeiſina, quam quidem ſi cognoverit

emendet, & si dedixerit, vertatur assisa in juratam ad inquirend' de transgressione,& per hoc stet vel cadat; & idem erit si teneat in communi, & hoc
Nota. maxime, nisi ita fecerit sæpius & de consuetudine; frequentia enim mutat transgressionem in disseisinam, ut si sæpe transgressionem faciat, & respondeat ad assisam, quod nihil clamat in ten', vel ejus pertin' per se vel in communi, ut per hoc pœnam disseisinæ possit evadere, non audietur,sed sustinebit pœnam disseisinæ,& redisseisinæ; & idem erit si in delicto captus fuerit, vel alius quem advocaverit, qui vadium dare voluerit per juratam, aggravetur pœna transgressionis, si hoc fuerit per juratam declaratum. Si autem dicat se jus habere in re cum nullum omnino habeat, vel ipsam dicat esse suam propriam, cum sit communis, statim procedat assisa in modum assisæ, & per assisam terminabitur negotium, & quo casu si res fuerit communis,locum habere poterit judicium de communi dicendo. Si autem talis sibi jus usurpaverit in alienis prosternendo arbores, vel succidendo, vel lapides finales amovendo, primò ante assisam capienda sunt vadia, & ita emendabitur transgressio per captionem vadiorum; & si quis se devadiari non permiserit, recurrend' erit ad breve no. diss', & cadit assisa in juratam, & duplicabitur pœna transgressionis. § 13. Et eodem modo si quis fecerit vastum vel destructionem in ten' quod tenet ad vitam suam,in eo quod modum excedit & rationem, cum tantum ei concedatur rationabile estoverium, & non vastum, fac' transgr', & si talis impediatur per aliquem cujus interfuerit parentis vel amici, ille tenens assisam non habebit. Intentio enim talem liberabit à disseisina, quia in eo quod tenens abutitur malè utendo, & debitum usum, & modum debitum excedendo, non poterit dicere quod disseisitus est, quia tantum rationabilis usus ei conceditur: & si per aliquid tempus forte abusus fuerit ultra modum, talis seisina nulla erit, quia non est seisina quam trahit ad abusum, sed præsumptio injuriosa, & ideo causa & intentio liberat impedientem, sed hoc per assisam in modum juratæ captam declarari oportebit, scilicet utrum sit ibi vastum vel rationabile estoverium. § 14. Vertitur etiam assisa in juratam propter transgressionem; districtio enim aliquando facit disseisinam, & aliquando transgressionem majorem vel minorem, & secundum hoc terminabitur negotium in modum assisæ, & ubi fuerit disseisina, vel vertitur assisa in juratam, si ibi fuerit transgressio major vel minor, & unde cum assisa fuerit impetrata super injuria districtionis, si non possit valere ut assisa ad terminand' disseisinam, valeat tamen ut jurata ad terminand' transgressionem. Transgressio enim esse poterit major & minor, major ut si non sit omnino disseisina, non multum tamen differens à disseisina, sed quasi ex proxima & vicina disseisire, sed ad commodum uti non potest propter transgressionem nimis transgressivam vel excessivam ultra modum & mensuram debit'. § 15. Præterea poterit esse transgressio simplex, & gravis, ubi scilicet fit districtio, cum nulla subfuit causa distringendi, vel cum non pertineat ad distringentem, & quo casu erit disseisina, & quamvis causa subfuerit, fieri non poterit ordine non observato, & tamen simplex: ut si quis distringat tenentem suum per res suas dominicas, cum habeat villenagium quod sufficiat, vel si distringat tenen-

tem

tem tenentis sui, quamvis in feodo suo, cum tenens suus qui medius est sufficiens habet dominicum de eodem feodo, ordine dico non observato multipliciter: ut si fiat districtio per immobilia cum sint ibi mobilia, vel distringat per mobilia intrinseca cum extrinseca sufficiant, vel si fiat districtio per oves vel bestias carucarum cum sint alia averia otiosa; & quamvis causa subsit, ordo observetur; adhuc poterit esse injuriosa, ut si fuit nimia cum modum excedit & mensuram. § 16. Non enim fieri debet districtio magna pro modica causa, aggravari tamen poterit ut prima teneatur & plura capiantur. Poterit enim esse transgressio in districtione extra Comitatum, si fuerit abducta, & quamvis omnia bene conveniant si averia capta & replegiari vetentur, vetitum illud non solum querenti injuriosum, immo regi, cum sit contra pacem suam: nam ubi deficiunt vadium & plegii, ibi deficit pax. Et sic repetitis omnibus supradictis, secundum quod in omnibus sit præsumptuosum vel in parte, aut erit transgressio simplex major vel minor, & vicina disseisinæ, vel non erit. § 17. Assisa autem no. diss' cum sit triplex, personalis propter factum, pœnalis propter injuriam & delictum, & restitutoria; in eo verò quod pœnal' est, & pœna suos tenere debet auctores, non competit hæred' disseisiti, si disseisitus moriatur, nec datur in hæredes disseisitoris principalis, si moriatur vivente disseisito, quia pœna extinguitur cum persona, & hæres non tenetur ex delicto antecessoris; & eodem modo si disseisitus moriatur vivente disseisitore hæredi disseisiti non competit actio de injuria facta antecessori, quia inter ipsum & disseisitorem nulla est obligatio quoad pœnam, licet sit obligatio quoad restitutionem. Competit tamen disseisito vel hæredibus suis contra disseisitores vel hæredes suos actio per breve de ingressu, non obstante eorum minori ætate. § 18. Et si minores quoquo modo impediantur, quo minus sequi possunt, tunc sequentur propinquiores amici minoris, & admittantur pro minoribus; & non solum in isto casu, verumetiam in omni alio quo minoribus agere poterunt & placitare. § 19. Cum autem assisa capiatur in modum assisæ, tunc vidend' erit quantum querens posuerit in visu suo, quia ultra id quod in judicium reducitur, non se extendit potestas Justic', nec etiam juratorum sacrm', quia licèt querens de majori quantitate disseisitus fuerit, & totum in visu suo non posuerit, in eo quod excedit non poterit Justiciarius judicare, nec Jurator jurare, & quamvis excessum fuerit petenti per recognitionem Juratorum judicand', non tamen erit locus convictioni, sed erit disseisina manifesta, & locus erit assisæ no. diss' contra Juratores tantum, & non contra illum judicatum. Si autem judicium fecerit pro petente de re petita, vel de ejus parte, & ipse plus occupaverit occasione judicii, locus erit certificationi, dum tamen recenter inde queratur, vel assise no. diss' contra eum qui occupavit, & hinc & inde habebit locum convictio.

De Pertinentiis. CAP. 18.

AD liberum autem ten' pertinent jura sicut communia. Jura autem sive libertates dici poterunt ratione tenementorum quibus debentur, servitutes verō ratione ten' à quibus debentur, & semper consistunt in alieno, & non

non in proprio, quia nemini poteſt ſervire ſuus fundus proprius, nec poteſt quis hujuſmodi ſervitutes conſtituere, niſi ille qui fundum habet & ten', quia prædiorum aliud liberum, aliud ſervituti ſuppoſitum; liberum autem dici poterit, quod in nullo tenetur vel diſtringitur præd' vicinorum. Si autem teneatur dicitur ſervituti ſuppoſitum quod prius fuerat liberum, & hoc ſcire teneatur prædio ſine ten' alieno de voluntate & conſtitutione dominorum, propter ſervitium certum, vel propter vicinitatem; & talis dici poterit conſtitutio, quia domus domui, rus ruri, fundus fundo, ten' tenemento ſubjungatur, & non tantum perſonæ per ſe, vel ten' per ſe, ſed utrique ſimul, & ita pertinent ſervitutes fundo alicujus ex conſtitutione, ſive ex impoſitione de voluntate dominorum. Item pertinere poterunt ſine conſtitutione per longum uſum continuum & pacificum, ex patientia inter partes quæ trahitur ad conſenſum, & unde licet ſervitus expreſſe non imponatur vel conſtituatur de voluntate dominorum, ſi quis tamen uſus fuerit per aliquid tempus pacifice, ſine interruptione, non tamen vi, nec clam, nec precario, ſine judicio diſſeiſiri non poteſt, quia ſi violentia adhibeatur, nunquam erit jus diſſeiſitoris per temporis diuturnitatem, niſi per negligentiam ipſius qui vim patitur ex longa, pacifica, & continua poſſeſſione inter præſentes, ſicut inter abſentes, & talis ſeiſina multipliciter poterit interrumpi. Si autem ſeiſina fuerit clandeſtina, ut in abſentia dominorum, vel illis ignorantibus, quamvis hoc fiat de conſenſu vel diſſimulatione ballivorum valere non debet. Si autem precaria fuerit, id eſt, de gratia quæ pro voluntate revocari poterit, non acquiritur jus ex longo tempore, ſecus tamen in commodato. Poteſt tamen ſervitus ita conſtitui in proprio, ne liceat domino fundi paſcere in ſuo proprio per quod dampnum vicino eveniat, vel nocumentum. Eſt enim nocumentum quandoque juſtum, & quandoque injurioſum; juſtum, ut cum de jure prohiberi poſſit, ne faciat, ut de molendino levato in proprio fundo; injurioſum, ut ſi quis fecerit aliquid in ſuo injuſtè, contra legem, vel conſtitutionem, prohibitus a jure: ut ne quis ſtagnum ſuum altius tollat per quod ten' vicini ſubmergatur, vel ne faciat foſſam in ſuo per quam aquam vicini divertat, vel per quod ad alveum priſtinum reverti non poſſit, vel ne quis faciat in ſuo quo minus vicinus ſuus omnino uti poſſit ſervitute impoſita, vel conceſſa, vel quo minus commodè utatur loco, tempore, numero, genere, qualitate, vel quantitate; & non refert utrum hoc omnino fecit, vel quod tantundem valeat, ut ſi quis habuerit jus eundi per fundum alienum, non ſolum facit diſſeiſinam, ſi viam obſtruat, ſed ſi ire non permittat omnino commodè, vel ſecundum uſum debitum, vel ſi non permittat viam reficere, & eodem modo ſi omnino aquam non divertat, ſed foſſam faciat, vel purgare non permittat. Ad aquæ enim ductum pertinet purgatio, ſicut ad viam perfectio: vel licèt omnino non impediat, ſi fecerit tamen quo minus commodè facit diſſeiſinam, ut in hiis caſibus & conſimilibus; ut ſi communiam habeam in certo loco, cum libero & competenti ingreſſu & egreſſu, faciat quis foſſatam, hayam, murum, vel palacium, oportebit me ire per circuitum ubi prius ingreſſus fui per compendium, ſalvo tamen Vicecomiti jure ſuo, ſi recenter ad querelam ejus qui injuriam paſſus eſt, quod

ſuum

suum fuerat exequatur, & propter communem utilitatem, ne quis diu jure suo impediatur, & ita si non commodé. Præterea si cui concedatur jus pascendi certo tempore, & non permittat eum uti aliquo tempore, vel quamvis omnino, non tamen permittit eum uti non certis temporibus, vel certis horis, vel cum uti debeat, ubique non permittatur uti, nisi locis certis & coarctatis, vel cum jus habeat pascendi ad omnia averia, & omnimoda, & cujuscunque generis non permittit uti, nisi ad quædam genera averiorum, & determinata, vel si constituatur jus pascendi ad certum numerum, non permittit tamen uti, nisi ad minorem numerum, & sic non debito modo, & quilibet modus habet in se debitam commoditatem, sed non possit propter vim, competit domino fundi ass. novæ diss. & in omnibus istis casibus non competit assisa novæ diss. de communia pasturæ ei cui concessa est libertas pascendi, si commodè vel debito modo, ut prædictum est, uti non possit; ita competit domino concedendi ass. novæ disseisinæ de libero ten', si ille cui concessum est præsumptuosè, vel aliter quam fuerit constituta uti velit, ut si per vim uti vellet, cum non esset constituta, & illud idem videri possit in cursu aquarum, ut si cui concedatur jus aquæ ducendæ non permittat eum ducere omnino, vel minus commodè, quia non permittat purgare, vel si id quod continuè ducere debet, ducere non permittit nisi certis horis, vel quod integre nisi in parte, & ita erit disseisina manifesta, cum nullo modo vel non commodè debito modo non permittat uti. Si autem debitum modum excedat quis incontinenti repelli poterit, post tempus vero non nisi cum causæ cognitione, & sic poterit quis habere servitutem in fundo alieno, & uti, nisi ex justa causa prohibeatur. § 2. Jur' siquidem quæ quis in fundo alieno habere poterit, sunt infinita, & eodem modo, & eisdem de causis quo habentur res corporales adquiruntur & jura, eodem modo, quo adquiruntur secundum rerum incorporalium adquisitionẽ injustè, eodem modo admitti poterunt & injustè. Res vero corporales animo adquiruntur & corpore per traditionem. Res autem incorpor' sicut jura & servitutes cum loco fuerint determinata solo aspectu accipientis, vel sui procurat', & possidendi voluntate adquiruntur, quia jura traditionẽ non patiuntur: ut ecce si vicinus fundo suo talem imposuerit servitutem, quod liceat vicino immittere ad pasturam averia sua, ita poterit fundus suus (licet abinitio liber esset) omnino servire fundo vicini, & ex tali constitutione, & mutua utriusque voluntate tenet servitus, dum tamen interveniat accipientis voluntas & aspectus, cum hujusmodi jura traditionem non accipiant quo casu statim est in seisina, licet non statim immittat averia sua, & semper videtur uti, donec seisinam suam amiserit per non usum, vel donec disseisitus inde fuerit in toto vel in parte, ut si averia sua immittere non possit cum velit, vel cum semel immiserit uti non possit debito modo, vel quo casu ei subveniend' est per ass. sive usus fuerit, sive non, propter solam constitutionem, cum sit quasi in possessione, quia jura quasi possidentur, & sic adquiritur possessio servientis ante usum sine usu, cum ad alium transferri non potest, nisi contineatur in constitutione servitutis, quia servitus remanet sibi & hæred' suis, vel cui illam dare voluerit, vel assignare, sic autem adquiritur possessio servitutis, sed

ſed nunquam retinetur niſi per uſum verum, cum averia ſua immiſerit unum vel plura: licet non omnino vel omnimoda immittat quæ immittere poſſet per conſtitutionem, & eodem modo adquiri & teneri poterit ſeiſina ſine aliqua conſtitutione, per patientiam & longum uſum. § 3. Conſtitui vero poteſt ſervitus multipliciter, videlicet, ut ſi quis habeat jus paſcendi in fundo alieno, jus fodiendi, jus hauriendi, jus piſcandi, aquamve ducendi, & jus venandi, & alia infinita poterunt eſſe jura, & ſecundum quod ſervitutes habent ſub ſe plures ſpecies, vel non habent, & ſcilicet quod ſervientes plura habent pertinentia, & pertinentia pertinentiarum, ſed quoniam magis celebris eſt illa ſervitus per quam conceditur alicui jus paſcendi, ideo primò de ea dicendum eſt quæ dicitur Communia paſturæ.

De Communia Paſturæ Statutum. CAP. 19.

Communia autem nomen generale eſt, & convenit ſuis partibus ſicut genus ſe habet ad ſuas ſpecies; communia enim ex virtute vocabuli componitur ex una & cum, & ſubintelligitur alia, hoc eſt communia in alieno, & uno cum alio, & non in fundo proprio, quia nemini ſervit ſuus fundus proprius. § 2. Adquiritur enim communia modus multis: ſicut ex cauſa donationis, ut ſi quis dederit terram cum communia paſturæ; & ex cauſa emptionis & venditionis, ut ſi quis dederit terram cum communia paſturæ; & ex cauſa emptionis & venditionis, ut ſi quis emerit in fundo alieno, ac pertinent ad ten' ſuum, licèt ſit de feodo alieno, & diverſa Baronia, & de diverſis Comitatibus contiguis, tamen ex conſtitutione dominorum ſuorũ. § 3. Adquiritur etiam per ſervitium, & ex cauſa vicinitatis, ut ſi qui cum vicino, & vicinus cum eo, & ex longo uſu ſine conſtitutione cum pacifica poſſeſſione continua, ex ſcientia & patientia dominorum, ſed non ballivorum, & eiſdem rationibus pertinere poterit communia ad liberum ten', dum tamen à tempore in brevi mortis anteceſſoris ante comprehenſum & infra. § 4. Alioquin, ſi etiam ejiciantur non recuperabunt. Conſtitutum eſt enim quod cum quis jus non habens communicandi, uſurpet tamen tempore quo hær' extiterint infra ætatem, vel uxorem ſub poteſtate virorum exiſtent', vel dum paſtura fuerit in man' tenentis in dotem, vel per legem Angliæ, vel ad terminum vitæ, vel annorum, vel feod' talliatum ut paſtura illa diu uſi fuerint quod habentes hujuſmodi ingreſſum à tempore quo currit breve mor' an ſi prius communiam non habuerint, ſi ejecti inde fuerint, quamvis ſine judicio, per aſſ' tamen nov' diſſ' nullum habet recuperare, dum tamen per proprietarium in caſu quo poſſeſſio juncta eſt juri, ſecus tamen erit ſi ejecti fuerint per jus non habentem; In eo quod communia eſt nomen generale, plures ſub ſe continet ſpecies. § 5. Eſt enim communia in eo quod paſtura dicitur de omni quod edi poterit, vel paſci, largè ſumpto vocabulo, vel ſtrictè: largè, ut ſi quis communiam habeat in alieno, ut communiam herbagii poſſeſſ' ſive glandis ſive nucum, & quicquid ſub nomine poſſeſſione continetur, & etiam foliorum, & frondium, & rationabilis eſtoverii ſaltem ad terminum vitæ. § 6. Item dici poterit Communia habere jus fodiendi in alieno aurum & argentum, lapides, cretam, arnam & alia

alia metalla & turbam & hujusmodi, vel jus falcandi herbam vel brueram vel hujusmodi ad rationabile estoverium, vel ad secand' in alieno bosco rationabile estoverium ædificandi, claudendi, & ardendi. § 7. Distingui autem poterit com'a pasturæ per tempora, ut si omne tempore vel certis temporibus vel certis horis; & etiam per loca, ut si ubique & per totum sine aliqua exceptione. Excipiuntur tamen quædam tacitè & quandoque expressè, sicut rationabilia defensa quæ exigi non poterunt ratione pasturæ nisi specialiter concedantur, & non nisi post tempus, qualia sunt blada, prata & quædam loca specialiter custodita ad boves, vel vaccas, vel vitulos, vel agnos, vel hujusmodi in suis temporibus. § 8. Præterea nec in cur' alicujus nec in gardinis vel viridariis, nec in parcis, nec in dominicis alicujus quæ claudi possunt & excoli, nisi per certum modum constitutionis, & certis temporibus, vel certis horis & determinatis, & infra certa loca, & ad certa genera averiorum, ut si ad omnimoda averia, & sine numero vel cum coarctatione, & cum numero vel ad certum genus averiorum. § 9. Communia autem dici non debet quod quis habet in alieno sive pro precio sive ex causa emptionis cum ten' non habeat ad quod possit com' pertinere, sed potius herbagiū cum hoc possit esse quasi personale quid, sive certum dederit quis pro herbagio habendo sive incertum, quod si fuerit incertum, ut cum quis aliquando plus dederit, aliquando minus, hoc erit potius emptio herbagii quàm pastura, & potius prædiale quam personale.

Qualiter dissolvitur Communia. CAP. 20.

SIcut autem adquiritur communia voluntate & assensu partium, ita dissolvi potest ex mutua utriusque voluntate si velint dissentire per renunciationem, remissionem & quietam clamationem; nec sufficit si unus eorum remittere velit & resilire nisi ambo in hoc consentiant: & sicut adquiritur sine constitutione & consensu per longum usum & patientiam, ita amitti potest per negligentiam & non usum in perpetuum vel ad tempus; imperpetuum, ut si tempus excludat omnem actionem tam super possessione quam super proprietate; vel sic imperpetuum, vel excludat assisam imperpetuum super possessione & non jure, quia assisa infra certum tempus limitatur, & sic tollit omnem actionem vel aliquam. § 2. Dissolvi etiam poterit ex toto per communem dissensum, sive hoc sit inter participes & hæredes vel inter vicinos dominos ten' vel extraneos, quia non nisi communiam clamare poterunt in ten', ut si ita convenerit quod ten' quod prius fuit Com'ia inter partes dividatur pro certis portionibus, ita quod id quod fuit commune jam fiat omnium pro virilibus portionibus seperale secundum majus & minus, & quo casu cum semel consenserint iterum non poterunt dissentire. § 3. Item, potest constitutio servitutis aliquando minui & restringi, & mutari & coarctari, & eodem modo augeri poterunt & ampliari, si non contra voluntatem contrahentium quia per hoc competeret domino tenenti assisa novæ disseisinæ, veruntamen si per vim agetur sic competeret ei ass. no. diss. de communia pasturæ cui debetur servitus secundum mod' & constitutionem servitutis. § 4. Est tamen quædam

constitutio per quam invito eo cui servitus debetur coarctatur communia, quæ talis est. § 5. Quia multi sunt magnates qui feoffaverunt milites & liberè tenentes suos in maneriis suis de parvis ten', & qui impediti sunt per eosdem quod commodum suum facere non possunt de residuo maneriorum suorum, sicut de vastis, boscis & magnis pasturis desicut ipsi feoffati sufficientem habere possunt pasturam quantum ad ten' sua pertinet, provisum fuit & concessum ab omnibus quod cum hujusmodi feoffati à quibuscunque de cætero arannaverint versus dominos suos as. no. diss. de communia pasturæ partem prædictorum ten' suorum excoluerint, si coram Justic' cognoverint quod sufficientem habeant pasturam quantum ad ten' sua pertinet cum libero ingressu & exitu & chaiciam de ten' suis usque ad pasturam illam quod illi sint contenti, & tales illi de quibus tales questi fuerint quieti sint de hoc quod commodum suum ita fecerunt de terris & vastis & pasturis suis. Si autem dixerint quod sufficientem pasturam non habuerint quantum pertinet ad ten' cum sufficienti egressu & ingressu, inquiratur inde veritas per assisam, & si per assisam recognitum fuerit quod de libero ingressu & egressu extiterint impediti, vel quod non habeant sufficientem pasturam, tunc recuperent querentes sesinam suam per visum recognitorum. Ita quod per sacramentum & discretionem eorundem habeant querentes sufficientem pasturam cum sufficienti & competenti ingressu & egressu in forma prædicta, & disseisitores in misericordia sint & dampna reddant, & de residuo liceat hujusmodi dominis commodum suum facere & appruare. Et quia forinseci tenentes non habent majus jus communicandi in vasto, bosco aut pastura alicujus domini quam sui proprii tenentes; Statutum est quod prædicta constitutio de cætero locum obtineat inter hujusmodi dominos & vicinos suos sicut priùs locum habuit inter dominos & tenentes. Ita quod hujusmodi dominis vastorum, boscorum & pasturarum salva sufficienti pastura tenentibus suis & vicinis liceat appruare: Et hoc observetur de hiis qui clamant per pasturam tanquam per tenentem ad liberum tenementum suum. Si quis autem communiam clamat per seperale factum ad certum numerum averiorum aut alio modo quam de jure communi habere debet, cum conventio legi deroget, habeant suum recuperare quale habere debent per formam concessionis sibi factæ. §. 6. Statutum est etiam quod occasione molendini ventricii, bercariæ, waeriæ, vaccariæ, augmentationis curiæ vel curtilagii nullus gravetur per ass. no. diss. de communia pasturæ. § 7. Amittit etiam poterit contra voluntatem, ut si quis ita negligens fuerit quod seisinam suam sine brevi & sine judicio resumere non possit: diligens enim debet quilibet esse in utendo cum negligentia sicut violentia possit ei esse dampnosa, ut si hodiè repulsus fuerit quis per vim & in crastino si possit averia sua immittat & utatur, & sic de die in diem, & sic non amittit seisinam propter diligentiam licet illam habeat contentiosam. Si autem omnino per vim repellatur & resisti non possit, vel saltem omninò non repellatur, sed quod commodè uti possit, nec per modum constitutionis servitutis, statim recurrend' est ad illum qui jura metur & habebit

remedium

remedium per assisam quæ super hæc prodita est recuperandæ possessionis gratia: commodè dico, ut si fiat aliquid in alieno ad nocumentum servitutis per quod omnino uti non possit; vel non commodè, ut si quis murum fecerit vel hayam, statim demoliatur, vel saltem post tempus per assisam. Item si transferri debeat communia ad alium, oportet quod transferatur ad certas personas & à certis personis usque ad certa ten' quibus servitus debetur, quia hujusmodi jura sine corporibus esse non poterunt, videlicet sine corporibus quibus servitur, & sicut incorporalia traditionem non patiuntur nec possideri poterunt sed quasi, ita nec transferri poterunt sed quasi, & sufficit pro traditione aspectus loci in quo hujusmodi jura constituuntur & mutua voluntas contrahentium & affectus possidendi, & ex sola voluntate & affectu est quis quasi in possessione; & licèt statim non fuerit usus, semper tamen utitur vel quasi, donec per non usum vel per vim & per negligentiam vel longam patientiam amittat seisinam: ut si ille qui hujusmodi servitutem alicui concesserit aliquam partem pasturæ suæ appruaverit vel totam, & ille cui concedatur omnino teneatur extra, sive prius pecora sua immiserit sive non, facit disseisinam; si autem ille cui servitus concessa fuerit viribus concedentis possit resistere, statim cum herba pullulare cœperit, averia sua immittat & pascat sive ante usus fuerit sive non, & sic per usum retinebit servitutem etiam per unicum averium vel per duo, licet is non tòt immittat quot immittere posset vel debet; & si nullum averium proprium habuerit, sufficit si nomine suo immittat alienum nisi in donatione contineatur quod immittere non liceat nisi dominicum; Si autem proprium non habuerit nec alienum, sufficit quod resistat in quantum possit, & denunciet cultori opus novum, scilicet quod excolere non sit ei licitum, & sic facta contentione & re effecta litigiosa immittere poterit cum voluerit licet blada sint matura; si autem tam causâ negligens extiterit quod statim averia non immiserit nec alio modo contentionem non apposuerit, amittere poterit sed per virtutem post talem negligentiam & seisinam, & unde sic cum blada matura fuerint vel cum spicas emiserint, & herbæ naturam mutaverint, averia tunc primò immiserit vel contentionem fecerit, faciet domino fundi disseisinam de ten' suo, & ita quod dominus fundi recuperare poterit suum liberum ten' propter usurpationem, & alius amittet seisinam communiæ pasturæ, & vix audiendus est in posterum super proprietate, & hoc propter negligentiam sive impotentiam cum magna negligentia trahatur ad consensum. Sed si aliquis opponere poterit sic, Esto quod quis alienum excolat ten' & dominus ten' sciens & prudens dissimulaverit quousque blada matura fuerint, non prius fit ei disseisina propter culturam quam quousque blada asportaverit; & cum ille per tantum tempus dissimulaverit quousque blada matura fuerint, quare non amittat ille seisinam suam per negligentem patientiam sicut & ipse pasturam? § 8. Ad quod sciend' est quod si negligens patientia patiens cautela, nec fit ei in aliquo disseisina per culturam cum hoc velit, quia per culturam semper melioratur conditio culturæ; secus verò est in pastura ex quo per patientiam nullum bladum facit suum

 sed

ſed per culturam deterioratur paſtura, & quandoque patiens meliorem ſuam facit conditionem & quandoque deteriorem, & quamdiu fecerit injuriam ſuam ex mea voluntate patientia non currit contra me, quod ſi contra aliud eſſet. § 9. Et poterit quis ſic uti tam nomine proprio quam alieno, ut ſi cuſtos utatur nomine hæredis qui fuerit in cuſtodia ſua, vel
Nota. quis alius, ſicut rector ratione dignitatis & Eccleſiæ ſuæ, & ſemper utitur talis & poſſidet cujus nomine utitur & poſſidetur, & cum Eccleſia fungatur
Nota. vice minoris adquiret Eccleſia per Rectorem & retinet per eundem ſicut minor per Tutorem; & quamvis moriatur Rector non cadit tamen Eccleſia de ſeiſina ſua, de qua Rector ſeiſitus moritur nomine Eccleſiæ ſuæ non magis quam minor ſi cuſtos moriatur & pervenerit in alterius cuſtodiam, per hoc enim non mutatur ſtatus minoris. § 10. Eodem modo fieri debet Succeſſor quam Prædeceſſor habuit, quia Eccleſia ſemper manet in ſua poſſeſſione quamvis Rector moriatur. § 11. Et cum ſucceſſor ſit inſtitutus ſtatim nomine Eccleſiæ eſt quaſi in poſſeſſione & videtur uti nomine Eccleſiæ, etiam licet pecus non immiſerit, & cum impeditus fuerit cum imittere voluerit ſeſinam ſuam & ſtatum prædeceſſoris ſui per aſs. no. diſſ. recuperabit. Si autem tempore vacationis ante inſtitutionem medio tempore à poſſeſſione ceciderit, tunc fiat breve de recuperanda ſeſina nomine Eccleſiæ ſuæ quam prædeceſſor ſuus habuit die quo obiit. Sed quid ſi ante mortem Rectoris qui obiit fuerit Eccleſia ſic diſſeiſita? tunc erit Rectori ſuccurrend' per breve de ingreſſu ad ſimilitudinē aliarū diſſeiſinarū, licet Rector hæres dici non poterit ſed ſucceſſor. § 12. Si quis igitur diſſeiſitus fuerit per vim de com'ia paſture ſuæ ſive impediatur quo minus commodè & modo debito uti poſſit & ſecundum quod ſe habet ad ea quæ edi poſſunt, vel ſecundum quod largè ſe habet ad alia quæ ſunt ad utilitatem, ſi ſtatim ſe non poſuerit in ſeiſinā cum non poſſit per negligentiam vel cum non poſſit propter violentiam & vim majorem, ſtatim recurrend' eſt ad illū qui jura tuetur ad impetrand' aſſiſam quæ prodita eſt recuperandæ poſſeſſionis gratia. § 13. Plures enim conſtitui poſſunt ſervitutes in uno fundo pluribus & per totum, ſicut uni & plures poſſunt ibi eſſe ſervitutes licet fundus unus tum ratione diverſorum tenem' ad quæ pertinent, tum ratione diverſarum perſonarum quibus ſervitutes debentur, tum quia plures perſonæ & diverſa ten', & ſic diverſa jura, & ideò diverſæ diſſeiſinæ & plura brevia, & quia plures habere poterunt jus paſcendi in uno ten', non fiat unum breve ratione ten' in quo ſervitus conſtituitur quod unum eſt ſed plura. Si autem ten' ad quod communia pertinere dicitur commune ſit inter plures ſicut inter cohæredes ſine participatione, ſive omnes diſſeiſiti fuerint ſive quidam illorum, unica erit diſſeiſina & non plures propter unicum jus quamvis plurium perſonarum & propter unicum ten' propter diviſionem. § 14. Item ſi ten' in quo communia conceditur commune ſit pluribus participibus, hæredibus vel vicinis, & unus illorum diſſeiſinam fecerit, non erit propter hoc ſuper omnes impetrand' ſed ſuper illum tantum qui fecit injuriam, niſi omnes vel quidam illorum ante impetrationem hoc expreſſe advocaverit poſt impetrationem

rationem ante captionem assisæ etiam si in brevi non nominetur, benè se ponere poterunt in assisam ac si nominarentur si velint sicut in aliis assisis no. diss. ut sic terminetur negotium versus omnes; quod si facere voluerint nihilominus procedet assisa versus nominatos, & si querens per assisam recuperaverit, recuperabit versus omnes, quia si postea velint participes iterum eum disseisire & ipse impetrabit super eos etiam sine Jurata recuperabit per primam assisam, quia assisa super assisam de eadem re non est capiend' ne secunda contraria sit primæ, quia sic possent judicia esse in incerto.

De Processu per visum. C A P. 21.

FActa autem sic impetratione & attachiato brevi statim fiat visus Juratoribus qui communiam videant & locum in quo petitur communia, & etiam ten' ad quod communia dicitur pertinere ut illud in quo petitur communia, & qualitatem & quantitatem, & per quas metas & de tempore, genere, numero averiorum. § 2. Audito vero brevi coram Justic' cum in partes illas venerint statim proponat querens intentionem suam secundum formam brevis & primo confirmata persona statim doceat rationem qualiter pertinere debeat ad ten' suum, qui si liberum ten' non habeat actionem non habebit. Dicere enim poterit quod communia pertinet ad liberum ten' suum quia feoffatus fuit de tali ten' cum communia pasturæ ad tot averia, & quo casu oportet quod doceat de qualitate pasturæ utrum larga fuerit vel stricta. Incongruè enim queritur quis dicendo tot acras peto communia, cum queri debeat in quot acris; propterea docere debet de quo ten' pertinet & ad quale ten' & eodem modo de genere, numero, tempore & modo, & si aliquando fuerit ampla & postmodum fuerit coarctata.

De exceptionibus generalibus pro eadem & specialibus. C A P. 22.

FUndata igitur intentione querentis multipliciter excipi poterit à tenente ut persona Judicis & persona sua propria, & contra breve de erroribus si querela non pertineat ad ipsum, vel quod nunquam fuit indè seisitus, & etiam contra personam querentis ut supra de questione status, excepto eo quod si libera copulata villano assisam arrannaverit de communia pasturæ pertinente ad liberum tenem' suum cum villanus sit extra possessionem domini sui in libero tenem' recuperare debet seisinam non obstante exceptione villenagii à quocunque præposita, saltem donec villanus ad villanum convincatur & in servitutem redigatur; nec etiam tunc licitum est domino se ponere in ten' mulieris cum hoc non sit ten' proprium villani, quod si fecerit recuperabit villanus & ux' per as' no. diss. non obstante exceptione, quia nulli competit hujusmodi exceptio nec etiam domino; & unde cum aliquando proposita esset exceptio villenagii contra villanum & ux' liberam petentes per assisam communiam pasturæ ut pertinentem ad liberum ten' ipsorum, in fine consideratum fuit quod communia pasturæ libero ten' adjungeretur tanquam accessorium principali.

&

& sic factum est per officium Judicis, quod fieri debuit jure actionis. Cum igitur proposita sit hujusmodi exceptio contra personas querentium, videri debet an competat ten' vel non, quæ si competat oportet quod tenens illam probet sicut querens actionem. § 2. Continetur enim si talis injuste disseisivit, poterit enim quis esse in seisina licet non statim utatur, & nomine alieno sicut & nomine proprio; alieno, sicut clericus nomine Ecclesiæ suæ, qui cum fuerit institutus & invenerit Ecclesiā suam scilicet in seisina quæ nunquā fuit disseisita statim est seisitus, licet non tamen utatur; veruntamē si disseisit' fuerit & assisa arrainata, & objectū fuerit excipiendo quod disseisiri non potuit quia nunquā fuit in seisina, tunc videnđ' est ex qua causa dicat communiā ad liberum ten' suum pertinere, ut si ex causa donationis, tunc statim ex mutua voluntate contrahentium per affectum & aspectum est quasi in seisina & sufficit pro traditione licet non statim utatur, & semper videtur uti animo & voluntate præsentia & aspectu civiliter & naturaliter donec amiserit per non usum. Si autem petat communiam ut pertinentem ad liberum ten' suum ex causa successionis, tunc videnđ' erit utrum antecessor suus obiit inde seisitus vel non, ut si ante mortem suam fuit inde disseisitus, & tunc refert quando. Si autem inde seisitus obiit tunc incipit statim hæres habere eandem seisinam quam antecessor suus habuit, cum seisitus fuerit de hæreditate quæ est quasi principale & corporale, & sic de accessorio sicut de jure pascendi quod est incorporale, & quod ex solo animo adquiritur & voluntate possidendi. Et licet statim verè non utatur per immissionem pecorum utitur tamen vel quasi, & si postea prohibeatur ei immittere, competit assisa nov. diss. ad alium tamen transferri non potest communia per se ante verum usum, nisi hoc forte sit cum corpore ad quod pertinuerit, sed non tamen tenementum in quo communia fuerit licet tamen cum servitute illa. Et si forte post mortem Antecessoris uti voluerit quamvis prohibitus fuerit vel impeditus dum tamen recenter, ante mortem adhuc retinet seisinam civiliter licet seisinam pacificam non habuerit, & si habuerit sed cum difficultate, nihilominus tamen per usum talem retinet sibi seisinam donec omnino prohibitus fuerit quod uti non possit. Et tunc primò ad superiorem erit recurrend' pro brevi de ingressu super disseisinam, non tamen quoad pœnam diss. sed quoad restitutionem. § 3. Continetur etiam in brevi de communia pasturæ suæ pertinente ad liberum ten', & ex hoc datur tenenti exceptio quod dicere poterit quod ten' in quo communia petitur & ten' ad quod dicitur pertinere sunt de diversis Baroniis & diversis feodis, & feodum in quo communia petitur liberum est, & alteri feodo villani debet servitutem, nec unquam habuit talis ibi Ecclesiam nec jus pascendi ex aliquā constitutione vel aliquo usu nec pro servicio nec pro vicinitate. Et si unquam habuerit seisinam vel usum, tamen nullam habuit pacificam sed contentiosam & per vadiorum captionem cum emendatione dampni; & tunc doceat querens contrarium si possit. § 4. Item, dicere potuit quod si aliquam seisinam indè habuit illam habuit per vim, clam vel precario, & quod ten' ad quod communia dicitur pertinere suum liberum ten' est &

non

non querentis & nisi querens doceat contrarium cadit assisa. § 5. Item, excipere poterit tenens quod querens nullam communiam poterit clamare, quia ten' illud est suum seperale & illud includere potest & excolere pro voluntate sua, & omni tempore habere inclusum, ad quod doceat querens contrarium si possit per assisam vel diversum, scilicet quod nullo modo includi poterit, vel quod non nisi certis horis & temporibus. § 6. Item, respondere poterit tenens & dicerere, quod iste qui queritur nullum omnino liberum habet ten' vel quasi ad quod aliqua communia possit pertinere nec mansiunculam; vel dicere poterit quod nulla cummunia possit pertinet ad tale tenem' quia illud olim fuit foresta, boscus & locus vastæ solitudinis, & communia jam efficitur assartum & redactum est in culturam, & communia non potest pertinere ad communiam, præsertim ubi omnes de patria communicare solebant; Et idem dici poterit de mariscis & aliis vastitatibus in culturam redactis. § 7. Item, dicere poterit contra assisam quod principalis disseisitor mortuus fuit ante impetrationem brevis vel ante captionem assisæ, vel dicere poterit tenens quod aliàs petiit ten' cum pertinentiis & obtinuit per judicium, & illa communia ad illud ten' pertinuit quam ideò amisit. § 8. Item dici poterit si ten' petatur quod ille qui modo petit ten' in dominico aliàs inde petiit communiam & illam amisit per judicium, & ex quo petiit communiam, & nemini servit fundus proprius, per hoc concessit tacitè quod nullum jus habuit petendi ten' in dominico, & talis exceptio oritur ex præsumptione, & hoc quidem dici poterit sive ten' & querentis solum sit proprium vel cum aliis commune, ita quod nullus sciat suum seperale. § 9. Item, dicere poterit contra assisam & contra breve quo die quo breve fuit impetratum fuit querens in pacifica possessione & postea ita quod quando impetravit nulla subfuit causa impetrandi, & sic impetratio nulla. Et si disseisitus fuit quando impetravit non habet causam querendi, quia post impertrationem sine judicio & Judice seisinam suam usurpavit, & quia sic injustè & sine judicio dicere potest quod ipse jam impetravit br'e super eum de no.diss.de lib ten'; vel dicere potest quod querens amisit querelam per usurpationem sine judicio per judicium subsequens de libero ten' quia sibi usurpavit quod exposcere debuit per judicium: ut cum quis primò impetravit, & postea seisinam gratis oblatam receperit quam quidem sibi usurpaverit, secus esset, quia tunc posset querens teneri disseisito ex reconventione ut id quod voluerit habere pro se, habeat contra se, ut si usurpator agat per assisam ad retinend' quod usurpavit, spoliatus recuperabit per reconventionem spoliati licet justè seisinam sibi usurpavit; nihilominus tamen si petat per assisam id quod tenet capienda erit assisa, & ille qui sic usurpavit in misericordia per usurpationē remanebit, restitutionem tamen non faciet per judicium, nisi ille qui ita sine judicio disseisitus est, licet sibi injustè perquirere velit per as' no. diss. versus usurpantem vel agere de reconventione. § 10. Si quis igitur assisam portaverit no. diss. cum fuerit firmarius cum non competit ei assisa cum teneat nomine alieno, si postmodum incipiat habere in feodo & fiat dominus ubi prius Firmarius, quero an breve impetratum ei prodesse debeat; & videtur quod non, quia tempore

tempore impetrationis non habuit jus impetrandi, sed alius, & ideo spectandum est tempus datæ.

De Admensur' Pasturæ. CAP. 23.

CUm quis autem jus habeat pascendi in alieno fundo, aliquando plura immittit averia quam liceat, & aliquando plura quam expediat. Si autem plura quam liceat, ut cum concedatur ei communia ad certum numerum averiorum vel ad certum genus vel quantum pertinet ad tantum ten' in eadem villa, si plura immittat in numero vel in genere quàm ei liceat contra voluntatem ejus cujus fundus fuerit, si talis in continenti resistere non possit, competit ei remedium per ass. pro illa parte pro qua ille qui communiam habet debitum numerum vel genus excedit, eò quod in hoc contractat ten' domini contra voluntatem suam ac sicut esse posset si omnino nullam communiam haberet, & averia sua contra voluntatem domini per violentiam immittere vellet, competit etiam ei aliud remedium ut per aliud breve id quod debitum numerum vel genus excedit redigatur ad licitum & debitam mensurā. § 2. Admensuratio verò nihil aliud est quam redactio ad mensuram. Illis autem qui communiam tantum habent in fundo alicujus aliud remedium non competit nisi admensuratio. Si autem plura quam expedit, locum habet admensuratio; ut si alicui concedatur talis communia ad omnimoda averia sua sine numero, & alius similiter successivè vel ad certum numerum vel sine, si quis tot immiserit quod pastura omnibus non sufficiat, competit ei remedium id quod excedit & nocet, ad debitum numerum redigatur. § 3. De hoc autem quod dicit in brevi plura, scire debet numerum quot habere debet utrum ad certum numerum, vel secundum terræ suæ quantitatem, & per hoc quod dicit, secundum liberum ten' quod habet in prædicta villa, si tenens possit docere quod plura habere debeat, bene licebit. § 4. Officium verò vic' in hac parte est accepto brevi in propria persona accedere ad locum in quo petitur communia, & ibi convenire fac' hundr' ut omnes quos admensuratio illa tangit, & in præsentia utriusque partis si summonitæ interesse velint & quas rationes suas & responsiones prætendant per sacramentum vicinorum per quos rei veritas melius sciri poterit, & per inspectionem cartarum & instrumentorum diligenter inquirat quot pecora ille de quo queritur breve, debet per constitutionem servitutis vel ex causa donationis vel ratione ten' sui ex vicinitate per longum usum, & si sine numero, & ubique, tunc inquirat ad quot averia sufficiat pastura illa, & quot sustinere possit secundum tempus feoffamenti, & secundum tempus constitutionis servitutis, ut si communia sufficiens fuit omnibus qui ibi communicare debent, & si postmod' effecta sit insufficiens omnibus qui ibi communicare debent per superonerationem, vel per novum feoffamentum & per quod alii qui communicare deberent ratione primi feoffamenti suam amittāt communiam in parte vel in toto, & sic omnibus examinatis procedat admensuratio, & quod superfluum fuerit redigatur ad mensuram. Est enim modus & mensura & fines certi ultra quæ & citra nequit consistere rectum. Et

notand'

notand' quod communicantibus contra dominum ten' duo competunt remedia de ſuperoneratione vel admenſuratio vel aſs' no. diſſ. de communia paſturæ, ſi communia per ſuperonerationem amittatur in toto vel in parte, eodem modo ſicut domino competit contra eos & ſuperoneratione contra voluntatem ſuam; & eodem modo plures communicantes eadem habent remedia inter ſe, ſi quis eorum ſuperoneraverit plures, etiam hær' & participes, qui aliquam partem tenementi ſui reliquerit ad paſturam in communi, & unus vel quidam ſuperoneraverit, quod locum habeat admenſuratio vel aſs' no. diſſ. non tamen de communia paſturæ ſed de libero ten', ac ſi unus ſive alius aliquid ſibi vellet appropriare, & ſi ſit quis qui paſturam velit ſuperonerare aliter quam liceat vel expediat, vel aliter quam pater vel alius anteceſſor fecerit, fiat admenſuratio per breve. § 5. Et ſedata contentione ſic ſuperonerationis ſi iterum contingat aliquem ipſam ſuperonerare, tunc fiat ſecundum proceſſum hujus conſtitutionis. § 6. Cum placitum fuerit motum per breve de admenſuratione paſturæ & paſtura fuerit admenſurata aliquando cor' Juſtic', & aliquando multotiens contingat, quod poſt hujuſmodi admenſurationem factam iterum ponat ille qui ſuperoneraverit paſturam plura averia quam ad ipſum pertineret habend'; Statutum eſt quod de ſecunda ſuperoneratione fiat remedium querenti ſub hac forma, quod querens habeat breve de judicio de ſuperoneratione ſecunda ſi coram Juſtic' admenſuratio fuerit paſturæ, quod tunc in præſentia partium præmunitarum ſi intereſſe voluerint, inquirat de ſuperoneratione, quæ ſi inventa fuerit, mandetur Juſtic' ſub ſigillo Vic' & Jurator', & Juſticiarii adjudicent querenti dampna ſua, & ponant in extractis valorem animalium quæ ſuperonerans poſt admenſurationem factam poſuit in paſturam ultra numerum quem debuit, & extractas liberent Baronibus de Scaccario de quibus oneretur vic' in extractis de Scaccario. Si autem in Comitatu facta fuerit admenſuratio tunc ad inſtantiam querentis exeat breve de Cancellar' vic' quod inquirat ſuper hujuſmodi oneratione, & de averiis poſitis in paſtura ultra debitum numerum, vel de precio, & vic' de precio illo reſpondeat Regi ad Scaccarium ſuum.

De conſtitutione ſuper eadem.

Quo jure. C A P. 24.

NOn ſemper autem debetur ſervitus prædiis vicinorum ex conceſſu & conſtitutione dominorum, ut ſi quis habeat communiam paſturæ & jus paſcendi in fundo alieno, ſed ex neglientia & diſſimulatione vicini per uſum tantum, & talis ſeiſina magis habet ſubſtantiam ex tempore quam ex jure, & ideo abſurdum erit omnino quod cum tali remaneat poſſeſsio cum ſemel per aſsiſam fuerit acquiſita, niſi doceat de jure ſuo; Sed prius vidend' eſt cui competat actio, non enim poterit quis alium implacitare per hoc breve, Quo jure niſi ſit capitalis dominus totius manerii vel villæ in qua petitur communia, vel ſaltem alicujus partis, & quod ſint de diverſis Baroniis, vel diverſis feodis, vel diverſis feoffamentis; Ita quod dominus qui petit & ille verſus quem petitur jura ſua habeant ſeparata, ſicut ten' diverſa & paſturas diverſis ſecundum quod paſtura largè ſe habet vel

ſtrictè. § 2. Si autem plures feoffati fuerint ab uno domino in uno manerio vel in una villa, non competit eis tale breve vel talis actio, cum inter vicinos rectè loquendo de eadem Baronia & eodem feodo, potius debet dici vicinitas quam communia debita, ſecundum quod dicitur ſi unus communicet cum vicino & vicinus cum eo, & aliter non; Cum igitur quis per judicium ſeiſinam ſuam recuperaverit propter uſum amittere debet illam pro quo jure, niſi doceat quo jure illam exigat; & poterit unus dominus capitales vel plures placitare verſus unum dominum capitalem vel verſus plures ſive ten' habeant in diverſis villis ſive in una villa, dum tamen ibi ſint diverſæ Baroniæ vel diverſa feoda. § 3. Ad ſummonitionē verò hujuſmodi brevis poteſt ſummonit' eſſoniari primo die, & eodem modo querens ſi voluerit. § 4. Si autem ſummonitus non venerit nec ſe eſſoniaverit, attachietur ſicut in perſonali actione, quia hic non petitur paſtura ſicut per br'e de recto; cum autem poſt omnes diſtrictiones ſimul apparuerint tunc ſtatim inquiratur ſi implacitatus communiam petat & clamet, & ſi reſpondeat quod ſic, tunc inquiratur qualem, & ipſa ſpecificata procedatur, ſicut per breve de recto, & ſi extunc defaltam fecerit capiatur paſtura in manum Reg' per parvum cape donec comparuerit, & ſic amittere poterit de facili, & hoc ita ſi nulla præceſſit aſſiſa no. diſſ. ſed ſi præceſſerit recenter tunc per aſſiſam videri poterit quæ & qualis fuerit communia quæ petitur. § 5. Inquiratur etiam ſi tale ſervicium fecerint & tale, & ſi talis à tali tempore cujus non exiſtat memoria ſemper communiam habuerit, & ſi taliter feoffatus fuerit ut dicit cum communia paſturæ, vel ſi illam emit & hujuſmodi, & ſecundum quod probatum fuerit per patriam retinebitur communia vel amittetur. § 6. Si autem venerint tunc docere poterit quo jure communia petit, ut ſi ipſe ſimul communicaverit cum aliis de communi conſenſu ab antiquo, vel quod facit ei certum ſervicium tale vel tale, ſervicium enim multiplex eſt, ut ſi denariis, meſſuris, falcationibus, aruris, operibus, conſuetudinibus & præſtationibus variis dum tamen certis & determinatis temporibus & terminis; non tamen ad voluntatem accipientis indeterminatè aliquando plus & aliquando minus; quod ſi ita eſſet potius precium pro homagio diceretur quam communia: ſi autem jus non habeat paſcendi herbam paverit per eſcambium vel cum warda facta & propterea denarios dederit vel ſervicium fecerit, hoc potius erit emenda pro tranſgreſſione quam ſervicium pro com'ia. Si autem vicinitas vel ſerviciū non intervenerit dicere non oportet interveniſſe donation' & titulū, vel longum tempus & longum uſum qui memoriam hominum excedat, tale enim tempus ſufficit pro jure, non quia jus deficit ſed quia actio deficit vel probatio, & ſufficit pro jure ſi ille de quo queritur docere poſſit quod aliquando ſimul communicaverint, licet nunc non communicet, ut ſi querens per negligentiam ſuam vel ſuorū communiā ſuam amiſerit, ut ſi vicinus partē ſuam amiſerit vel excoluerit & appropriaverit, hoc vicinus ſibi & negligentiæ ſuæ poterit imputare, & cum querens ad objecta reſponderit contrarium vel diverſum, hoc per patriam in modum Inquiſitionis declarabitur, ſcilicet per verba hæc, Talis querens & homines ſui de tali villa, & ille de

quo

quo queritur, & homines sui de alia villa semper simul communicare solent in tali loco & tali. § 7. Si autem ten' talium sint de eadem Baronia & de eodem feodo & in una villa, non poterit quis communiam dedicere inter vicinos propter vicinitatem, nisi hoc fecerit aliquid speciale, & si recognitum sit in judicio ab eo qui communiam clamat quod tenens terram in qua communia petitur illam includere possit & arare & in ea ædificare vel aliud facere pro voluntate sua, cadit breve Quo jure. Tenens autem implicitatus ponere se poterit in magnam assisam ad recognoscend' utrum ipse majus jus habeat tenendi terram sive ten' sive communiam quam idem petens ibi habere vel clamare possit, quia ille qui petit hujusmodi communiam pasturæ in eadem sicut illam petit, vel è converso. § 8. In hoc autem brevi duo sunt verba quæ non tangunt ipsum jus, hominem tamen ab actione repellunt desicut ipse non communicat in terris ipsius, nec servicium sibi fecit per quod communicare debeat in terris suis. § 9. Poterit etiam peti judicium contra querentem, & desicut ille capit redditum pro communia de eisdem deforciantibus si communiam habere debeat. § 10. Item, docere poterit qualiter ten' sit seperale tenentis quare communiam habere non debet. § 11. Item, potest dici quod omnes qui communiam habent in pastura illa non sunt in brevi nominati, nec ill' sine percennariis debent respondere. § 12. Item, sicut implacitatus ponere se poterit in magnam assisam, ita proferre poterit in hoc brevi duellum. § 13. Item desicut ille petens est peti poterit judicium si ponere se possit in magnam assisam. § 14. Item, defendere debet seisinam sui Antecessoris, vel monstrare per quam rationem clamant communiam habere. § 15. Et sciend' quod siquis de communia pasturæ suæ disseisitus fuerit & perquisierit per breve. Quo jure semper procedet as' no. diss. sicut in aliis placitis & secundum quod seisina querenti remanserit vel non procedet; & eodem modo fieri poterit ut prædictum est de omni genere communiæ qu' in alieno haberi potest, si hoc esset in usu quod amittere possit quis possessionem, nisi docere posset de jure. § 16. Cum autem recognitum sit vel convictum per juratam habere debeat, tunc habebit querens pacem, vel tale breve. Rex vicecom' salutem. Sicas quod cum A. summonitus esset in cur' nostra ad respondend' B. quo jure ipse communiam clamavit in terra ipsius B. in tali villa desicut idem A. nullam communiam habuit in terra ipsius B. in eadem villa vel in alia, nec idem A. ei servicium fecit quare communiam habere debuit, idem A. venit in eadem Cur' nostra & auditis hinc inde partium interrogationibus & responsis tandem consideratum est quod prædictus A. nullam communiam habere poterit vel exigere in terra ipsius B. Et ideo tibi præcipimus quod eidem B. ter' suam in prædicta villa de N. in pace habere fac' ita quod prædictus A. nullam communiam sine voluntate ipsius B. habeat ibidem. De remediis Tenentis.

De rationabili Estoverio. CAP. 25.

EST autem alia communia secundum quod largè se habet una cum alio non tamen ad pastum sed ad aliam commoditatem, ut si quis habere

debeat in fundo alieno jus secandi vel falcandi in foresta vel in alicujus bosco vel aliis vastitatibus ad rationabile Estoverin suū ædificandi, ardendi sive claudendi, & alia quædam faciendi quæ necessaria sunt secundum constitutionem servitutis in plus vel minus, in qua quidem constitutione oportet modū prætendere ut estoveriū sit rationabile secundū quantitatem bosci vel vasti in quo fuerit servit' constituta secundū quod fuerit ampla vel parva etiam & quantitas ten' ad qd' debetur illa servitus, & sic oportet omnia ponderare quod non excedat modū nec minuatur, sed quod omnia permaneant in mensura; & si aliquis ipsorū modū excedere velit vel minuere, ille scilicet ad quē servitus pertinet plus capiendo quam ratio permittat vel quam liceat, & si vastū faciat & destructionem, dominus ille cujus fundus fuerit procuret mensurationem, vel agat de transgressione vel de disseisina: & eodem modo ille cui servitus debetur si per dominum fundi minuatur agat per breve. Ad hoc quod liceat ei uti plene vel saltem commode, si autem turbaria vel brueria, herbagiū, pascua, boscus vel vastitas communis sit inter participes vel cohæredes, & aliquis eorum in estoverio capiendo mod' excedat, & vastum faciat vel destructionem, tunc non erit locus admensurationi nec no.. diss. sed quod partes compellantur ad divisionem pro communi dividendo judiciū, & eodem modo fiat de jure fodiendi, falcandi, & de aliis quibuscunque servitutibus secundum quod statutum est.

De nocument' servitutibus injuriosis. CAP. 26.

POtest etiam quis habere servitutem sicut jus aquæ ducendæ ex fundo alieno, & per fundum alienū usque ad fundum proprium ad irrigand' agrum suum vel aliud commodum inde faciend', & quo casu impediri non debet quo minus ducere possit omnino, vel saltem commode & modo debito secundum consuetudinem servitutis, & si ducere debeat omni tempore & non permittat nisi aliquo, vel si certis temporibus non permittat aliquo tempore, vel non in debita quantitate, vel si non permittat alveum purgare per quod aquæ ductus impeditur & ten' vicinorum submerguntur, in omnibus istis casibus fit disseisina & consulitur disseisitis per breve, Quare talis divertit cursum aquæ ad nocumentum liberi ten' sui. § 2. Nocumentorum aliud injuriosum & dampnosum, & aliud dampnosum & non injuriosum; & unde cum fiat querela de nocumento, queri oportet ad quod dampnū aliquid fiat, & utrum sit dampnosum, & injuriosum, & quo casu omnino erit tollend'. Si autem non injuriosum licet dampnosum, tunc erit sustinend'; ut si quis servitutem habeat & jus pascendi in alieno, competit ei liber ingressus & egressus: Si autem ille cujus fundus fuerit aliquid faciat in ingressu quo minus omnino ingredi possit vel minus commode, ut si murum, fossatum vel hayam fecerit, nocumentum facit injuriosum, & quod ita factum est statim facto tolli poterit & demoliri & sine brevi, post tempus tamen non, nisi cum brevi. Et eodem modo fieri debet si cui concedatur jus eundi per fundum alienum, si via quocunque modo obstruatur vel coarctatur quo minus ire possit omnino vel minus commodè, vel si aquæ ductus concedatur & divertatur ad nocumentū in parte vel in toto. § 3. Item, poterit

poterit quis habere communiam cum alio & jus fodiendi, ſicut jus paſcendi & jus venandi,piſcandi,potandi,hauriendi, & alia plura quæ infinita ſunt faciendi cum earum pertinentiis ſicut cum libero acceſſu & receſſu ſecundum quod ad dictam communiam paſturæ pertinet liber ingreſſus & competens egreſſus in omnibus prædictis & aliis caſibus multis jacet aſſ. no. diſſ. eodem modo ſicut de communia paſturæ, & etiã eodem modo quo jure ſi hoc eſſet in uſu. Item, ſi ſervitus fundo alieno imponatur à jure licet non ab homine, per quod prohibetur ne quis faciat in ſuo quod nocere poſſit vicino; ut ſi ſtagnum exaltavit in ſuo vel de novo fecerit per quod noceat vicino, ſi per hoc fundus vicini ſubmergeretur hoc erit ad nocumentum liberi ten' vicini injurioſum, niſi hoc à vicino permiſſum ſit quod liceat. § 4. Et ſicut poterit quis habere ſervitutẽ in fundo vicini ſi conſtituatur: ita etiam poterit per longum uſum ſine conſtitutione ex patientia dominorum & ſcientia, quia longa patientia trahitur ad conſenſum, ſicut in communibus paſturis & hujuſmodi: id etiam quod ab initio non fuit nocumentum injurioſum,ex poſt facto & conſtitutione ſervitutis convertit vel facere liceat,vel è converſo, & ſi cui ab initio facere non liceat poſtmodum facere liceat ex conſuetudine.

De nocument' pertinentiarum. CAP. 27.

OMnia autem jura prænominata omneſque ſervitutes ſicut de pertinentiis ten' à ten' pertinent ad ten', & habent hujuſmodi pertinentiæ ſuas pertinentias, ſicut jus paſcendi ad quod pertinet via, & liber ingreſſus & egreſſus. Et eodem modo ad jus fodiendi, falcandi, ſecandi, hauriendi, potandi, venandi, piſcandi, paſcendi & hujuſmodi pertinet liber acceſſus & receſſus, ſicut via, iter & actus ratione uſuum diverſorum. Ad jus etiam aquæ ducendæ pertinet purgatio & ad iter ſecundum quod eſt de pertinentiis per ſe vel pertinentiis pertinentiarum, ut ſi via per ſe concedatur ſine alia ſervitute, tunc pertinet refectio ſicut ad aquæ dictum pertinet purgatio: & ſicut poſſunt hujuſmodi jura & ſervitutes auferri per diſſeiſinam, ita fieri poterunt nocumenta injurioſa in pertinentiis pertinentiarum, videlicet quod quis commodè uti non poſſit, ut ſi quis omninò viam obſtruat vel chaiciam per quam ingredi ſolent in paſtur' foſſato, muro vel haya in palatio, tale nocumentum non multum differt à diſſeiſina & ideo tolli debet per aſſiſam cum ſit injurioſum ad cuſtum ejus qui opus illud fecerit ſi hoc fuerit in ſuo, ſi autem in alieno, competit ei aſſ. no. diſſ. de libero ten' cujus fuerit in quo opus illud factum fuerit, & ſecundum quod aſſ. no. diſſ. ſub ſe continet nocumentum, quia omnis diſſeiſina nocet querenti, reſtitui dampnum tam diſſeiſinam ten' quam de nocumento, quod quidem non eſſet ſi tantum de nocumento ageretur. § 2. Item, ſi minus commodè non poſſit ad locum ſervitutis & ad paſturam,ut ſi viam coarctaverit, vel ubi ire ſolebat per compendium compellat eum ire per circuitum, & ſi permittat eum ire, non tamen permittit eum ire ad uſum debitum in ſervitute conſtitutum, ut ſi debeat quis habere viam ad carectam ad carrum non permittit eum habere niſi iter & actum & ingreſſum ſtrictum, per aſſiſam tollatur injurioſum nocumen-

cumentum per breve quare obstruxit vel coarctavit, aliquo modorum supradictorum, & si fossatum non fecerit neque murum per quod obstruat per opus manificum, sufficit tamen si faciat quod tantundem valet, ut si ire non permittat; & hæc locum habent cum facta fuerint extra loca deputata servitutibus. Si autem infra, tunc locum habebit ass. no. diss. de pastura. § 3. Ad constitutionem hominum etiam imponitur servitus, quod quis habeat aquæ ducendæ per fundum alienum, & sic est constitutio hominis. § 4. Est etiam constitutio juris, ne quis faciat in suo injuriose, videlicet ne stagnum faciat vel exaltet vel prosternat per quod nocere possit vicino, ut si per refullum aquæ submergat ten' vicini; & eodem modo quod nec domum, nec pontem, nec stagnum, gurgitem, exclusam, nec molendinum per quod vicino injuste noceatur. § 5. Et sic ne faciat nocumentum injuriosum vicino in constituendo in proprio vel alieno, nec eodem modo in prosternendo vel demoliendo vel destruendo omnino injuriosè quod justè factum est ab initio & levatum, ut si murum prosternaverit quis, fossatum, piscariam, stagnum, pontem, vel exclusam, vel hujusmodi. § 6. Eodem modo facere poterit quis nocumentum injuriosum & potius disseisinam, si quis in reficiendo, vel demoliendo, vel admensurando ten' hæc; & sicut potest quis facere nocumentum injuriosum in faciendo, ita poterit & non faciendo in proprio vel alieno, ut si teneatur ex constitutione obstruere, claudere, purgare & reficere & non fecerit cum ad hoc teneatur: & sicut potest quis nocere in non faciendo, ita nocere poterit in non permittendo, ut si quis non permittat alium qui tenetur obstruere, claudere, purgare, vel reficere, cum ad hoc teneatur ex constitutione vel ex longa consuetudine. § 7. Poterit etiam esse nocumentum injuriosum contra communẽ & publicam utilitatem quod quidem non esset propter utilitatem privatam, ut si quis firmaverit piscariam vel stagnum habens prædia ex utraque parte cum fundus liber sit ex omni parte quod nihil debeat fundo vicino subtus nec supra, per hoc licet faciat dampnum vicinis non tamen facit injuriam, veruntamen propter utilitatem publicam quæ privatæ præfertur sustinenda sunt, hæc ad publicum dampnũ tollend', & multa alia fieri poterunt nocument' injuriosa. § 8. Item, si quis aliquid fecerit quo minus ad fontẽ, lacũ, puteũ, piscinam iri possit vel hauriri, vel de fontanea aqua non tamen aquã duci vel haurire, tales cadere possunt in assisam. Sed discretæ sunt servitutes aquæduct' & haustus vel si cui probetur aqua uti vel haurire sine pœnis ad aquã appellere similiter cadit in assisam, sed hoc non est de cisterna, de cisterna non habent aquã perpetuã nec aquã vivam, quia cisterna in imbribus concipitur, sed lacus, puteus, piscina, aliquando vivã aquam habent. § 9. Item, si quis ire ad fontẽ probibeatur habet actionẽ quare quis obstruxerit viam ei cui conceditur haustus. Cuicunque enim conceditur haustus ei conceditur iter ad fontem & accessus, & licet quis uti possit, novas tamen venas quærere vel aperire non potest, quia aliter uti non potest quã alio anno uti solet. § 10. Rivus autẽ est locus per longitudinem depressus quo aqua decurrit. § 11. Specus vero est situs ex quo despicitur, & inde dicta sunt spectacula, reficere autem est id quod corruptum est in pristinum statum restaurare. § 12. Et vero permittitur reficere

ficere & purgare rivum qui jus habet servitutis & qui aquæ ducendæ causa hoc fecit : Ad pristinum statum dico quia si quis rivum deprimit vel attollit, dilatat vel extendit, aperit, apertum vel coarctat, per excessum delinquit. § 13. Item, aquæ ductus quandoque debetur & datur prædiis, & quandoque personis. Quod vero prædiis datur persona extincta non extinguitur, quod autem datur personis cum personis amittitur, & ideo ad nullum transit successorem; si diurnarum vel nocturnarum horarum aquæductum habeam, non possunt alia hora ducere quam q'vis habeam. § 14. Item, dividi poterit aqua non solum temporibus sed mensuris. § 15. Ea autem quæ sublevata sunt ad nocumentum injuriosum, prostrata vel demolita statim flagrante maleficio sicut de aliis disseisinis demoliri poterunt & prosterni, vel relevari & reparari si querens ad hoc sufficiat, si autem non, recurrend' est ad eum qui jura tuetur. § 16. Si quis autem in uno Comitatu fecerit quod noceat in alio semper impetretur breve ad vic' illius Comitatus in quo nocumentum illud factum fuerit, & sic pertinet quandoque hujusmodi emendatio ad viceconitem, sicut de via obstructa per breve quod justiciet per communem utilitatem ne transeuntes ire diu impediantur, quia hoc esset commune dampnum, & in hoc est vic' Justic' sicut super detentione averiorum contra vadium & pleg' propter communem utilitatem ne animalia diu inclusa pereant, & eodem modo de pastura & de piscaria & de rationabili estoverio & bosco, vel brueria habendo, & in quibus non habet potestatem cognoscendi sine warranto nisi tantum de via, dum tamen hoc fecerit recenter flagrante delicto ad querelam post longum temp' tamen intervallum se intromittere non debet sine warranto vel sine brevi, nec licitum erit vic' se intromittere sine brevi ultra tempus disseisito concessum, & hoc non nisi cum consensu & querela ejus cui injuriatum est. § 17. Cum autem contingat aliquando quod aliquis jus habens appruandi se fossatum aut sepem levaverit ad aliquorum nocumentum, & illi ad quorum nocumentum noctanter vel tale tempore quod non credat factum eorum scire fossatum hujusmodi aut sepem prostraverint, nec sciri poterit per veredictum alicujus Inquisitionis aut Juratorum qui fossatum ejus aut sepem prostraverint, nec velint homines de vicinis villatis judicare de hujusmodi facto culpabiles ; Statutum est quod villatæ propinquæ super adjacentes distringantur levare hujusmodi fossatum vel hayam propriis custubus, & ad dampna restituenda compellantur querenti. § 18. Cum autem breve de Justic' vic' liberetur de communia pasturæ vel de via vel hujusmodi, statim in præsentia partium convenire debet hundredum, & inprimis videat in cujus fundo sive ten' illud novum opus factum fuerit, & si in fundo illius de quo queritur inveniatur factum injustè & ad nocumentum liberi ten' querentis, si hoc constiterit per juratam vic' amovere faciat per visum recognitorum id quod nocet ad custum delinquentis, & illud reparari faciat sicut esse debet & solet. § 19. Si autem coram Justic' debent hujusmodi nocumenta per breve no. diss. terminari, tunc fiat de officio vic' in omnibus sicut in communi brevi no. diss. præterquam de visu Juratoribus faciendo, & quo casu querens faciat visum Juratoribus de eo quod nocet qua-

qualecunque sit illud vel quantum vel per quas metas, ut certa res in judicium reducatur,& ut scire possit utrum plus posuerit in visu suo vel minus vel etiam nihil, & inde certificare possit Justiciar' cum fuerint requisiti, & etiam utrum nocumentum justum sit vel injuriosum, magnum vel minimum, vel omninò nullum licet dampnosum, ut per hoc scire possit utrum querela pertineat ad querentem vel non ten' cui nocitum est injuriose, quia si querens ten' non habeat cui nocere possit nihil valebit querela, vel si ille de quo queritur ten' habeat quòd noceat.

De Examinationibus. CAP. 28.

IN adventu verò Justic' plures sunt faciendæ interrogationes ut sciri possit utrum ad querentem pertineat actio vel non, & quo casu cum querens suam fundaverit intentionem excipere poterit ille de quo queritur contra intentionem querentis multis modis continetur in brevi. Questus est nob' talis quod talis, & unde eadem fit responsio ut supra de libero ten', ut si dicat quod fossatum non levaverit, vel quid si aliud, sed alius non procedat assisa maximè quoad pœnam & per hoc breve. Quia hæredes & succedentes non tenentur ad pœnam ex delicto aliorum licet tenent ad restitutionem status, quod res ad pristinum statum reducatur etiam sine pœna, non tamen quia injuriam fecerint, sed quia tenent rem quæ nocet ad similitudinem ejus quod dicitur de tigno injuncto, non solum qui tignum injuriat, sed etiam ille qui habet tignum injunctum: Et eodem modo dicend' est de eo qui fossatum, stagnum vel alia quæque prostraverit vel levaverit cum illa habeat prostrata vel levata; Et illud idem erit dicend' si tempore nocumenti facti non habuit querens ten' cui noceri poterit, & ideo non fuit ei injuriatum, & de injuria alii illata nemo adquirere sibi debet. § 2. Item, continetur injustè & sine judicio levavit, exaltavit, sive prostravit ille, & quo casu responderi poterit quod ipse non levavit, sed quod alius sine judicio prostravit, ille refecit & reparavit. § 3. Item, de hoc quod dicitur ad nocumentum, responderi poterit quod nullum est ibi nocumentum, & quamvis sit ibi nocumentum non tamen est injuriosum, nec querens jus habet prohibendi ne fiat, sicut videri poterit in molendinò levato, ubi vicinus prohiberi non poterit ne fiat licet dampnum sentiat quod est ideo injuriosum licet dampnosum; Et sic dici poterit de aliis nocumentis quæ dampnosa sunt & non injuriosa. § 4. Si autem nihil sit quod dici poterit quare ass. debeat remanere procedat assisa, & si fiat pro querente, amoveatur id quod nocet, & in pristinum statum redigatur ad custum ejus qui deliquit, & per omnia fiat sicut esse solet & debet, sive fieri debeat prostratio, demolitio, refectio sive reparatio, apertio vel admensuratio, & unde super judiciū fieri debeant aliqua istorum ad veterem formam conformentur secundum altitudinem, latitudinem, longitudinem, profunditatem & strictitatem; restituti enim debet primus status & refici, reficit enim qui reparat, qui aperit & qui purgat quia purgare refectionis est portio; sed non potest quis tamen sub specie refectionis portionis aliquid facere deterius neque altius, neque largiu', neque humilius, neque longius, neque aquæductum sic purgare quod aqua

aqua aliter fluat quàm solet, & si quis convictus fuerit per assisam quod aquâ diverterit vel aliquid fecerit vel immiserit per quod aqua fluat aliter quam solet, vel pressior, altior, rarior vel lapidior, per quod in aliquo minuatur illis, per quod alveum fluminis mutetur ad incommodum vicini, ad pristinum statum per assisam reformetur. § 5. Item, non solum tenetur qui aquam divertit, sed etiam ille qui denegat ut aliter aqua fluat cum jus non habuerat & is qui dolo fecerit quo magis aqua fluat aliter quam solet vel minus solito, ut si fossam ex suo fecerit, vel ita aquæductum fecerit vel purgaverit quod modum excedat, & per hoc aquam vicini auferat in toto vel in parte, sed si quis eum sibi per assisam perquirere debeat vel cum perquisiverit propria authoritate spreto judicio seisinam suam usurpaverit quod per Judicem reposcere debet. § 6. Et quod sic sibi præsumpserit per judicium restituerit vix in posterum super proprietate audietur. Ad hoc autem quod injustè dicitur si nocumentum sit injuriosum & dampnosum erit adhuc demoliend'. § 7. Et si non injuriosum licet dampnosum, cadit actio quantum ad illũ querentem licet non quantum ad alios, vel quamvis injuriosum ei qui queritur, amittit tamen actionem si propria authoritate & sine judicio prostraverit post longum tempus, ubi conqueri deberet, licet recenter prosternere posset secundum quod tunc præsens esset vel absens ille cui nocitum est. Item, poterit nocumentum esse injuriosum & dampnosum quantum ad unam vel plures personas privatas, & quantum ad privatum nocumentum. Poterit esse nocumentum contra communem utilitatem quæ semper & in omni casu præferenda est privatæ. § 8. Item, de stagno & gurgite levato prostrato ad nocumentum injuriosum vidend' erit utrum levatum sit omnino in ten' ipsius querentis cum habeat ten' ex utraque parte ripæ, & quo casu potius erit disseisina de libero ten' quam assisa de nocumento. § 9. Si autem levatum sit vel prostratum omnino in ten' illius de quo queritur, potius erit assisa de nocumento quam de libero ten', cum hoc totum sit in alieno. Si autem pars quædam in proprio & quædam in alieno, ut si aqua dividatur in medium, tunc pro ea parte quæ fuerit in propriò locum habebit ass' no. diss. in libero ten', & pro ea parte quæ fuerit in alieno locũ habebit ass. de nocumento, & sic erunt duæ ass' de uno facto. Et cum onerosum sit utrumq; consequi, vidend' erit quæ illarum debet præferri ad injuriã ex toto tollendã ne pro una parte procedat, & pro alia infecta remaneat. Et si velis corrigere per ass' no. diss. totum quod actum est de lib' ten', hoc essè non poterit, quia assisa illa non comprehendit assisam de nocumento quod factũ est in alieno. Melius est ergo quod per assisam de nocumento extendit se ad fundum alienum & ass' no. diss. de lib' ten' extendit se ad fundũ alienũ, in eo quod nociva est & injuriosa, licet se non extendat quantum ad lib' ten'. Et sic assisa de nocumento terminabit utrumque, sc. quod nocumentũ tollatur & quod res ad pristinum statũ reducatur. § 10. Item, ex uno facto plures possunt esse disseisinæ de lib' ten' & plura nocumenta injuriosa, & eodem modo plures disseisinæ de libero ten' : ut si quis fossatum levaverit in fundo alieno invito domino, per hoc facit disseisinam de libero ten' ei qui dominus est, & obstructionem viæ & diversionem aquæ, quæ sunt quasi nocu-

menta injusta licet in alieno, sed omnes terminari poterunt per unicam assisam de lib' ten' cum surgant ex uno facto & facti commendatione. Si autem una vel ambæ erigantur quæ nocet adhuc, poterit injuria remanere pro parte, & ideo melius est, quod una assimuletur quæ totum terminat negotium. Et eodem modo potest quis facere in suo ex uno facto, per quod plura imminere nocumenta possunt vicino: ut si viam obstruat fossato per quam ingredi solet ad pasturam, facit disseisinam de communia, & similiter nocumentum in via, ut si divertat aquam, sic facit unam disseisinam de communia in propria & duo nocumenta ex uno facto. § 11. Item, potest unus ex uno facto pluribus obligari & teneri ex disseisina & nocumento, ut si quis alterius ten' incluserit vel commune ut in quo unus lib' ten' habeat, & alius communiam pasturæ un' vel plur', tertius iter & actum, & quartus adaquationem in aliqua parte, & sic in infinitum plures erunt hic disseisinæ, & plura nocumenta, & unde prius recurrend' erit ad remedium quod totum terminat si dominus tenem' voluerit, alioquin quilibet agat pro se & per se. § 12. Item, si quis divertit cursum aquæ, refert in quo comitatu vel in qua villa vel in quo loco factum fuerit id quod nocet, sicut in stagno, gurgite & hujusmodi. § 13. Item, refert utrum aqua id factum est quod nocet, sit propria ejus de quo queritur vel communis, vel in parte propria sicut usque ad filum aquæ & partim aliena. Si autem omnino propria ejus qui divertit in eadem villa tunc stet breve cum dicat, quod talis divertit cursum aquæ in tali villa ad nocumentum lib' ten' talis in eadem villa; Si autem aqua sit communis plurium vel propria alicujus quamvis non ad usum piscandi tantum, tunc refert quis poterit libertatem concedere ad nocumentum libertatis prius concessæ, ut si cui concedatur libertas habendi mercatum aliquo loco certo, ita quod non sit ad nocumentum alicujus mercati vicini. Et unde inprimis vidend' est quale mercatum dici debeat vicinum, & quale non vicinum sive remotum, & quale sit nocumentum ad hoc quod sufficiat ad tollend' id quod nocet, utrum videlicet dampnosũ & injuriosũ, vel tantũ dampnosũ & non injuriosũ quia remotũ, & injuriosum vel dampnosum quia vicinum, & si vicinum & non injuriosum, quia non ad dampnum sed ad commodum; vicinum autem dici poterit mercatum & nocumentum injuriosum, quia dampnosum, quandoque ut novum mercatum levatum sit infra sex leucas & dimidiam & tertiam partem dimidiæ, & est ratio secundum dicta seniorum, quia omnes rationabiles diætæ constant ex viginti miliaribus; Dividatur ergo diæta in tres partes, prima autem matutina detur euntibus versus mercatum, secunda detur ad emend' & vendend', quæ quidem sufficere debet omnibus nisi sint forte mercatores stallarii qui merces deposuerint & exposuerint venales, quibus necessaria erit prolixior mora in mercato; & tertia pars relinquitur redeuntibus de mercato ad propria. Et quæ quidem omnia necesse erit facere de die & non de nocte propter insidias & incursum latronum ut omnia sint in tuto. Cum igitur infra talem terminum impetretur mercatum erit prosternend' per assisam, quia nocumentum dampnosum est, & injuriosum, quia sic vicinum. Si autem ultra talem terminum, licet dampnosum, non erit tamen injuriosum, quia remotum

motum & non vicinum. § 14. Item, poterit mercatum esse vicinum & infra prædictos terminos & non injuriosum, quia non dampnosum, sed potius ad commodum: ut si illud de novo levatum sit secundo die vel tertio ad plus post diem alterius mercati; si autem ante secundo die vel tertio erit injuriosum quia dampnosum, & unde si mercatum non sit vicinum non erit demoliend', quia non injuriosum licet dampnosum; si autem vicinum & infra terminum prædictum, si fuerit ad commodum, nisi sit ad nocumentū. § 15. Itē, si elevatio unius sit ad nocumentū alterius tunc vidend' erit quod ipsorū prius fuerit elevatū, & ideo licet ad nocumentū, non tamen injuriosum si de licentia querentis fuerit elevatum. § 16. In ass' autem no' diss. de com' pasturæ, vel de alia quæ servitutes dici possint & jura, si contingat quod una partiū moriatur vel ambæ, & recuperare poterunt dicti hær' disseisiti Nota. versus disseisitor' vel eorū hær' cujuscunq; fuerint ætatis petentes vel deforciantes per br' de ingressu super disseisinam, & eodē modo successores eorum qui nomine petierint alieno, sicut Ecclesiasticæ personæ. Et si visus petatur, faciat petens visum tenenti sicut fient disseisitus si viveret, Jurator' de ten' ad quæ dicuntur hujusmodi ten' pertinere, ut sciri possit in quibus locis & infra quas metas contineatur, sicut fit tota die de communia pasturæ per breve de recto & per breve Quo jure. § 17. De Jure verò advocationis Ecclesiæ sufficit quod videatur corpus cui illud just inest, si visus inde petatur, unum tamen est videre jus advocationis & aliud Ecclesiam. § 18. Quod autem dicitur superius de brevi de ingressu in assisis & servitutibus, dici poterit de nocumentis id idem, ut si aliquis in suo faceret injuriosè quod fundo vicino noceret, & super hoc arranata esset assisa, & ante captionem assisæ moreretur una pars vel ambæ, quod propter minorem ætatem hæredum non cessaret repetitio.

De Redisseisinis. CAP. 29.

SI quis autem fuerit disseisitus de ten' suo vel aliquo quod pertineat ad ten' & per Cur' Regis ad assisam, recognitionem, Juratam, judicium, redditionem, concord', defaltam vel alio quocunque modo seisinam suam recuperaverit & seisinam suam habuerit, si illi qui seisinam sic amiserint illos qui sic recuperaverint postmodum ejicerent, si inde per Inquisitionem coram vic' & custodibus placitorum coronæ captam convictus fuerit, statim per constitutionem de Marleberg capiantur, & salvo in prisona custodiantur donec inde redimantur, & per pleg' non dimittantur. Sed si vic' tales replegiari temerè permiserit, graviter eo ipso puniendus erit, & convictus nihilominus dampna reddet in duplo propter duplex delictum suum, quia facit disseisinam contra pacem, & quia ausu temerario irritat ea quæ in Cur' Reg' rite acta sunt.

De Intrusione. CAP. 30.

POssessionem autem quædam nudi pedis positio, quæ dicitur intrusio. § 2. Intrusio verò est ubi quis cui nullum jus competit nec scintilla juris possessionem vacuam ingreditur quæ nec corpore, nec animo possidetur,

 sicut

ſicut hæreditatem poſſidentem antequam adita fuerit ab hærede, vel ſaltem à domino capitali cuſtodiæ ratione vel eſcaetæ, ſi hær' non exiſtant, vel ſi poſt mortem alicujus per finem factum, vel per modum donationis ubi ſucceſſio locum ſibi vendicare non poſſit, vel ſi poſt mortem alicujus qui tenuerit ad vitam debeat ten' reverti ad proprietarium, ponat quis ſe in ſeiſina antequam ten' perveniat ad eum ad quem pervenire debent ex cauſis prædictis. § 3. Cum igitur quis ita ſe intruſerit cum nihil juris habeat, & hæredem venientem vel capitalem dominum, vel eum ad quem ten' reverti debent per finem factum, vel per modum donationis, vel ut eſcaeta pro defectu, pro delicto, vel alio quocunque modo non admiſerit; ſuccurritur petenti pluribus modis ſecundum diverſitatem caſuum. § 4. Si reverti namque debeat ad capitalem dominum tanquam eſcaeta ſua eò quod feoffatus ſibi & hæredibus ſuis de corpore ſuo provenientibus obierit ſine hærede de ſe, tunc fiat tale breve: Pone per vadium & ſalvos pleg' A. quod ſit coram, &c. ad reſpondend' B. quare intruſit ſe in tantam terram cum pertinentiis in tali villa quam C. tenuit de prædicto B. & unde idem C. ſeiſitus fuit die quo obiit, & quæ ad ipſum B. reverti debuit tanquam ad capitalem dominum illius feodi, eo quod prædictus C. obiit ſine hærede de ſe. § 5. Et cum quis ſe intruſerit in terram aliquam quaſi hær' cum non ſit ſuper ſeiſina capitalis domini, quæ in manu ſua remanere debet donec rectus hæres veniat facturus domino quod de jure facere debet, tunc ſit ad reſpond' B. quo warranto intruſit in tantam terram, quæ eſt de feodo ipſius B. & quam prædictus B. ceperit in manum ſuam donec rectus hæres veniret ad faciend' ei quod de jure facere deberet ut dicit, & ſic competit actio capitali domino ratione cuſtodiæ, & ratione eſcaetæ: & cum nullum competat ei remedium ordinarium quod loqui poſſit de ſeiſina propria vel Anteceſſorum ſuorum, de neceſſitate recurritur ad extraordinarium & ad hujuſmodi brevia formata. § 6. Vel ſic jure alicui competente ad oſtendend' quare ſe intruſit in tantam terram quam B. clamat tenere de C. filio & hærede D. qui quidem terram illam dedit prædicto B. in legia poteſtate ſua de aſſenſu & voluntate prædicti C. filii & hæredis ſui, & ſimiliter de aſſenſu & voluntate prædicti A. capitalis dn'i illius terr' ut dicitur. § 7. Vel ſic, Quare ſe intruſit in tantam terram quam idem B. clamat verſus prædictum A. per breve noſtrum de recto in Cur' talis. Et unde idem A. ſe poſuit in magnam aſſiſam noſtram & perquiſivit ſibi breve noſtrum de pace habenda uſque adventum Juſtic' noſtrorum in partes illas, & in quas nondum venerunt ut idem A. dicit. § 8. Vel ſic, Quare ſe intruſit in tantam terram quæ ad ipſum B. reverti debeat poſt mortem talis mulieris quæ terram illam tenuit in dotem de dono ratione finis facti inter prædictum B. & talem Anteceſſorem ipſius A. cujus hæres ipſe eſt ut dicit; Et forma hujus brevis locum habet in omni caſu ubi quis ſe intruſerit in terram alienam, quam quis tenuerit ad vitam ſuam quocunque modo, & quæ reverti debent per mortem talium ad verum hæredem vel alios per finem factum vel alio quocunque modo. § 9. Cum quis etiam poſt mortem uxoris ſuæ ſe tenere voluerit in ſeiſina tanquam per legem Angliæ cum liberos non habuerit, ſtatim

atim infra annum ad minus per verum hæredem ejiciatur. Qui si ultra nnum seisinam retinuerit, de aliquo jure per hæredis negligentiam præsumi poterit; possessio enim quandoque jus parit. Et si ejici non poterit tunc ei succurritur per tale breve. Præcipe A. quod reddat B. tantam terram, & in quam non habet ingressum, nisi per intrusionem quam fecit in eandem terr' post mortem talis. § 10. Et si tenens dicat quod nih' teneat nisi nomine alicujus qui fuerit infra ætatem & in custodia sua, & quod nihil possit inde lucrari, vel perdere, cadit breve. § 11. Item, si uterque nominetur in brevi tam custos quam minor, cadit breve pro custode quia nihil inde tenet nisi nomine custodiæ; Verumtamen si ita dicatur, Pone per vadium ita quod actio omnino sit personalis, quamvis uterque in brevi nominetur, non cadit breve, cum aliquantulum sapit naturam nov' diss' quia non agitur specialiter de ten' cum intrusione, sed tantum de intrusione per se. Et ubi culpabiles esse poterunt de intrusione, tam illi qui jus habent in re quam illi qui non habent. Et si intrusor cum recenter ejectus fuerit recuperare non poterit per assisam, similiter nec convictionem recuperabit. Nulli etiam conceditur exceptio cui denegatur actio, ut si in causa spoliationis ubi nihil ad querentem de seisina, ut si intrusor dicat forte, quod disseisit' servus sit vel bastardus vel quod nihil juris habeat in ten', vel hujusmodi, nihil ad eum, quia si petere debent, nulla sibi competet actio, & quo casu semper poterit tenens in possessione remanere quamvis nihil juris habeat in re possessa, quia neuter jus habeat, melior est causa possidentis, & ideo si ille qui jus non habeat talem ejiciat, ejector exceptionem contra eum non habebit, quia si peteret actionem non haberet. § 12. Item, agere poterit quis de intrusione ubi quis ratione alicujus cartæ vel homagii se posuerit in seisina de aliquo ten' de quo nullam habuit seisinam in vita donatoris. § 13. Item, ubi quis se posuerit in seisinam sine brevi, procuratione vel warranto. § 14. Item, si cum duobus causa fuerit donatio & alteri eorum traditio, ac unus propria authoritate ratione nudæ cartæ se posuerit in seisinam. § 15. Breve vero de intrusione secundum generalem formam tale est: Ostensurus quare intrusit se in tantam terram quam B. qui nuper obiit tenuit de eodem A. ad vitam suam tantum, & quæ post mortem ejusdem B. ad eum reverti debuit ut idem A. dicit.

De Firmis et rerum actionibus. CAP. 31.

Poterit autem quis in uno & eodem ten' liberum habere ten', & alius usum fructum, usum & habitationem. Solent enim aliquando tales cum ejecti fuerint infra terminum suum perquirere sibi per breve de conventione. Sed quia tale breve locum habere non potuit inter aliquas nisi tantum inter illum qui ad firmam tradidit ad terminum & illum qui ceperit, nec alios ligare poterit obligatio conventionis, & etiam quia inter tales personas vix potuit terminari negotium; ideo de Consilio Cur' provisum fuit firmario remedium contra quoscunque dejectores per tale breve. § 2. Præcipe A. quod reddat B. tantum terræ cum pertinentiis in tali villa per quam idē A. dimisit scilicet. Et si alius ejecerit quam ille qui dimisit, tunc sic, quam C.

de

de N. ei dimisit ad terminum, qui nondum præteriit, infra quem prædictus A. vel præd' C. ipsum B. de eadem terra vel firma sua injustè ejecit ut dicit. Et nisi fec', &c. § 3. Vel sic, Si A. fecerit te securum tunc summ' B. quod sit ad respondend' eidem A. quare injustè ejecit eundem de tanto terræ quam idem A. vel alius ei dimisit ad terminum qui nondum præteriit, infra quem, ut supra. Prima tamen forma magis competens est & compendiosa propter captionem terr' in manum Reg' ad vitand' attachiamenta & dilationes. § 4. Non enim poterit aliquis firmarium ejicere de firma sua, magis quam ten' aliquem de libero ten' suo. Et unde si quis firmarium à firma ejecerit seisinam restituet cum dampnis, quia talis spoliatio non multum differt à disseisina, domino tamen proprietatis competit ass. no. diss. versus extraneum ejectorem, & Firmario competit remedium per hoc breve. Si B. fecerit te securum tunc summ' A. quod sit coram, &c. ostensurus quare deforciat præfat' B. tantum terræ cum pertinentiis in N. quod A. ei dimisit ad terminum qui nondum præteriit, infra quem terminum idem A. præfat' C. terram illam vendidit, occasione cujus venditionis idem C. præfat' B. de terra illa ejecit ut dicit. Et si tale breve competat versus extraneum propter venditionem, multo fortius competit contra ipsum dominum qui dimisit, & sine causa ejecit; contra extraneum autem causam habuit qualem videlicet causam venditionis ei factæ per quam venditor ipsum Firmarium ejecit. § 5. Fiunt etiam brevia remedialia in hoc casu: ut si A. dimiserit B. unam acram terræ ad terminum annorum, & idem A. durante term' illo eandem terram vendiderit C. in feodo, occasione cujus venditionis idem C. præfat' B. de prædicta terra ejiciat, ac prædictus A. nihil sibi retinuerit unde conventionem tenere possit B. nec warrantium vel escambium ei facere. Et quia fraus & dolus nemini debet patrocinari, provisa fuerunt brevia. § 6. Si A. fecerit te securum summ' B. &c. ostensur' quare deforciat prædicto A. tantum terræ cum pertinentiis in N. quam C. dimisit prædicto A. vel D. patri prædicti A. cujus hæres ipse est ad terminum qui nondum præteriit, infra quem terminum idem C. præfato B. terram illam vendidit. § 7. Vel sic, infra quem terminum idem C. terram illam vendidit, occasione cujus venditionis idem B. præfat' A. de terra illa ejecit. § 8. Vel sic, ostensur' quare deforciat prædictis A. & B. centum acr' terræ cum pertinentiis in N. quam C. de B. dimis' E. & præfat' B. quondam uxori ejusdem E. ad terminum xl. annorum qui nondum præteriit, infra quem terminum præfat' E. illam dimisit prædicto tali ad terminum viginti annorum jam præteritorum, post quem quidem terminum terra illa ad præfat' B. reverti debuit ut dicunt, & sic rehabebit Firmarius terminum suum cum dampnis suis. § 9. Domino verò proprietatis competit remedium versus ejectorem per ass. no. diss. & perinde recuperabit ten' dampna vero minime. Si autem dominus proprietatis ten' ad firmam traditum alicui dederit in dominico tenend' seisinam ei facere poterit salvo Firmario termino suo. Poterit enim eum inducere in seisinam vacuam quantum ad ipsum & suos, & attornare ei Firmarium & servicium suum, dum tamen utatur feoffatus nec

nec explecia capiat, nec Firmarium impediat uti, nec ipsum ejiciat. Poterit enim quilibet eorum sine præjudicio alterius in seisina esse ejusdem ten', unus ut de termino, alius ut de feodo, vel libero ten'. Et datur ista actio hæred', & competit contra hær' quia rectè dicimus totum fundum nostrum esse etiam cum ususfructus alienus sit, quia non dominici pars est ususfructus sed servitutis, ut iter & via, nec falsò dicitur meum esse cujus non potest & una pars dici alterius esse.

LIBER QUINTUS.

De Morte Antecessoris. CAP. 1.

SUpradictum est de seisina propria cum quis injustè per violentiam fuerit disseisitus, & qualiter restituatur. Nunc autem dicend' est de seisina aliena & propinqua scilicet alicujus Antecessoris præmortui qualiter hæred' propinquioribus adquiratur. De hiis autem de quibus Antecessor alicujus obiit seisitus ut de feodo quacunque ratione vel quocunque titulo, sive constat in jure, sive in corpore, hæres propinquior eandem habebit seisinam quam Antecessor habuit. § 2. Et si plenæ ætatis extiterit & vacuā possessionē invenerit, ut si dn's Antecessor' seisinā non habuerit, bene licebit ei ponere se in seisinam, dum tamen parat' sit facere dn'o capitali suo, qd' de jure & secundum consuetudinem ter' facere debebit cum ipsum ad dn'm recognoverit. § 3. Et eodē modo si tempore mortis Antecessor' sui in seisina inventus fuerit cum ipso antecessore cujuscunque ætatis fuerit, & ad hæredem recognitus fuerit, & dominorum poterit resistere violentiæ, si nitantur eum ejicere cum plenæ ætatis extiterit; si autem minoris, non prius habebit dn's custodiam terrarum vel corporis quam cepit homagium ejus. § 4. Si autem tales hæred' in possessione extiterint, non denegetur domino capitali simplicem habere seisinam ut pro domino recognoscatur, ita tamen quod nihil inde capiat nec aliquem à possessione amoveat contra ipsorum hæredum voluntatem, & sic communem seisinam habebit & cum hæredibus & quasi primam. § 5. Si autem dubitatur an præsentes qui se faciunt hæredes, sint hæredes vel non, quia frat' antenatus & hæres forte profectus est in terr' sanctam, & nescitur si vivus sit vel non, fiat præsentibus seisina per dominum capitalem vel per assisam sub tali conditione, quod si antenatus redierit, quod ei restituatur hæreditas sine placito, cum bene constat quod talis sit hæres si vivus existat. § 6. Cum autem dn's capitalis primus habuit seisinam & duo quorum quilibet se gerat pro hærede contendant pro hæreditate, habenda sicut postnatus frater cum primogenito, legitimus cum bastardo, nulli eorum facienda est hæreditatis restitutio antequam constiterit quis

quis eorum sit hæres propinquior vel justior, quod si fecerit & hæredi non legitimo seisinam fecerit & homagium suum ceperit. Si contra petitionem hæredis legitimi vocetur ad warrantum, warrantizare tenebitur de jure licet sic respondeat warrantizationi quod homagium talis recepit Salvo jure cujuslibet, quia malè salvat jus cujuslibet hæredis ex quo homagium capit non legitimi, & ipsum inducit in seisinam ad exhæredationem veri hæredis, cum scit vel scire debet alium esse hæredem, & cum impunè posset retinere seisinam donec ei de veritate constaret, quod quidem locum habere non posset si dubium non esset an alius hæres esset vel non, cum nullus comparuit vel contenderit. § 7. Si autem dn's capitalis seisinam vacuam invenerit possessionem post mortem tenentis sui tenere se poterit in seisina absque alicujus injuria donec ei constiterit quis eorum sit legitimus, & cum constiterit donec ad ipsum venerit facturus ei sicut domino quod de jure facere debebit, & maxime si ipsum ad dominum cognoscat in cujus seisinam hæres ingredi non poterit, quod si fecerit & dn's eum ejecerit cum pluries & ipse hæres per ass' no' diss. non recuperabit quia vacuam seisinā non invenit. Et si hæres ejici non possit, ejici debet per auxiliū Cur' cū per ass' no. diss. non possit recuperare. § 8. Cum autē dn's capitalis sic se posuerit in seisinā vacuā, aut constat ei quis sit hæres, aut nescit hæred', vel si contentio habeatur inter duos vel plures de hæred' & dn's capitalis nesciat quis eorū sit hæres propinquior, vel si sciat nesciat si superstes sit necne, plenæ ætatis vel non, cum sit agens in remotis. Si capitalis dn's nomine hæred' ingrediatur possessionem, statim adquiritur possessio hæredi etiam hæred' ignorante quasi animo & corpore procuratorio: & eodem modo si hæres præsens sit major vel minor; si autem nullum scit hæredem, vel si sciat, nescit tamen utrum vivus sit vel mortuus, vel si dubitaverit quis ex pluribus debet præferri, nulli eorū lib' ten' adquirit ex scientia sua cum nomine nullius personæ certæ ingressus sit possessionem, & in quibus casibus tenere se poterit dn's in possessione sine juris injuria donec ei constiterit de veritate perfecta. Et unde si nullus hæres appareat sic poterit hæreditas tanquam escaeta cum domino remanere. Et unde si ejiciatur seisinam suam recuperabit vel de libero tenemento suo per ass' no. diss. donec ei constiterit de hærede. Si autem dominus capitalis fratrem postnatum vel bastardum qui se fecerit hæredem in seisina invenerit, non impunè sine judicio talem projicere poterit quamvis sit alius hæres apparens, quia hoc pertinet ad hær' & non ad dominum, qui si dn's talem ejecerit & ejectus assisam portaverit super dominum contra talem, non competit domino exceptio liberi tenementi vel bastardiæ sed vero hæredi. Secus vero si nullus alius sit hæres, & quo casu competunt domino hujusmodi exceptiones nisi tales tamdiu in possessione extiterint per impotentiam vel negligentiam domini capitalis, quia sine judicio ejici non possit. § 9. Si autem verus hæres bastardum in possessione invenerit vel fratrem ejus postnatum, & ipsum à seisina statim sua ejiciat antequam longam & pacificam habeat seisinam & lib' ten' ex tempore quod sufficit pro titulo, ejectus per ass. no' diss. non recuperabit; secus vero post tempus, quia licet jus merum vero hæredi descenderit non statim tamen conjungitur. Contra

tales

tales namque non competit vero hæredi aſſ' mor' ant' poſt longam & pacificam ſeiſinam habitam cum omnes deſcenderint ex perſona ejuſdem ſtipitis quæ ultimo obiit ſeiſitus, ſed locum habebit Breve de recto. § 10. Cum autem contingit quod dñs capitalis primam habuit ſeiſinam, & ſit aliquis hæres petens quem dñs pro vero hærede cognoverit, ſi plenæ ætatis fuerit ſtatim capto homagio reſtituatur ei hæreditas, accepta tamen ſecuritate de relevio capiendo & accepto fidelitatis ſacr'o de ſerviciis quæ ad dñm pertinent de eadem hæreditate. Si autem infra ætatem extiterit, ſtatim capiat homagium ſuum. Si autem talem ad hæredem non cognoverit cujuſcunq; fuerit ætatis, tunc primum locum habebit aſſ' mor' ant' verſus dñm capitalem ſicut verſus quemlibet extraneum. Sed ſi petens fuerit infra ætatẽ non continebitur in brevi quod inveniat ſecuritatem in brevi de proſequendo, nec apponendus eſt terminus cum manifeſtè appareat quod anteceſſor ſuus ex quo minor eſt petens obiit ſeiſitus.

De Brevi mixto. CAP. 2.

Cum autem tres perſonæ habeant actiones quarum longinquiores ſint nepotes, tenend' eſt quod ſi anteceſſor plures habeat hæred' quorum quidam ſint in prædictis gradibus & quidã in longioribus non propter hoc remaneat aſſ' mor' ant' capienda. Et unde oritur quoddam breve quaſi mixtam habens naturam. Habet enim in parte naturam brevis mor' ant' & in parte naturam brevis de conſanguinitate, quia ubi hæreditas deſcendit ab una ſtipite ad duas perſonas quæ ſunt quaſi unus hæres per diverſas lineas, ſicut ad filiam ubi tenet aſſ' mor' ant', & ad nepotem ex alia filia ubi locum habet conſanguinitas avi ad quem gradum aſſ' ſe non extendit. Et ſic dicatur ſi talis pater & mater A. & avus vel avia B. fuit ſeiſitus in dominico ſuo, & quod dicitur de ſeiſina avi vel aviæ ex parte nepotis dici poſſet de eorum fratribus & ſororibus avunculis ipſius A. & amicis & conſanguineis ſuis anteceſſoribus B. cum ſint quaſi in uno gradu cum avo & avia, ſed ulterius non tenet breve aſcendendo in eo quod tangit aſſ' mor' ant' quia aſſ' ulterius non extenditur. In eo tamen quod tangit conſanguinitatem ulterius extendetur aſcendendo quantum ad nepotem quatenus tempus mor' an' permiſerit uſque ad trinepotem. Et cum aſſ' mor' an' conjungenda ſit cum conſanguinitate, non erit recurrend' ad breve de conſanguinitate, ſed ad aſſ' mor' an', quia perſona quæ propinquior eſt facit aſſiſam & trahit ad ſe perſonam & gradum remotiorem. § 2. Et etiam alia brevia hic aliquantulum ſimilia de morte avunculi & de morte amitæ & materteræ in hæreditate partibili ubi in omni caſu conjungitur nepos cum avunculo & cum amita vel matertera in aſſ' mor' ant' & non eſt actio mixta cum conſanguinitate, & ubi dicatur ſi A. avunculus vel amita vel matertera B. & frater vel ſoror C. cujus hæredes ipſi ſunt, fuit ſeiſitus vel ſeiſita in dominico ſuo. Si autem partibilis non ſit & avunculus de morte patris vel matris avunculi vel amitæ vel materteræ aſſ' mor' an' arranaverit, & nepos ex fratre breve de conſanguinitate verſus dñm capitalem & verſus extraneas perſonas, nepos ſemper præferri debet propter juris prærogantiam quod ei deſcendit.

§ 3. Et eodem modo dici poterit si uterque assisam arranaverit versus extraneam personam, nepos scilicet de morte avunculi, & matertera vel avunculus ipsius de morte fratris vel sororis, cum semper responderi possit ad assisam avunculi quod avunculus habet neptotem qui majus jus habet in ten' quam avunculus, si terra non sit partibilis, & in quibus casibus nihil capiet per assisam. Si autem aliquis ipsorum petat versus alium per assisam vel per breve de consanguinitate hæreditatem à cõi stipite descendentem avunculus versus nepotem vel è converso, nullius tenebit actio in hoc casu, sed locum habebit breve de recto.

De Summonitione. CAP. 3.

IMpetrato igitur brevi as' mor' an' & vic' exhibito & Juratoribus electis & visu facto detur dies partibus coram Justiciar' certis die & loco, & summoneantur Juratores quod tunc sint ibi ad recognitionem illam faciendā. § 2. Ad quem diem poterit tenens essoniari de malo veniendi, ulterius vero minime. Si autem plures fuerint tenentes in com'i plura, non habebunt essonia sed unum tantum, sicut de uno tenente observatur. Et eodem modo de viro & uxore tenentibus. Et post illud essonium alia essonia habere poterunt ut infra. Si autem tenens primo die non venerit nec se essoniaverit, statim tunc resummoneatur per præceptum vic' factum sine brevi, & post resummonitionem non jacebit essonium, nec ę converso, quia per essonium videtur tenens concedere summonitionem, & sive tenens venerit sive non capiatur as' per ejus defaltam quia tantum operatur sua absentia quam præsentia, quia quamvis præsens esset nihil tamen dicere posset in odium defaltæ quare assisa remaneret, nisi fortè cum venerit proferat cartas Regum per quas ei Rex debeat warrantizare, & sine quo dicat se non posse respondere, & hoc idem tenend' erit si proferat cartas aliorum per quas eos vocaverit ad Warrantum. In aliis autem casibus ubi Antecessor ille de cujus morte profertur assisa non tenuit terrā illā nisi ad vitam suam per finem factum in Cur' Reg' vel si felonia objiciatur vel alia consimilis exceptio peremptoria, statim in odium illarum duarum defaltarum capiatur assisa secundum quod fit in assisa ultimæ præsentationis & al' as' consimilibus. Salva Regi misericordia sua pro contemptu summonitionis. § 3. Comparentibus autem petente & tenente perlectoque brevi & intellecto statim proponat tenens intentionem suam, & dicat, quod pater vel mater vel alius antecessor suus fuit seisitus in dominico suo ut de feodo de tanto terræ vel redditus cum pertinentiis in tali villa die quo obiit, & quod obiit post terminum, & ipse propinquior hæres est, & doceat qualiter. Quæ quidem si tenens simpliciter negaverit in toto vel in parte per assisam poterit veritas declarari, vel si nihil habeat quod proponat, vel cum habuerit & nihil proposuerit, statim procedat assisa per 12. majores & non per pauciores contra quos nihil excipi poterit, & qui nulla ratione sint recusabiles. Et unde nullus qui non fuerit summonitus per Justic' vel vic' ponatur in as' adjurand', & summoniti qui non viderunt ten' in brevi contentum amercientur pro contēptu, & similiter contumaces non venientes nisi pro se sufficientes

excusa-

excusationes prætenderint. Facto igitur Sacramento Jurator' si in omnibus convenerint, secundum eorum veredictum judicabitur seisina petenti vel tenenti imperpetuum vel ad tempus. § 4. Ponitur autem ass' in respectu quandoque de necessitate pro defectu recognitoru' quamvis partes præsentes fuerint & petierint assisam, & ita capiatur in mod' assisæ & non Juratæ. Si Juratores in veredicto suo aliquid falsum dixerint super sacramentum suum de aliqua exceptione in quam petens se non posuerit, locus erit convictioni sicut super exceptionem status finis facti conventionis rei judicatæ & hm'di, vel si dixerint de alia exceptione verum & de alia in quam petens & tenens se posuerint falsum locus erit convictioni pro falsitate quod quidem non esset si utraque pars de co'i assensu quod ita esset se non poneret in assisam. § 5. Contingit autem quandoque quod partes ante judicium assisam terminant per concordiam, & quo casu irrotuletur concordiat & fiat præceptum vel breve de seisina secundum formam concordiæ, & similiter fiat seisina parenti minoris ubi custos adjudicatus est de custodia sua propter vastum & destructionem quam fecerit vel cum injuste clamaverit custodiam, eò quod non sit feod' militare. § 6. Cum igitur tenens summoniatur ad certum diem quod sit ibi auditurus recognitionem illam, tunc aut est summonitio illa legitima vel minus legitima sive testificator fuerit vel non. Si autem legitima, procedat assisa; si autem illegitima, aut est calūpniata vel non. § 7. Si autem calumpniata tunc facta examinatione separata à Sūmonitoribus de die & loco & aliis circūstantiis, si cōstiterit ipsam esse legitimam, pocedat assisa; si illegitimā detur alius dies legitimus. Ad q' diem poterit tenens essoniari, sed si defaltam fecerit non erit resūmoniendus, sed capiatur assisa in ejus defaltā quia diem datū in banco dedicere non poterit, nec etiam causare potest essonium factū, cum per essonium concedat summonitionem, nec post resummonitionem quia summonitio & dies datus à Judice dici non poterit minus rationabilis, & quamvis summonitio non fuerit rationabilis procedend' tamen erit acsi fuisset rationabilis cum à tenente non fuerit calumpniata, nec ad Justic' pertinebit dare tenenti exceptionem quamvis summonitionem sciverit esse illegitimam.

De Warantiis. CAP. 4.

PRæsentibus in judicio petente & tenente, tenens forte warantum habet & defensorem qui eum defendere tenetur in seisina sua contra petentem, & cum ten' talem vocaverit ad warantum refert utrum warantus plenæ ætatis fuerit vel infra ætatem, & si infra ætatem oportebit ten' docere quare warrantizare tenentur per cartas vel per homagium captum ab antecessore vel aliud ne frivola sit advocatio vel dolosa, quod quidem non est in majore, eò quod sine carta vocari poterit ad warantum per auxilium Cur' si petatur, alioquin quem vocavit faciat venire, & illud idē fiat de minori. Et si warantus non fuerit de Comitatu illo, tunc summoneatur p' breve de judicio, & si de Com', tunc per p'ceptum tantum. § 2. Si autem plures waranti manentes fuerint in eodem Com', tunc omnes sūmoniantur simul; si autem in diver-

diversis, summoniatus per diversa brevia interlaqueata sic viz. Ad warantizand' B. simul cum. C. & D. ita quod quodlibet breve correspondeat alteri, & quod in quolibet brevi fiat mentio de quolibet waranto. Potest enim unus tenens plures vocare warrantos qui sunt loco unius hæred' sicut unum corpus, & eodem modo plures successivè de warranto in warantum, & quo casu si unus ex pluribus defaltam fecerit capiatur assisa per defaltam unius ac si omnes defaltam fecerint, sive quidam illorum fuerint infra ætatem sive non. Et quod dicitur de uno tenente, dici poterit de pluribus. § 3. Si autem ad diem summonitionis comparuerint warantus, & petens & ten', non statim procedat ass' & capiatur per defaltam ten' si Juratores præsentes fuerint, & si non, detur alius dies & warantus unus vel plures cum se obtulerit usque ad quartum diem quarto die recedant quieti de warrantia, nec poterit tenens aliquid dicere quare assisa remaneat. § 4. Et quia quidam articuli vel omnes in brevi contenti possunt esse falsi, ideo non recuperabit petens, statim seisinam suam per defaltam tenentis sine recognitione assisæ; Et quamvis res prima facie desinat esse tenentis, oportet tamen tenentem docere rationem & jus qualiter pertineat ad eum actio. Si autem petens non compareat expectato quarto die, recedat tenens quietus de brevi illo & similiter waranti. Si autem præsentes fuerint petens & tenens, & warrantus defaltam fecerit, tunc ante omnia per defaltam warranti capiatur assisa nec procedatur versus warantum ad aliquam districtionem vel captionem terræ, vel alio modo ante captionem assisæ, & donec sciatur utrum tenens amiserit vel retinuerit, qui si retinuerit tunc non erit necesse procedere contra warrantum in placito warantiæ, & unde primo die sic capi non poterit assisa, sed detur alius dies vel forte plures pro defectu recognitorum vel per essonium tenentis petentis vel warranti. Si autem warantus ad diem illum venerit & ante captionem assisæ warantizare velit & defendere, non decet audiri antequam assisa in modum assisæ, tum quia diem non habuit ad warrantizand', tum quia per defaltam quam fecit amisit omnes suas exceptiones & defensiones, tum quia nescitur adhuc ante captionem assisæ utrum necessitas cogat eum ad defensionem, & sic apparet manifeste quod ejus præsentia non est necessaria antequam venerit post districtionem cum tenens amiserit per assisam, & unde si dixerit warantizo cum diem non habuit, & reddo & restituo petenti ten' petititum, facit manifeste disseisinam tenenti, si hoc fecerit contra ipsius tenentis voluntatem, quia cum teneatur tenentem in sua possessione defendere, non poterit eum disseisire, & petenti restituere, cum petenti restituere & tenentem defendere sint contraria. § 5. Si autem captio assisæ adjudicata fuerit per defaltam & tenens amiserit per assisam, tunc primò procedend' est versus warantum de warrantia, quod capiatur in manum Regis ad valentiam terræ quam tenens amisit, & in eo sensu quod tenentem warantizare posset, hoc est defendere in sua seisina, secundum quod warrantizatio in uno sensu defensionem significat, & in alio sensu significat quod warantus tenetur ad escambium cum feoffatum suum non defenderit, & hoc modo distringatur si terram habuerit in eodem Com' per

præceptum

præceptum tantum. Et si terra amissa & terra quæ tenetur ad escambium in diversis fuerint Com', tunc prima fiat extentio de terra amissa, & de terra waranti capiatur tantundem in man' Regis; si autem plures fuerint waranti, tunc facta extentione capiatur de terr' singulorum proportionaliter quantum ad singulos warantizare pertinebit secundum valorem terr' amissæ, sed quare non recuperabit petens statim per defaltam waranti quia warantus habere poterit excusationem defaltæ per impedimentum ubi restituetur per defensionem sicut in causa proprietatis, & ita capi non poterit assisa propter aliquam defaltam, quia nulla est defalta quæ defendi poterit per legem, & malum est si warantus responsiones suas amittat versus petentem, & faciat escambium cum defensionem habeat & non sit in culpa. § 6. Cum autem warantus omnino non venerit, vel si venerit, & se excusare non possit de defalta, tunc primo capiatur assisa p defaltam ut sciatur an petens jus habeat petendi vel non. Et si habeat, quod habeat escambium; si autem non, quod tenens retineat per assisam, & warantus quietus sit de escambio. § 7. Non enim est justum quod tenens utrumque haberet ten' quod prius tenuit & escambium, quamvis warantus defaltam feceret. Et ideo in omni casu capienda erit assisa, & semper est necessarium petenti quod sciat utrum tenens justam habeat causam vocandi vel non. § 8. Si autem warantus cujus terra capta est in man' Regis ad diem suum non venerit, terram sic captam amittat vel retineat secundum quod assisa fecerit pro tenente vel pro petente. Si autem compareat ad diem suum aut statim warantizet aut warantizare contradicat secundum sensum quod ad escambium non tenetur, vel dicere poterit quod warantizare non potuit secundum sensum qd' warantizare est tenentem in seisina defendere, cum tenens seisitus non sit, & ideo de escambio tantum erit agend'; Et quo casu si defendere se possit quod escambium non faciat, quietus recedat, alioquin statim satisfaciat suo feoffato nisi warantum habuerit quem ulterius vocare voluerit, & tunc summ' warantus vocatus quod sit ad certos diem & locum, qui si non venerit procedatur contra ipsum propter ejus defaltam; & si venerit, aut statim warantizet, aut dicat se warantizare non debere quia nihil tenet de eo nec servicium ei facit nec homagium. Et si warantizare ei tenetur ipse tamen vocans defaltā fecerit ubi respondisse potuit ad assisā si ad diem suum venisset, ita quod per defaltam suam capta fuit assisa per defaltam amisit omnes excusationes & defensiones contra assisam, quod sibi ipsi poterit imputari. Si autem statim warantizet & alium advocaverit eadem fieri poterit ei responsio. Sed esto quod warantus cum ad primum diem defaltam fecerit, ad alium diem ante captionem assisæ postquam semel adjudicata fuerit as' capienda de facto warantizaverit ipsi tenenti & per warantizationem ita consideratum fuerit quod si tenens amiserit quod warantus faceret ei escambium ad valentiam & ille idem warantus eodem die alium warantum vocare voluerit & capta sit assisa eodem die per quam petens recuperaverit versus tenentem, statim summoniatur secundus warantus ad warantizand' primo, cui si venerit allocentur rationes memoratæ. §. 9. Ex præmissis igitur patet manifestè quod cum warantus defaltam

tam

tam fec' primo die & adjudicand' sit quod assisa capiatur & captio assisæ aliqua causa differatur ad alium diem ad quem warrantus venerit per districtionē vel fine,& warrantizare voluerit ante captionem assisæ,bene poterit, non tamen ad defensionem ut ten' defendat vel aliquid dicat contra assisam, sed ut escambium faciat si tenens amittat per assisam, & multo fortius post captionem assisæ, quia tunc non erit quis in possessione quem possit defendere, tenebitur tamen an escambium propter warrantiam. Et si ulterius per hoc quod sic warrantizavit ad escambium velit warrantum vocare, non proderit ei cum ex culpa sua non sit in seisina nec quasi. Et cum warrantus defaltam fecerit postquam warrantum vocaverit, sive vocatus fuerit sive non, statim capiatur assisa, & idem dici poterit de utroque si warrantus & tenens defaltam fecerint, vel si tenens tantum quamvis warrantus præsens fuerit vel absens,quia warrantus quietus non erit de warrantia quamvis aliquis ipsorum tenentis & warranti dicere possit contra assisam quare debeat remanere: Pro dicto namque tenentis non remanebit assisa eo qd' defensionem suam omnino posuit in ore warranti quam resumere non potuit, warrantus autem non tenetur aliquid dicere contra assisam neque defendere quia defendere se de warrantia ; nihil igitur superest nisi quod per defaltam unius vel alterius vel utriusque capiatur assisa. Si autem warrantus defaltam non fecerit sed primo die comparuerit post essonium & dilōnes præsentibus petente & tenente, aut statim warrantizet aut ostendat rationem quare warrantizare non tenetur. § 10. Et si statim warrantizaverit tunc respondere poterit & dicere contra assisam quare debeat remanere imperpetuum vel ad tempus, cum omnes habeat exceptiones & defensiones quas principalis haberet cum sit quasi tenens, vel poterit alterum vocare ad defensionem propriam & ille alium, & sic in infinitum successivè, & summonebuntur ad warrantizand' per districtionem vel fine; sed ille qui warrantizavit in brevibus summon' & districtionem semper habebitur pro tenente, & de illo cui fuerit warrantizatum nulla fiet mentio sed domi remanebit donec placitum inter petentem & warrantum fuerit terminatum. Et cum plures vocati sint & ultimus defaltam fecerit,capi debet assisa per defaltam, vel cum plures fuerint warranti & ultimus tenentem defendere non possit, vel si assisa per defaltam warranti capiatur & ultimus warrantus de escambio faciendo se defendere non posit, faciat escambium suo feoffato, & illud idem escambium de manu in manum & de warranto in warrantum. § 11. Si autem unus ex pluribus warrantis vel plures fuerint infra ætatem, omnium illorum ætas expectabitur. Et si unus ex pluribus petentibus in communi ante captionem assisæ moriatur, non tamen propter hoc cadit breve sed remanebit assisa & illud idem erit si unus ex pluribus tenentibus simul in Communi moriatur. Si autem divisa sit hæreditas vel ten' inter plures participes quod prius fuit Commune, si unus moriatur cadit assisa per breve. Et si vir & uxor simul vocentur feoffamento uxoris, licet vir moriatur non tamen propter hoc cadet breve,licet è converso. Si autem petens vel tenens vel uterque moriatur tunc cadit loquela omnino quasi deficiente fundamento. Si autem unus warrantus moriatur vel plures ex pluribus,tunc refert utrum warrantizaverit

vel

vel non. Si autem non warantizaverit, not cadit breve per mortem warranti sed incipiet tenens vocare suum hæredem de novo: Si autem warrantizatum fuerit cum warrantus sit quasi tenens & principalis, cadet breve & alio brevi opus erit. Si autem warrantus unus vel unus ex pluribus cum plures successivè vocentur se defenderint de warrantia quod warrantizare non debeant, nulla alia subsequatur pœna nisi quod capiatur assisa per defaltam & tenens conservabitur indempnis per escambium cum semel fuerit ei warantizatum. § 12. Sunt autem quidam qui quasi warrantum vocant cum dicant quod sine Rege respondere non poterunt quia tenent ten' de quo warrantizata est assisa ad voluntatem Reg' & quo casu capiatur assisa per quam inquiratur de seisina Antecessoris ipsius petentis, & si petens sit hæres propinquior, sed differatur judicium donec de voluntate Regis constiterit. § 13. Item cum warantus summonitus venerit ad warantizand' & contentio habeatur de warantia, eo quod carta & homagia dedicantur ita quod sine difficultate & dilatione non possit placitum de warantia terminari, quia dubium est utrum tenens possit per assisam retinere, vel non, solet assisa capi ut sciri possit cum quo remaneret seisina ut secundum hoc in placito warantiæ procederetur vel non. § 14. Cum autem frater postnatus in seisina fuerit de hæreditate paterna ita quod sine judicio ejici non possit, & idem feoffaverit aliquem, & frater antenatus portaverit ass' mor' Ant' super feoffatum qui fratrem postnatum feoffatorem suum inde vocaverit ad warantum, & qui ei warantizaverit si postea responderit ad assisam quod assisa non jacet inter ipsum & fratrem suum antenatum propter paritatem juris possessorii, non valebit responsio eo quod quamvis sit defensor tenentis, tenens tamen non est, licet faciat verba defensionis pro tenente, quia licet warantus suus cum ei warantizaverit videatur tenens ipse, tamen vocans à seisina non recedet ante judicium, sed seisitus expectat eventum placiti inter warantum suum & petentem, & si warrantus suus eum defendere possit remanebit in seisina, alioquin tunc primo cum warantus suus judicium contrariũ habuerit à seisina ejicietur, & de terra waranti consequetur escambium. § 15. Et si frater postnatus postquam vocatus fuerit defaltam fecerit capienda erit assisa in persona tenentis; si autem assisam capere debeat in persona postnati cum factus sit tenens, tunc sequetur quod in persona ejusdem resurget breve de recto quod esse non potest cum sit tenens, & si super tenentem impetrare se debeat per breve de recto locum habere poterit duellum quod esset inconveniens de tam recenti seisina. § 16. Et inter alia sciend' est quod propter incumbramentum tenementi alicujus non tenebitur dn's feoffato suo warantizare si ad warantum vocetur, nisi Antecessor ejus qui petit fuit in sesina per donum & factum ab eo qui vocatus est adwarantum, ut ecce. Esto quod quis aliquem de ten' feoffaverit & ille feoffatus alium feoffaverit qui inde obierit seisitus hærede suo infra ætatem existente, si dn's capitalis ceperit illa Ten' in manum suam & hæredem non cognoverit ad hæredem, vel illa Ten' alicui ulterius dederit, & hæres super eum assisam arrannaverit, & talis warantum vocaverit inde feoffatorem, non audietur propter proprium incumbramentum suum. § 17. Sed esto quod aliquis dn's

pro

proprietatis aliquam terram de qua assisa erit impetranda alicui dimiserit ad firmam, quæro an debeat impetratio fieri super firmarium vel super proprietarium; & videtur quod super proprietarium quia firmarius non habet nisi usumfructum, sed proprietarius habet ten̄ in dominico, nec firmarius ten̄ ducere poterit in judic'; Sed contra si impetretur super proprietarium & ipse amittat per assisam, sic amittet firmarius usumfructum sine regressu versus suũ warantum q̄ esset iniquum. Solutio, revera impetrari debet super utrumque, agendum est tamen versus Fructuarium per se cum protestatione ante captionem assisæ ut fructuarius de termino suo versus proprietarium habeat regressum, verumtamen si super usum-fructuarium tantum impetretur valebit impetratio., ut ecce capitalis Dn̄s vendit alicui custodiam alicujus Terræ usque ad certum terminum, hæres cum ad ætatem pervenerit impetrat super tenentem: Si tenens Dominum vocare voluerit ad warantum & proferat conventionem inter eos factam quod Dn̄s tenetur ad warantiam usque ad certum terminum ultra ætatem, non erit audiendus tenens; sed quia talis conventio hæredem non tangit, procedat as' & tenens agat de conventione versus suum warantum si viderit expedire. § 18. Cum autem partes sint in judicio & Juratores non venerint, detur alius dies ante captionem assisæ nullo essonio allocato. Et cum concessum fuerit à tenente & petente in tali casu quod ad proximum diem capiatur assisa, sive venerit tenens sive non, nullum allocetur essonium. Inhibetur ne in aliquo brevi assisæ allocetur alicui essonium postquam semel in Cur' comparuerit. Et eodem modo observatur post diem datum prece partium in Inquisitionibus non magis petenti quam tenenti secundum hoc statutum. § 19. Postquam aliquis descenderit in Inquisitionem ad proximum diem allocetur ei essonium, ad alios vero dies sequentes non differatur captio Inquisitionis sive prius fuerit essoniatus sive non. Nec de cætero admittatur essonium post dic̄ datum prece partium in quo partes cōsentierint venire sine essonio. Si autem cum concedatur à tenente qd' assisa vel Jurata capiatur ut dictũ est ad proximum diem non expectata ejus præsentia, & as' vel Jurata faciat pro petente, non propter hoc procedatur eo die ad judicium, sed detur alius dies, ad quem si non venerit tenens, tunc capiatur terra in manum Regis per secundam defaltam, & ipse summoniatur quod sit ad alium diem auditurus judicium suum. Ad quem quidem diem, sive venerit sive non, tenens recuperabit seisinam. Si autem convenerit inter partes & primo die & prima defalta capiatur assisa & reddatur judicium, tunc fiat ut convenit.

Nota.

De statutis & dilationibus auferendis in Inquisitionibus.

De Exceptionibus. CAP. 5.

SIcut autem limitatur assisa inter certas personas, ita limitatur infra certos gradus. De morte autem patris & matris, fratris & sororis, avunculi, amitæ capi debet assisa & ad al' superius ascendendo non extenditur ad avum, nec inferius descendendo ad nepotem. De morte namque avi nec de morte nepotis tantum per se nunquam tenebit assisa, licet nepos habere potuit as' de morte avunculi vel amitæ. Item non tenebit assisa inter conjunctas personas nec consanguinitas de aliqua hæreditate hæreditario jure descen-

descendendo à communi stipite, sed breve de recto tantum; versus tamen extraneas personas locum habebit assisa quatenus se extendit, locum habebit consanguinitas quo omnino trahit originem de assisa. Propter tamen recentem seisinam & possessionem & ad discrimina brevis de recto vitanda inventa fuerunt brevia de avo & proavo: proposita autem intentione petentis oportebit eam fundare & probare omnes articulos brevis in modo assisæ, quod talis Antecessor cujus seisinam petit fuit seisitus in dominico suo ut de feodo & die quo obiit, & qd' obiit post terminum limitatum. § 2. Ad hoc autem quod dicitur si talis Antecessor fuit seisitus sicut pater vel mater, responderi poterit excipiendo quod inter petentem & tenentem non poterit assisa procedere quia ten' de quo assisa arannata est descendit à prædicto Antecessore quasi à communi stipite ad prædictum tenentem qui est conjuncta persona cum petente & inter tales non jacet ass' eo quod tantundem juris habet tenens in ten' petito quantum & ipse qui petit, & ideò propter paritatem juris non poterit assisa terminare jus vel seisinam. § 3. Ad quam quidem exceptionem sic poterit replicari, qd' petens nihil juris clamat per descensum à communi stipite immò per feoffamentum suum à communi Antecessore, & hoc reddat se paratum probare per cartas & testes & omni modo secundum quod Cur' consideraverit. § 4. Ad quem replicari poterit quod, donatio illa nullius debet esse valoris, quia talis donator statum suum in aliquo mutavit, sed semper fuit in seisina per se vel per suos, ita quod seisitus obiit. Ex hoc autem quod dicitur talis Antecessor talis, plures competere poterunt tenenti exceptiones & responsiones, assisa namque filio competit & filiæ de morte patris vel matris, sed nepotibus ex eis vel neptibus de morte prædictorum avi vel aviæ non competit, nisi aliis jungantur personis ratione quarum tenebit assisa. § 5. Competit etiam fratri de morte fratris, & sorori de morte fratris vel sororis, & nepoti vel neptæ de morte avunculi vel amitæ, sed non è converso; & sic restringitur ass' ista infra certos gradus & certas personas, & ulterius non extenditur. § 6. Inter prædictas vero personas & extraneas semper habet locum assisa ista quatenus se extendit, & ubi locum non habet locum habebit consanguinitas ascendendo usque ad avum & descendendo usque ad trinepotem, quia inter quascunque personas locum habet assisa infra suos limites, locum non habet assisa inter easdem extraneas, locum nunquam habebit consanguinitas nec de avo vel proavo, sed tantum breve de recto. Et talibus personis de morte talium competit assisa contra extraneas personas tamen sicut capitalem dominum vel fratrem utrum de alio patre vel diversa matre à quibus hæreditas non descendit vel bastardum & illegitimum. Et licet sint fratres uterini, tales non sunt quasi extranei cum non sint capaces hæreditatis. § 7. Et quamvis sint bastardi inter tales, tamen non jacet assisa nec per assisam procedi possit saltem quod probetur legitimitas, quia quamvis probaretur legitimitas per assisam non tamen per hoc terminabitur negotium, eo quod propinquitas per hoc non probatur licet quis se probaverit hæredem. Nam si frater in causa bastardiæ sibi objecta se probare posset legitimum contra fratrem sic terminaretur proprietas & jus merum sub spe-

cie possessionis quod esse non debet: sed si bastardia contrà tales obiciatur à personis extraneis, tunc in causa illa procedatur. § 8. Ex præmissis igitur habetur quod inter hujusmodi personas privatas non habet locum alliud breve quam de recto, & quo casu non erit ibi duellum neque magna assisa, sed per narrationem descensus à communi stipite terminabitur tam jus possessorium quàm jus merum, quia facta computatione de facili perpendi poterit quis sit primogenitus & hæres propinquior & justior, tum propter jus & ætatem, tum propter sexum & consimilem propinquitatem, vel propter lineam rectam & transversalem, quia si nepos fuerit prius in seisina recta linea descendendo, excludit omnino avunculum à successione si petat versus nèpotem per assisam, quia non jacet inter tam conjunctas personas. Et si petat per breve de recto excludetur tamen omnino tum ratione juris quod ei descendat & non avunculo, tum ratione rectæ lineæ quæ omnino excludit transversalem dum aliquis in ea reperiatur, & non solum excludit nepos vel neptis si fuerit in possessione, verumetiam excludunt eorum pronepotes & proneptes & omnes alios ex illis, descendentes. § 9. Continetur enim in brevi si talis pater vel alius antecessor fuit seisitus; seisitus enim poterit quis esse corpore & animo simul die quo obiit. Seisina adquiritur corpore simul & animo, & corpore tantum sine animo. § 10. Et eodem modo retineri poterit seisina animo & corpore ante mortem, ut si quis profectus sit peregrè vel ad nundinas nemine in possessione relicto nomine suo, si in itinere antequam redierit moriatur, nihilominus seisitus moritur. § 11. Et idem si quis donationem fecerit per cartem vel per finem & cyrographum vel aliam recognitionem in Cur' Reg' ubi nulla fuerit seisina subsecuta in vita Donatoris, nec refert an quis moritur seisitus in propria persona vel in persona Tutoris vel procuratoris, ut si Tutor vel custos aliquem minorem recognoverunt ad hæredem, & sub nomine talis minoris se posuerit in seisinam, licet in propria persona possessionem non apprehenderit, quod similiter accidit & similiter de procuratore satis. moritur seisitus ex seisina custodis vel procuratoris, & talem seisinam transmittit ad suos hæredes. § 12. Plures itaque mori poterunt seisiti de una & eadem re, ut de feodo ex diversis feoffamentis: & unde si agant & petant debito ordine per assisam in fine redibit seisina sive possessio ad proprietatem, sed de seisina ejus qui ultimo obiit seisitus erit incipiend' & de seisina ultima gradatim & per ordinem usque ad primam sicut in donatione facta Concubinæ & pueris suis. § 13. Si autem sic fiat donatio, Do tali & hæred' quos de carne sua propria legitimè procreatos habuerit; Et si nullos habuerit, vel cum habuerit & defecerint, tunc tali & hæred' suis eodem modo & sic pluribus. Si primus cum tales hæredes habuerit seisitus moriatur, statim competit assisa suis hæred'; & si nullos habuerit, vel cum habuerit si defecerint, tunc descendit jus ad alios feoffatos non ex causa successionis ut locum habeat assisa mor' An. sed ex causa primæ donationis & per modum feoffamenti, & brevi de forma donationis opus erit. § 14. Poterit etiam sic donatio fieri quod nec donatori nec donatario, nec habebunt hær' eorum ass' mor' An. ut si quis ita dicat. § 15. Do tali tantum ad vitam meam, si donatarius supervixerit donatorem

donatorem hæredi donatoris non competit assisa sed breve ad terminum qui præteriit,& si donatarius in vita donatoris obierit & donatio fuerit donatario tantum & non sibi & hæred' suis, tunc revertetur res donata ad donatorem,& si hæres donatarii in donatione sint comprehensi, si donatarius præmoriatur, hæredes ejus succedent ei jure hæreditario quamdiu donator vixerit sicut ad feod',& post mortem donatoris desinit esse feodum donatarii & incipit esse feodum donatoris. § 16. Ad hoc etiam quod dicitur in brevi quod talis Antecessor fuit seisitus, poterit tenens excipere, & docere contrarium vel diversum. Dicere enim poterit quod nunquam fuit inde in sesina,vel sic. Si Antecessor fuit seisitus, hoc non fuit nomine proprio sed alieno velut custos, curator vel procurator, vel si seisinam habuit, liberum tamen ten' non habuit, quia non tenuit nisi ad terminum annorum sicut fructuarius,vel in vadium ut creditor, vel donec tantum inde fuerit levatum. Et si dicatur quod seisinam habuit ex donatione, excipi poterit à tenente quod donatio nunquam fuit perfecta, eo quod donator simul cum donatario se tenuit in seisina, & sic seisitus obiit. § 17. Continetur etiam in brevi in dominico suo. Haberi enim possunt in dominico tam ten' quam reditus & omnia alia de quibus haberi poterit assisa no. diss. de lib' ten' sive teneantur ad vitam donatarii sive in feodo. Et de hiis quæ in feodo tenentur sequetur ass'mor' An. & datur hæredibus quanquam fuerit in possessione. § 18. Dominicum autem multipliciter accipitur. * Est autem dominicum propriè terra ad mensam assignata & villenagium quod traditur villanis ad excolend',& terra precariè dimissa quæ tempestive & pro voluntate domini poterit revocari, & sicut est de terra commissa tenend' quamdiu Commissori placuerit. § 19. Poterit etiam dici Dominicum de quo quis habet lib' ten' & alius usumfructum, & etiam ubi quis habet liberum ten' & alius curam, sicut de custode dici poterit & curatore, & unde unus dicitur à jure, alius quoque ab homine. § 20. Dominicum etiam dicitur ad differentiam ejus quod tenetur & in servicio. Dominicum est omne illud ten' de quo Antecessor obiit seisitus ut de feodo, nec refert cum usufructu vel sine, & de quo si ejectus esset si viveret,recuperare possit per ass' no. diss. licet alius inde haberet usufructum, sicut dici poterit de illis qui tenent in villenagio qui utuntur & fruuntur non nomine proprio sed nomine domini sui. § 21. Ad hoc autem quod petens petat seisinam sui Antecessoris responderi poterit excipiendo, quod si talis Antecessor seisinam habuit nullam tamen habuit in dominico nisi ad terminum ut firmarius, vel in vadium ut creditor,vel per judicium vel alio modo donec tantum inde fuerit levatum, vel si seisinam habuit & in dominico non habuit, tamen illud in feodo quod aliquid petenti descendere posit ut hæredi,quia non nisi ad terminum vitæ, vel quod minus valeat vel tantundem, vel si in dominico et in feodo nihil tamen descendere potuerit petenti quia donatio facta fuit certis hæredibus et coartis per quam petens omninò excludi debet, vel per donationem et modum facta fuit donatio, per quam suspensa est talis hæredis succesio quoad seisinam habendam imperpetuum vel saltem ad tempus. § 22. Si autem mentio fiat excipiendo de die præterito per quod terra remanere debeat cum creditore,

Notá.

hoc verificari oportebit per instrumenta vel per assisam in modum Juratæ, quod Antecessor ille ten' illud pignore supposuit creditori ad certum diem sub tali conditione, quod nisi pecunia tali solveretur quod ten' illud remaneret in feodo Creditori. § 23. Quocirca vidend' est utrum dies solutionis præterierit vel non; qui si præterierit, tunc utrum solutio facta fuerit vivente debitore vel post mortem, vel non. Si autem facta fuerit solutio vel saltem pecunia oblata suo die sub bonorum virorum testimonio procedat assisa in modum Juratæ de solutione facta, & recuperabit hæres per Juratam. Si autem soluta non fuerit nec oblata, tunc cadit ass' & remanebit ten' creditori, cum non sit satisfactum conditioni; Si autem dies nondum præteriit tunc suspendetur assisa usque ad diem, & querens in misericordia remanebit pro falso clamore quia nondum venit hora clamandi; Si autem solutio se non extendit ad hæredes debitoris, & debitor ante diem suum decesserit, terra cum creditore remanebit, nec hæres debitoris quamvis pecuniam creditā reddere offerat, aliquid inde recuperabit nisi creditor velit, quia obligatio personalis fuit. Et idem erit si obligatio personalis fuerit quantum ad creditorem nulla facta mentione de hæred' creditoris. § 24. Item poterit ten' dari ad firmam creditori sub tali conditione & ad termium annorum, qd. si contingat alicui alteri homini bene tenebit conventio. Et si debitor moriatur vel creditor vel uterque, locum habebit ass' mor' An. quia debitor quodammodo moritur seisitus ut de feodo; Eliditur tamen ass' per exceptionem conventionis. Et si hæres debitor' per se habeat assisam in modum assisæ & seisina fuerit ei concessa, creditor vel ejus hæres habebit contra assisam exceptionem conventionis, & procedet assisa in mod' Juratæ, in quam quidem si petens se ponere voluerit, denegabitur ei actio & assisa. Et si tenens conventionem exceptionis per ass' in modum Juratæ à se proposita vel alio modo probare noluerit indefensus remanebit, & sic seisinam amittet. § 25. Item continetur in brevi ut de feodo quod quidem oportebit petentem probare. § 26. Poterit etiam unus tenere in feodo quoad servicium, sicut Dñs capitalis & non in Dominico, alius in feodo & in Dominico & non in servicio, sicut liberè tenentes alicujus, & unde licet tenens vendat alicui ten' suum, ille tamen qui emit non intrat in feodum Domini sui cum Dñs nihil clamare poterit in ten' nisi servicium, sed intrat in feodum & Dominicum Tenentis. § 27. Feodum autem est quod quis tenet ex quacunq; causa sibi & hæredibus suis, sive sit ten' sive redditus qui non proveniunt ex camera. Et alio modo dicitur feodum sicut ejus qui feoffat & quod quis tenet ab alio, sicut dicitur, talis tenet de tali tot feoda per servicium militare. § 28. Ex præmissis verò colligi poterit quis potest esse seisitus de aliqua terra vel redditu in Dominico suo ut de feodo & lib' ten' simul, vel tantū ut de lib' ten' & in Dominico non tamen in feodo sicut de hiis qui ad vitam tantum tenuerint quacunq' ratione. § 29. Poterit etiā quis esse seisitus ut de feodo & lib' ten' quoad ꝓprietatē & in Dominico, & alius ad nullum istorū. Sed quoad usum fructum, sicut firmarius qui tantum tenet ad terminū annorū. § 30. Dicitur etiam ut de feodo ita ꝙ ut ponatur ꝓ quasi, & denotet similitudinem, vel quod ut denotet ipsam veritatem, sicut de ipsis

dici

dici poterit qui justum habent titulū & justam causam possidendi ab eis qui jus habent conferendi similitudinem, sicut de illis dici poterit qui ingrediuntur sine justo titulo & justa causa propria usurpatione vel donatione facta à non Domino, ut postnatus frater vel soror antenato excluso, vel si per conditionem, ita quod ex insidiis fortunæ dependeat seisina talium, vel si bastardo fiat donatio & hæred' suis & cum nullum habeat, ingrediatur filius suus bastardus & uxorem ducat & hæredes habeat de corpore suo, si tales moriuntur seisiti moriuntur in dominico suo ut de feodo, & sic accipitur (ut) pro quasi. § 31. Item dicitur in brevi die quo obiit vel die quo habitum religionis assumpsit, vel die quo iter peregrinationis arripuit, in quo itinere obiit, quocirca vidend' est de die. Est enim dies solaris & dies lunaris, secundum quod Deus divisit lucem à tenebris, ex quorū duobus diebus efficitur unus dies qui dicitur artificialis ex die præcedente & nocte subsequente, qui constat ex xxiv. horis, & hora ex xl. momentis. Dies autem artificialis dividitur in quatuor partes. Prima incipit in crepusculo & terminatur ad mediam noctem, secunda incipit ad mediam noctem & terminatur in aurora, tertia incipit in aurora & terminatur ad meridiem, & quarta incipit in meridie & terminatur in crepusculo, & quælibet pars continet in se sex horas, & unde si quis obierit die solari vel lunari moritur eodem die artificiali, & ideo non opponitur in brevi nocte qua obiit sed die tantum. Oportet igitur ad hoc quod hæres seisinam Antecessoris sui recuperare velit per assisam qualem habuit Antecessor suus, ꝙ non solum doceat ꝙ Antecessor de cujus morte fertur assisa hora illius diei in seisina extiterit, verumetiā quod seisitus obiit, quia esto quod quis in crepusculo vel in aurora seisitus fuerit de aliquo ten' tanquam de lib' ten' & Dominico suo ut de feodo & statim ante meridiē ten' illud alicui dederit & animo donandi transtulerit, & ille cui datum fuerit illud recipiat animo retinendi & possidendi, statim fit lib' ten' ei qui recepit & Dominicū ad nihil remanet cum donatore nisi nudum dominiū uno die & una hora transferat donator quicquid habeat ad donatariū. Et quamvis donatarius non statim utitur seisina nō est multū curand', veruntamē usus quandoque vestimentum præbet & post imaginariam donationem seisinam declarat, sicut captio expleciarum & unde donatarius sic existens in possessione vacua nihil possessioni suæ contrarium inveniens vel rebelle statim in ipsa hora translationis habet lib' ten', ut ecce. Esto quod donatio facta sit mane & donatarius in seisina fuerit usque ad horam primam vel tertiam, & donator facta traditione recesserit, & postea pœnituerit se fecisse donationem, & statim rediens post horam tertiam volens ingredi non admittatur. § 32. Si querat assisam & queratur quod injustè & sine judicio sit ejectus, respondere poterit donatarius ad assisam quod non quia gratis dedit gratis tradidit & gratis exivit, & quod non fit ei injuria tamen quia hoc voluit, videtur ergo quod as' no' diss. remanere debeat non obstante aliqua exceptione tenere seisinæ, cum talis exceptio contra factum proprium donatoris locum habere non debet, quamvis in suo casu locum habeat contra alienum; Et unde videtur quod ea ratione qua cadit as' in persona donatoris eadem ratione tenere debet & procedere pro donatorio ad recuperand', si forte ejectus

ctus fuerit per donatorem in eodem casu. Sequitur ergo ex præmissis quod modicum tempus sufficit ad habendum liberum ten', & quod duo uno & eodem die possunt esse seisiti ut de feodo, & unde mortuo donatore eodem die donationis vel donatario uno vel pluribus si ten' successivè ex causa Donationis ad plures de persona in personam translatum fuerit qui omnes eodem die moriantur. Si omnes hæredes versus capitalem dominum seisinam Antecessorum suorum petierint per as' ille preferri debet cujus Antecessor ultimo fuit in seisina aliqua hora diei & seisitus obiit. Quod videri poterit manifestè de eo cujus Antecessor iter peregrinationis seisitus assumpsit in quo itinere obiit quia hodiè poterit & statim iter arripere & eodem die aut secundo mori quamvis aliqua hora diei quo iter assumpsit seisitus fuit, nullam tamen seisinam reliquit ad suos hæredes quia seisitus non moriebatur dum tamen donatarius traditionem & seisinam per donationem aliqua hora diei fuit consecutus. Et illud etiam dici poterit de eo cujus Antecessor habitum religionis assumpsit, qui eodem die in seisina extiterit, sed ante habitus assumptionem donationem fecerit: Et quo casu hæres per assisam nihil recuperabit quia ejus Antecessor seisitus habitum religionis non assumpsit, & sic concluditur quod nullus per assisam obtinebit nisi hæres ille cujus Antecessor obierit seisitus vel quasi obierit. § 33. Dicitur etiam in brevi de tanta terra cum pertinentiis in tali villa; Ex hiis enim verbis oriri possent exceptiones, ut si error fuerit in perpetratione, ut si quis posuerit ten' pro redditu vel è converso, vel reddit' pro servicio & consuetudine. § 34. Poterit etiam error esse in quantitate ten', ut si quis posuerit duas Carucatas ubi Antecessor non obiit seisitus nisi de una. § 35. Item si quis servicium petat sub nomine annui redditus qui datur pro homagio cum servicium proveniens ex ten' aliam habeat causam quam redditus annuus qui datur alicui. Item haberi potest exceptio. § 36. Item continetur in brevi si talis sit hæres propinquior & unde sufficit quod de propinquitate dicitur superius. § 37. Ille enim propinquior hæres dici debet ad quem jus merum descendit, sive sit verus hæres sive pro hærede sive loco hæredis. § 38. Dicitur etiam in brevi,& si talis propinquior hæres ejus sit & unde excipi poterit & responderi quod alius est propinquior vel saltem adeò propinquus cum terra sit partibilis qui non nominatur in brevi, vel omnino negando quod non est propinquior, nec propinquus cum sit villanus, & sic cadit quæstio status in as' mor' An'. § 39. Item respondere poterit quod pater petentis villanus fuit, quare petens hæres esse non potest; Ad quod sic poterit replicari à petente, quod licet talis Antecessor suus villanus fuit, liberatus tamen fuit à nayvitate cum tota sequela sua quocunque modo liberationis, & cum patri vel Antecessori suo competisset as' no. diss. si à ten' illo ab aliquo ejectus fuerit & recuperasse potuisset eadem ratione competere debet assisa mor' Ant' filio & hæredi talis sicut sequelæ suæ de ten' de quo Antecessor ille obiit seisitus ut de feodo & in dominico. § 40. Sorore namque contra sororem ten' descendens à communi stipite per assisam petente excipere poterit soror tenens quod as' non jacet propter paritatem juris cum quælibet illarum quoad seisinam & quoad jus sit hæres propinquior, & quo casu

agere

agere oportebit per breve de purparte. Item si duæ sorores petant simul per assisam quarum una sit legitima & altera bastarda, & Juratores dixerint quod una illarum nata fuit ante sponsalia, & alia post, utraque tamen per assisam recuperabit salvo jure cujuslibet in posterum, & soror legitima cum voluerit & ad ætatem pervenerit agat contra sororem per breve de recto & opponat bastardiam sorori tenenti replicando si velit. Et illud idem dici poterit de villano participe cum liberis, quia ubi eadem ratio ibi & idem jus. § 41. Dicitur etiam in brevi, & summ' talem qui prædictam terram vel redditum tenet, & unde vidend' est an totum teneat sicut ejus Antecessor tenuit, an ejus partem; Multiplex namque poterit esse illud totum: Potest enim peti illud totum sub uno, ut si quis petat aliquod manerium cum pertinentiis vel unam carucatam terræ cum pertinentiis, vel x. libratas terræ cum pertinen', & unde cum petens visum facere debeat Juratoribus oportet quod videant quid & quantum posuerit in visu suo, an totum secundum quod antecessor tenuit an ejus partem, vel non, quia si aliquid inde fuerit alienatum & in brevi non exceptum, & hoc verificari poterit, cadit assisa. Si autem hæres petat seisinam Antecessoris sui per particulas, quælibet particula habebit suum totum sive fuerit in uno loco sive in diversis, & si aliquam istarum particularum non teneat quis integre cadit breve quoad illud totum illius particulæ, tenet tamen quoad alias particulas integras, quia licet unica sit p̄sona quæ petat, & plures quæ teneant, diversæ erunt actiones quamvis consimiles propter plures particulas & plures personas. § 42. Si autem petat quis versus unum unam particulam per plures particulas numero, sicut unam carucatam ex pluribus per plures acras, si tenens totum non tenuerit cadit breve. § 43. Et quod dictum est de parte dici poterit de toto, vel quia nunquam aliquid inde tenuit, rem tamen ad alium transtulit, & sic desiit possidere, & quo casu vidend' erit à quo tempore desiit tenere & utrum res translata fuit ante brevis impetrationem vel post, quod si ante, tenens non est in dolo nec in culpa, & si post, nihilominus pro possessore judicabitur alieno quasi fuisset tenens, quia præsumend' est quod ipse timens litem & futuram controversiam ne cum ipso agatur, mutandi judicii causa rem ad alium transtulit. Et quo casu si feoffator moriatur ante captionem assisæ & hæredem reliquerit infra ætatem quem feoffatus vocet ad warantum, respondebit hæres non obstante minori ætate, sicut faceret ad breve de ingressu post disseisinam factam à suo antecessore capiend' erit tali modo assisa, quod si petens recuperet quod salva erit tenenti actio de warantia sua habenda cum hæres ad ætatem pervenerit. § 44. Item continetur in brevi qui terram illam tenet, ad quod excipi poterit quod totum non tenet sed alius talis tenet inde tantum. § 45. Et tunc replicari poterit à petente quod talis quem dicit partem inde tenere est villanus tenentis, & tenet illam partem in villenagio, ad quod dici poterit à villano vel ex parte villani quod liber est, & nisi petens statim replicationem suam probaverit per parentes villani tenens recedet quietus de brevi. § 46. Item ex errore villæ oriri poterit exceptio ut supra. § 47. Item de hoc q' dicitur in brevi die quo obiit, excipi poterit & responderi quod licet Antecessor

teceſſor aliqua hora diei eſſet in ſeiſina, eodem tamen die hora tertia dedit terram & alienavit & obiit hora nona, vel ſic longè ante mortem ſuam dimiſit ſe & terram illam dedit tenenti qui nunc tenet vel diſſeiſitus fuit, & quo caſu cadit aſſiſa. § 48. Item non obiit quia vivus eſt. § 49. Cadit etiam aſſiſa propter incertitudinem, ut ſi tenens dicat quod rem petitam totam non teneat nec die impetrationis brevis non tenuit & Juratores inde neſciant dicere certitudinem. Item dicere poterit quod quidam talis intravit poſt mortem ipſius de cujus morte præfertur aſſiſa, & iſtud breve eſt de poſſeſſione, & talis naturæ quod vult portari de ultimo ſeiſito; quo conceſſo vel probato cadit breve & aſſiſa; iſta tamen exceptio jacet tantum in ore extranei. Item poteſt tenens clamare per eundem deſcenſum, & quo caſu cadit aſſiſa, & hæc exceptio jacet tantum in ore privati. § 50. Item excipi poterit quod licet talis obiit ſeiſitus ut de feodo, nihil tamen potuit inde deſcendere ad ſuos hæred' quia baſtardus fuit, de quo caſu non eſt loquela mittenda ad curiam Chriſtianitatis ad baſtardiam convincendam, quia de eo qui mortuus eſt convinci non poteſt baſtardia eo quod excipere non poteſt nec reſpondere. Inquiri tamen poterit an talis fuit vel non per aſſiſam in modum Juratæ captam ſi utraque pars conſenſerit, vel rebelli denegetur actio. Et eodem modo dici poterit de baſtardo qui feoffatus eſt tenere ſibi & hæred' ſuis ſi abſque hærede moriatur. § 51. Item reſpondere poterit quod nihil clamat niſi nomine cuſtodiæ vel de ballivis ad voluntatem concedentis. Item dicere poterit tenens quod petens vel ejus Anteceſſor pro ipſo & hæredibus ſuis ipſi tenenti & Anteceſſori ſuo rem petitam & omne jus dimiſit & quietum clamavit, quod quidem docere oportebit per inſtrumenta. § 52. Item poterit dicere quod ſi alius ipſum implacitaverit ipſe petens tenetur ad warantiam per talem obligationem ſui Anteceſſor' & quanquam de evictione tenet actio, ipſum ab agendo repellit exceptio; peti poterit judicium de actione. § 53. Item dicere poterit quod habet ſtatum per quendam finem qui ſupponit reverſionem pro defectu geniture ad quem nullum clamium fuit oppoſitum, ipſo tamen petente plenæ ætatis exiſtente, & infra regnum Angl' & extra priſonam & omnino ſui juris. § 54. Item poterit tenens excipiendo reſpondere quod ſine Rege reſpondere non debet, quia terram illam tenet de dono Regis, in ſerjantia vel alio modo; ſed ad hoc requiritur ut proferat cartam Regis per quam ſi inveniatur quod Rex tenetur ad eſcambium tunc non procedatur ſine Rege. Si autem non contineatur ſed ſalvo jure cujuſlibet non obligando ipſum vel hæredes ſuos ad warantiam, ſtatim procedat aſſiſa; & quod dicitur de carta dici poterit de confirmatione quamvis de dono alterius quam Regis. § 55. Item reſpondere poterit quod terram illam tenet de dono ipſius Anteceſſoris, de cujus morte profertur aſſiſa, & ſi replicetur quod nunquam tamen in vita donatoris habuit inde ſeiſinam, replicare poterit tenens quod licet donum illud imperfectum fuit ab initio, ita quod in vita donatoris ſeiſinam non habuit, validum tamen eſt & perfectum per confirmationem jus habentis. § 56. Item poterit tenens reſpondere & concedere quod hæres ſit, ſed ſeiſinam habere non debet ante tempus; ad quod replicari poterit à petente quod ten'

ten' illud ad tempus remanere non debet ratione legis Angliæ, eo quod prolem de uxore non suscitavit. Et si puerum habuit convictus est tamen ad bastardum, vel mortuus fuit in utero matris, vel natus monstruosus. § 57. Item concedi poterit quod talis Ant' obiit seisitus ut de feodo, hæres tamen nihil capere poterit per assisam quia tenens prius tenuit ad terminum ex conventione & pacto statim post mortem Antecessor' possidere cœpit ad vitam vel in feodo, & quo casu obstabit hæredi petenti exceptio conventionis; & eodem modo dici poterit de terra pignori data, si debitor nulla hora dici pecuniam creditam solverit, vel saltem obtulerit cum tota dies cedat solventi, & quo casu descendit statim jus merum pecunia die statuto non soluta nec oblata Creditori. Item si quis petat per assisam versus aliquem tenentem nomine dotis id quod plus tenet quam ad ipsum pertinet, cadit assisa, quia locum habet admensuratio.

De Impedimentis Assisæ & de Cadit assisa. CAP. 6.

ASsisa autem non jacet si soror petat versus nepotem per assisam filius sororis suæ cui replicando objiciatur quod hæres esse non possit eo quod pater suus villanus fuit. Si nepos respondeat quod ipse liber est & quod hæres legitimus matris suæ & etiam hæres ipsius amitæ petentis, quia ista responsio non omninò spectat ad jus. § 2. Impeditur etiam assisa si mulieri petenti per assisam objiciatur quod sororem habuit de qua sunt pueri superstites, qui tantundem juris habent in re petita quantum & illa. Ad quod si respondeatur quod tales pueri villani sunt & ex villano progeniti, si hoc aliquo modo constiterit remanebit assisa, quia hoc totum pertinet ad jus. § 3. Item impeditur ass' si petenti objiciatur quod pater suus villanus fuit & ipse contra quod lib' & in libero statu obiit & extra potestatem domini sui, qui dñs ejus eum petiit ut servum suum per breve de nativis, & pater ejus petitus in servum perquisivit sibi breve de pace usque ad adventum Justiciariorum ad omnia placita, & sic in pace habita ante adventũ Justiciariorũ obiit in statu libero, & quo casu nisi dominus tenens aliud dicat, procedat assisa. § 4. Item dicere poterit tenens excipiendo quod habet statum suum per quendam finem qui supponit reversionem pro defectu geniture & inde vocare Record'. § 5. Item si frater antenatus filium habuerit vel filiam, nepotem vel neptem, & frater postnatus de morte fratris medii petat per assisam versus extraneam personam, si filius vel alii hæredes ex fratre antenato mortuo producantur, vel aliquo modo constiterit per Juratores quod tales extiterint, cadit assisa, alioquin procedet. § 6. Item cadit assisa si ten' excipiat quod ille qui petit vel alius hær' propinquior alia vice movet ei litem de eadem terra & tunc remisit ei jus quod habuit, vel si hoc fecerit sinè lite, cadit assisa. § 7. Item si docere poterit quod ten' remansit per judicium, redditionem vel concordiam. § 8. Item si ordo agendi non servetur, ut si prius egerit per breve de recto de eodem ten' versus eundem. § 9. Item nec jacet inter fratrem antenatum & postnatum cum postnatus in seisina fuerit, nec è converso de morte fratris medii, sed tantum breve de recto. Item cadit assisa propter confirmationem factam ab eo qui irritari poterit donum & revocare, nisi ipse petens docere possit manifestè,

nifestè, quòd Antecessor suus de cujus morte profert assisam seisitus obiit de terra illa. § 10. Item cadit assisa propter consuetudinem loci, ut in Civitatibus, Burgis & villis de ter' & ten' legatis, eo quod ex consuetudine Burgensium legari poterunt ut catalla sicut dudum fuit Burgens' London' & Oxon' & aliis per Regem & ejus Concilium concessum. § 11. Item in dominicis non jacet assisa inter Sokemannum & Sokemannum, nec inter Sokemannum & dominum suum dum tamen de veteribus dominicis Regis, nec etiam breve aliquod nisi tantum parvum breve de recto clausum. § 12. Item cadit assisa si petatur ten' vel servicium ab eo qui nihil clamat in Ten'. Item idem erit si petatur ten' in dominico ab eo qui nil tenet nisi in servicio & homagio. § 13. Item si partem petat quis in servicio de eo qui nihil tenet nisi in servicio & homagio. § 14. Item si partem petat quis in servicio de eo qui tenet ten' in dominico, vel è converso. Item si petens dicat quod petit illud quod tenens tenet in dominico, & similiter illud quod tenet in servicio, non valebit, quia oportet quemlibet petentem petere eodem modo per omnia, secundum quod Antecessor ejus inde seisitus obiit, hoc est totum in dominico secundum formam brevis. § 15. Item cadit assisa si petens petat per assisam id quod per judicium amisit quia cadit assisa propter exceptionem rei judicatæ, & quo casu agatur si velit de falso judicio. § 16. Item cadit assisa propter incertitudinem, ut si ille qui petierit nesciat Juratoribus rem petitam ostendere vel designare, nec quid nec quantum petierit, nec ubi, vel si tenens dicat quod totam terram non teneat, & unde Jurator' dicant quod nesciunt. § 17. Item remanet assisa propter assisam quæ præteriit inter easdem personas de eodem Ten' & de eadem seisina, quia assisam super assisam capi non debet. § 18. Item cadit assisa propter plurium hæredum conjunctionem qui sunt quasi unus hæres & unum jus habentes sive sint petentes, sive tenentes, sive omnes in brevi non nominentur. Item cadit assisa si placitum dependeat inter easdem partes in Curia Christianitatis super bastardia, aliàs inter eas objecta in Cur' Regis super placito habito de eodem ten'. § 19. Item propter escambium. § 20. Item si tenens dicat quod non tenet nisi precario ad voluntatem talis non nominati in brevi, vel si cognoscat se esse villanum alicujus. § 21. Item si convincatur quod tenens nihil tenet nisi ratione custodiæ talis minoris non nominati: Item petens nihil capiet per assisam cum Juratores ipsum non cognoverint, vel si cognoverint personam nesciunt tamen si sit hæres vel non, vel si sciverint quod sit hæres, nesciunt tamen utrū propinquus vel remotus, quia cum Juratores dubitent nihil probant, & sic deficit probatio quamvis non deficiat. § 22. Si autem Juratores dicant quod habuit talem fratrem antenatum in tali alio Com' manentem, nesciunt tamen utrum sit vivus vel mortuus, tunc ad instantiam petentis solet fieri breve Regis sub testimonio Justic' vic' loci in quo fuerit manens quod venire faceret xxiv. ad recognoscend', &c. usq; in Com' ubi terra fuerit: Si autem dicant quod fratrem habuerit antenatum in partibus transmarinis morantem, tunc comperto per Juratores quod petens propinquior hæres sit post fratrem antenatum de officio Judicis & de æquitate cum de jure non

posset

posſit detur ſeiſina petenti ſub tali tamen conditione,quod ſi frater antenatus vivus redierit vel ejus filius legitimus quod frater poſtnatus qui petit, reſtituat ei ſeiſinam ſine placito, & quo caſu ſemper expelli poterit impune frater poſtnatus vel ejus hær' à fratre antenato ſi redierit vel ejus hærede. § 23. Item cadit aſsiſa per exceptionem ratione adjuncti, ut ſi tenens dicat quod nihil clamat in ten' petito niſi conjunctim cum uxore ſua, quod contingere poterit tripliciter, vel quod inde fuerint ſimul feoffati, & quo caſu oportebit oſtendere cartam, vel quod invenit uxorem ſuam inde ſeiſitam antequam eam deſponſavit, vel quod illud ten' deſcendit uxori ſuæ jure hæreditario poſt deſponſationem. § 24. Item differtur aſsiſa, ut ſi duo petant unum & idem ten' verſus unum tenentē,ad ulteriorem ſeiſin' erit recurrend' & de ultimo ſeiſito, quia duobus ſimul de uno non poteſt quis reſpondere. § 25. Item propter ſeiſinam alicujus hæredis habitam poſt mortem Anteceſſoris cujus ſeiſina petitur, quia ſi hæres cum ſemel ſeiſinā habuerit donationem fecerit, ſi à ſeiſina recurrere poſsit, donationes à ſe rite factas poſsit irritare. Vidend' erit igitur qualis ſeiſina tollit aſsiſam, & quæ non. § 26. Si autem ſeiſina momentanea fuerit quod tenens in tam modico tempore donationes feciſſe non potuit, vel alienationes, vel ſi fortè infra ætatem fuerit, ob quod donationes ab ipſo factæ revocari debent, vel ſi per modicum tempus poſt mortem Anteceſſor' extiterit ſeiſitus per intruſionem Nota. vel diſſeiſinam & poſtea ejectus recenter, vel cum diſſeiſitus recuperaverit verſus ipſum per aſsis' no' diſſeis' non obſtante tali ſeiſina hæres ipſe per aſsis' mor' Ant' recuperabit, quia talis ſeiſina quam prius habuit, convicta eſt ad nullam ſive injurioſam, tum quia parva fuit intruſio, tum quia ea durante nulla facta fuit donatio ab hærede nec alienatio, nec poſſeſsionis mutatio, & in quibus caſibus cum hæres ab hujuſmodi tenera ſeiſina ejectus fuerit, & poſtea petat per aſs' mor' ant' obſtabit ei exceptio ſeiſinæ præhabitæ quod aſsiſam illam demeruerit eo quod ſine judicio propria authoritate ſibi uſurpavit quod per aſsiſam petere debuit; ſed ad hanc exceptionem oportet duo probare, quod in ſeiſina extitit, & quod donationes fecerit dum fuit in ſeiſina, & quod talis extiterit quod donationes ſuæ irritari non debent, alioquin, non valebit exceptio. Et unde ſi hæres hoc negaverit per aſsiſam captam in modum Juratæ poterit verificari. § 27. Si autem objiciatur ſeiſina quam quis habuit dum fuerit infra ætatem,non nocebit quia non obſtante tali ſeiſina ſi infra ætatem donationem fecerit, illam poterit revocare niſi confirmatio intervenerit cum fuerit plenæ ætatis. Et nota quod per aſſiſam mor' ant' vel per breve de ingreſſu, vel per breve de recto poterunt hujuſmodi donationes revocari, per aſs' vero no' diſſ. minime, quia gratis exivit quamvis infra ætatem. Et ſi cuſtos dederit cum hæres fuerit infra ætatem ſuccurritur hæredi per aſsiſam no' diſſ. & habebuntur pro diſſeiſitoribus tam donator quam donatarius, reſervata tamen donatario actione verſus ſuum donatorem de eſcambio recuperando, niſi in tanto ſibi proſpexerit. Et notandum quod ſeiſina præhabita tollit hæredi aſſiſam mor' Ant' cujuſcunque fuerit ætatis ſi fuerit juſta cum ſolummodo competit ei aſs' no' diſs' pro eo quod poſſeſsio conjuncta eſt cum ipſo jure. Si recenter tamen poſt mortē

Antecessoris ejectus fuerit hær' habebit utrumq; secundum quod elegerit quia sese compatiuntur, & nulla illarum aliam excludit de recenti seisina ordine tamen observato, si autem seisina fuerit injuriosa nec tollit assisam quia non facit lib' ten' hæredi ex quo non conjungitur juri, nec valeret conjunctio cum posset seisina revocari, nec etiam juncta nisi jure juncta, igitur cum hæres seisinam Antecessoris sui injustè sibi usurpaverit per disseisinam talis seisina nulla erit; ex quo non facit hæredi lib' ten', & ideo talis seisina præhabita non tollit as' mor' ant' eo quod judicatur ad nullam. § 28. Item cadit as' propter exceptionem villenagii; ut si villanus sub potestate domini sui constitutus terram aliquam adquisiverit pro denar' suis tenend' libere & ita obierit seisitus dum tamen à domino suo ejecta fuerit exceptio, secus verò si de alio, quia villanus dum vixit versus omnes liber fuit præterquam versus dominum suum, competit assisa mor'an' in persona hæredis, si pater ejus quamvis villanus clamans in libertatem extra villenag' domini obiit & in statu libero. § 29. Item cadit assisa propter defectum naturæ vel sensus ipsius tenentis, ut de surdo & muto naturaliter, secus verò de ægritudine, si tarde contigerit. Sed erit differenda quousque status hujusmodi melioretur; Et quod dictum est de surdo & muto dici poterit de furioso secundum quod gavisus fuerit aliquandò dilucidis intervallis vel non. § 30. Item cadit as' propter continuationem seisinæ donatoris, ut si pater dederit filio & simul remanserint in seisina, & filius moriatur vivente patre, si filius & hæres filii mortui petat per as' mor' ant'an non valebit actio propter seisinam patris continuatam qui corpore retinuit simul & animo. § 31. Item cadit assisa ratione jur' & aesneciæ, ut si frater antenatus petentis præmortuus filium reliquerit superstitem non valebit actio petentis. Item cadit assisa propter ordinem brevium non observatum. § 32. Item cadit assisa si tenens teneat de ballio Regis. Si autem tenens cartam Regis habeat per quam Rex teneatur ei ad warrantiam & escambium, cadit assisa, nisi petens docere possit quod Antecessor suus post talis cartæ confectionem inde obierit seisitus. § 33. Datur etiam exceptio tenenti propter minorem ætatem suam sive sint ibi plures tenentes sive unus; & quandoque petit major per as' cont' minorem, & quandoque è converso. Et sicut distinguuntur ætates & personæ, ita Ten' distinguere oportebit, utrum ten' quod petitur teneatur in Sokagio, vel burgagio, vel per servicium militare. Si autem minor petat cont' minorem per as' mor' ant' minor summonitus essoniari non poterit dum tamen de minori ætate petentis constiterit, nec cont' minorem petentem unquam allocabitur essonium; & cum comparuerit tenens, & constiterit ipsum esse minorem differenda erit assisa usque ad ætatem suam tam de burgagio & Sokagio quam de feodo militari. Et cum minor petierit statim capienda erit assisa versus omnes præterquam versus capitalem dñm in cujus fuerit custodia, & etiam versus ipsum si hæreditatem minoris in parte vel in toto alienaverit, vel cum hæredem pro hær' contradicat, & quo casu si talis hær' detineatur, quo minus sequi possit admittatur quilibet conquerens dum tamen parens sit minoris. Si autem minor agat cont' majorem, nec poterit major essoniari, & si major defaltam fecerit non habebit

locum

locum resummonitio sed primo die capiatur assisa, & ideo quia si præsens esset nihil dicere posset quare assisa remaneret. § 34. Si autem cont' minorem petatur tunc videnđ' est qualiter adeptus est seisinam, utrum per disseisinam suam, vel per perquisitum, vel per successionem. § 35. Si autem per successionem, utrum an suus cujus seisinam habet obiit seisitus in dominico suo ut de feodo, vel alio modo, quia si ut de feodo, tunc ante ætatem suam ad assisam non respondebit licet responderet ad ingressum vitiosum. Si autem non in feodo sed ut in vadio vel ad terminum vitæ vel annorum & hujusmodi, vel si ille minor inde feoffatus fuerit, capietur assisa primo die sive venerit sive non, nec habebit locum esson', nec resummonitio. § 36. Cum autem plures sint tenentes & plures petentes per assisam mor' ant' aut omnes sunt infra ætatem, aut quidam illorum aut nullus, & quo casu videnđ' est utrum tenens vel petens participes sint vel extranei, & si participes, utrum divisa sit hæreditas vel indivisa, & sive sit ibi unus hæres ex pluribus petentibus infra ætatem, vel plures vel omnes, non tamen propter minorem ætatem petentium remanebit assisa cum hæreditas fuerit divisa præterquam contra capitalem dñm; sed si unus ex pluribus tenentibus infra ætatem fuerit, & plures vel omnes, & in communi tenuerint, & pro indiviso remanebit ass. usque ad ætatem omnium, eo quod sunt quasi unus hæres & unum jus habentes, & ideo nullus sine alio respondere poterit nisi tenuerint pro diviso, ita quod quilibet sciat partem suam. Si autem plures sint filiæ & hær', & petant per assisam versus capitalem dñm, illæ quæ sunt plenæ ætatis obtinebunt nisi contradictio & dissensus maritagii intervenerint, illæ verò infra ætatem in custodia remanebunt, & cum successivè ætates suas attigerint habeant partes suas per breve de proparte, & non per ass. mor' an' si inter se contendant, & si petierint versus extraneas personas licet infra ætatem fuerint, procedet assisa. Si autem plures sint participes qui teneant, & plures qui petant & secundum quod res petita teneatur in omni pro indiviso vel pro diviso si aliquis eorum in brevi non fuerit nominatus sive petens fuerit sive tenens, quid agend' sit in tali casu inferius dicetur. Si divisa fuerint inter participes non oportebit in brevi nominare nisi tantum illos, qui tenent rem petitam quamvis sine participibus suis respondere teneantur, sed participes per aliud breve summ' sunt ad respondend', & si plures sint tenentes pro indiviso nisi omnes nominentur cadit breve. § 37. Sed quid si unus moriatur cum omnes nominentur in brevi & teneant vel petant in communi licet revera pars morientis per jus accrescendi accrescere debeant superstitibus cum obtineant, cadit tamen breve propter partem morientis quam tenuit cum aliis in communi, & cum cujuslibet ipsorum per hoc quasi ex nova successione augmentetur, alia actione opus erit & nova. § 38. Item dicere poterit tenens quod participem habet sine quo respondere non potest, quod contingit quando hæreditas descendit duabus sororibus vel pluribus vel exitui, & postquam hæreditas partita fuerit, & altera earum de parte sua fuerit implacitata, excipere poterit quod tenet in proparte cum tali de hærede, sine quo respondere non poterit, & quo casu præcipietur quod hæres summoniatur ad respondend' simul cum

ea

ea si voluerit: Et quod dicitur de uno cohærede intelligatur simul de pluribus. § 39. Et si summonitus ad diem illum venerit & respondere voluerit simul cum participe, admittatur, & procedat placitum adversus ipsos tanquam versus unicum tenentem. Et si ad diem sibi datum non venerit, nec essoniatorem miserit, vel ad diem sibi datum per essoniatorem suum non venerit, respondeat tenens solus, & non intelligatur quod hær' exceptio locum habeat quando res petitur per jus quod competeret actori ante mortem communis Antecessoris; quod si quis petat per aliquid jus quod ei competere possit per factum cohæredis sui post participationem hæreditatis eorum manifestum est quod in hoc casu non habebit auxilium sui participis, quia potest esse quod hæres rem suam vendiderit vel escambiaverit quia litigiosam, vel per judicium amiserit, vel per malam defensionem, vel per feloniam forisfecerit antequam cohæres de re litigiosa fuerat implacitatus, § 40. Contingit enim quandoque quod sectæ Cur', jurisdictiones, libertates, servicia & consuetudines veniunt in judicium inter participem querentem & al'um de participibus tenentem ten' ad quod pertinent, & quo casu tenend' est quod si quis tenens habere debeat auxilium participis sui in principali in accessorio habere debet id idem dum tamen accessorium aliud ad annuum proficuum extendi possit, hoc tamen intelligend' est de hiis quæ fuerunt in possessione communis Antecessoris antequam erat partita, & quæ ad unicum hæredem per extentam devenit, & sic excludetur objectio in casu si unus cohæredum injustas levaverit consuetudines de sua injuria propria & exactiones, & quo casu non erit auxilium participis petend'. § 41. Alius autem casus quando tenens dicit quod non potest sine alio respondere, ut cum Rector alicujus Ecclesiæ implacitatus de jure Ecclesiæ suæ dicat quod invenit Ecclesiam suam inde seisitam, & quod non potest sine patrono loci Diœcesano respondere, & quo casu summoniatur. § 42. Item est casus quando tenens per legem Angliæ dicit quod ten' petitum quondam fuit jus talis uxor' suæ de qua procreavit quendam talem filium, ita quod tenet ten' illud tanquam hæreditatem talis filii sui ad terminum vitæ suæ per legem Angliæ sine quò ten' non poterit in judicio deduci, & quo casu summoniatur proprietarius; Sed isti duo casus ultimi differunt à superioribus, quia si tenens in istis duobus ultimis casibus rem petitam amiserit, nullum erit recuperare versus patronum vel hæredem. Sed in superioribus casibus de participibus si tenens amiserit ordine observato recuperabit super cohæredem & processus ulterius non procedet, unam tamen proprietatem habent omnes quod sive hæres, cohæres sive patronus vel hæres fuerit infra ætatem differenda erit loquela usq; ad ætatem: De perquisito tamen vel de propria injuria non poterit hujusmodi auxilium advocari. § 43. Si autem mulier de dote sua fuerit implacitata & petatur ab ea ten' in dominico directè vocare poterit hæredem suum ad warantum tanquam warantum dotis suæ. Si autem jurisdictio vel secta Curiæ vel hujusmodi ten' suo annexum ab ea petatur, tunc non poterit directè vocare, sed dicere oportebit quod non potest sine hærede suo respondere, & quo casu summoniatur hæres. Et in utroq; casu si uxor pro defectu warantiæ vel defensionis hæredis amiserit, recu-

recuperabit mulier escambium quamvis tamen non ad valentiam rei amissæ. § 44. Item excipere poterit tenens de non tenura quæ sic debet proponi: A. dicit quod non potest respondere B. nec satisfacere intentioni suæ secundum formam brevis, quia tunc tesi in brevi comprehensum non tenet sed alius talis tenet inde tantum & talis tantum. Et quo comperto vel non dedicto cassabitur breve; ad quod tamen poterit à petente sic replicari: quamvis enim A. ad præsens totam terram non teneat tenuit tamen tota die quo breve fuit impetrand' & in hoc feodo vel in dominico, vel si alius inde tenuit illam tamen tenuit de A. ad terminum annorum vel in villenagium, vel ad voluntatem, & quo comperto stabit breve. § 45. Ista autem exceptio in brevibus assisarum tantum sibi locum vendicat cum aliis exceptionibus verba brevis tangentibus. Sed si proponatur in aliis brevibus cum effectu, tunc non poterunt aliæ exceptiones ante proponi, sed secundum quod compertum fuerit per eam fiat judicium, & hoc diversimodè, quia in brevibus eschaetæ ingressus formæ donationis consanguinitatis & aliis in quibus non jacet duellum vel magna assi' si inquisitio faciat pro excipiente cassabitur breve & sic erit dilatoria. Si autem pro parte adversâ petens recuperabit; Salva tamen amittenti actione sua super mero jure. Et si in breve de recto proponatur ista exceptio cum effectu adimit utrumq; jus contra quem transierit. § 46. Proponitur autem quandoq; exceptio huic consimilis sic. A. versus quem petuntur xx. dicit quod non tenet nisi x. & quo casu nisi docere possit quis tenuerit residuum, oportebit ipsum respondere de eo quod tenet. § 47. Item excipi poterit sic, Tu petis tantum de morte talis patris tui, & bene cognosco quod obiit seisitus post term' post cujus mortem ego intravi ut filius, nepos vel frater, & sum de eodem sanguine clamans per eundem descensum, & quo casu nisi barstadia objiciatur vel diversitas sanguinis, cassabitur breve & recurretur ad breve de recto absq; tamen duello & magna assisa; & idem erit si tenens vocaverit ad warantum & warantus postquam warantizaverit alium vocaverit ad warantum, & ille alium; & similiter si tenens per legem Angliæ dicat quod nihil clamat nisi ratione hæreditatis hæredis uxor' suæ & hæres postquam summonitus fuerit casset breve per eundem descensum; Si postea perquirat sibi per breve de recto nunquam se poterit tenens de cætero defendere per duellum vel per magnam assisam cum non sit de sanguine petentis, quia ex quo warantus suus aliàs cassavit breve per exceptionem ejusdem descensus de cætero se defendere non poterit in brevi de recto per duellum vel magnam assisam non magis quam faceret ille qui prius cassavit breve si compertus fuerit tenens. § 48. Si autem tenens sic dicat, Tu petis de morte A. qui licet obiit seisitus de re petita, post mortem tamen ejus intravit B. filius ejus, frater vel soror, nepos vel neptis, consanguineus vel consanguinea, avunculs vel amita, ut deficut tu petis per breve quod vult portari de ultimo, seisito & A. de cujus morte petis non fuit ultimo seisitus peto judicium, & quo comperto cassatur breve, verumtamen in casu quo hujusmodi intrans non ingressus fuit ut verus hæres quamvis de consanguinitate ejus non cassabitur breve, eo quod talis potius dici debet

debet intrusor quam tenens. § 49. Item quidam ratione cujusdam prælocutionis feoffamentum de nullius effectu sortiebatur, nisi quædam nuda carta ingreditur ten' post mortem ejus cujus nomine facta fuit carta, quo quidem ejecto per verum hæredem recuperat per assisam no. diss'. Si verus hæres postomodum agat per ass' mor. An. obstabit ei seisina propria ulterior; & si replicetur quod assisa illa adnullata fuit per assisam no. diss. & hoc docere possit, non valebit excipienti sua exceptio. § 50. Item duo cohæredes sunt unius Antecessoris & unus ingreditur totam hæreditatem & ejicitur postmodum, si nomine amborum perquiratur ass' mor. an. & excipiatur quod unus eorum fuit seisitus post mortem ejusdem Antecessoris, non propter hoc cassabitur breve quia cum ambo sint sicut unus hæres unicum jus habentes per factum tamen unius non adnihilabitur jus amborum cum ambo non fuerint seisiti. § 51. Perimit etiam omnino ass' mor. An. objectio feloniæ, ut si pater vel mater vel alius Antecessor de cujus morte locum haberet assisa feloniam fecerit, quia tales nihil promittere possunt ad hæredes suos si fuerit convicta, forisfaciunt enim suos hæred' quicquid eis acciderit tempore feloniæ tam jus videlicet quam seisina simul vel jus merum per se si acciderit sine seisina, & non solum quicquid ei accidit, verumetiam quicquid ei accidere potuit ab aliquo Antecessore, ut ecce, Esto quod filius & hæres in vita patris feloniam fecerit, & obierit in vita patris, licet videatur prima facie quod alii postnati post eum incipiant esse hæredes propinquiores patris communis tamen quia nihil juris vel seisinæ descendit feloni vivente patre communi, tum quia non expectavit quod esset hæres, tamen si contingit filium felonis vel alium hæredem de morte avi vel fratrem felonis de morte communis patris petere cum felo liberos habuerit, vel si patrem supervixerit cum nullus eorum possit esse hæres propinquior nisi ratione juris meri ad ipsum descendentis sive petat per ass' mor. an. sive per breve de recto cadit ab utroq; cum sic fieri debeat descensus computato juris meri ab Antecessore & unde talis fuit seisitus de feodo & jure, & de tali descendit vel descendere debuit tali præmortuo qui feloniam commisit quod esse non poterit § 52. Et unde suus hæres qui feloniam fecerit in vita Patris vel alterius Antecessoris relictis liberis vel post cadit assisa omninò in personis aliorum hæredum petentium per assisam; & idem erit si utlagatus fuerit pro contumacia quamvis postea inlagatus; sed si liberos non habuerit & vivente Patre obierit, tunc succedet frater postnatus patri communi quasi felo nunquam fuisset in rerum natura, eo quod non expectavit quod jus aliquod ei descendit & procedet ass'. § 53. Vertitur autem assisa in Juratam multis de causis & eodem modo quo superius quandoq; enim per modum donationis ubi femina masculo præfertur in successione. § 54. Item vertitur assisa in Juratam ubi quis arrannaverit assisam versus dominum suum, & ipse respondeat quod nihil clamat nisi custodiam, & replicetur contra eum quod custodia ad eum non pertineat, eo quod ten' illud tenet in Socagio, & ex parte domini triplicetur quod ipse & Antecessores sui prius custodiam inde habuerunt, capienda erit inquisitio per assisam in modum Juratæ super utroque casu. Item vertitur assisa in Juratam

Nota.

ratam

ratam propter exceptionem venditionis, ut si quis petat per assisam mort' ant', & excipitur quod petens habuit fratrem antenatum qui habitus fuit pro hærede & seisitus de eadem terra & illam postmodum vendidit ipsi tenenti. Si à petente replicetur quod talis qui donationem fecisse debuit nunquam fuit inde seisitus, vel si fuit seisitus & donationem fecit, donatarius tamen nunquam inde seisinam habuit in vita donatoris, vel quid tale, per assisam in modum Juratæ poterit Cur' certiorari: Et similiter si tenens dicat quod Antecessor de cujus morte profertur assisa remisit & quietum clamavit. § 55. Et eodem modo si petens dicat replicando cont' ipsum qui clamat tenere per legem Angliæ qd' falso clamat eo quod nullos pueros habuit, vel si habuerit convicti fuerunt postea ad bastardos, vel declinaverunt ad monstrum, vel mortui fuerint ante partum vel hum'di: & eodem modo si quæstio status, q'stio ætatis, conventio, conditio, res judicata, finis factus vel hum'di quæ proveniunt extra as' interveniant & proponantur, & unde dissensio fuerit inter partes ubi tenens dicit unum & petens contrarium de consensu partium vertitur as' in Juratam; & sic terminetur negotium. § 56. Item vertitur assisa quandoque in Juratam propter partum suppositum, ut si cum verus hæres fuerit in possessione, & aliquis vel aliqua qui se fecerit hæred' alicujus cum non sit portaverit as' super verũ hæred'; & eodem modo propter ꝑtum adulterinũ, ut si maritus dũ agens fuerit in remotis vel tali infirmitate detentus ꝙ generari non possit, sic aliquis accedens ad uxor̄ de quo p̄gnans extiterit, si maritus talem ꝑtum statim amoverit cum reversus fuerit, & illum pro filio deadvocaverit, ex hoc nascetur vero hæredi exceptio cont' assisam. Si autem talem advocaverit, & aliqua sit præsumptio ꝙ suus esse posset licet revera non sit, ut si simul extiterint, talis pro hær' judicabitur. Si autem advocatio & confessio sua natur' convenire non possit, ut si per unũ an' vel biennium absens fuerit & reversus parvulũ in cunabulo invenerit ex uxore, vel si spado fuerit vel tali infirmitate detentus qd' manifestum sit ꝙ generari non possit, quamvis talē pro hærede advocaverit, veritas tamen p̄ferri debet confessioni quæ naturæ non convenit nec rationi. § 57. Inter conjunctas autem personas locum non habebit assisa sicut inter cohæredes sive sint participes unius hæreditatis & capaces de aliqua hæreditate descendente ab aliquo communi Antecessore sive non capaces. Si autem capaces sint ut si hæreditas partibilis sit ratione plurium personarum sicut filiarum quæ sunt quasi unus hær', vel ratione ipsius hæreditatis quæ in se partibilis est, locum non habebit assisa sed breve de proparte, & si assisa impetretur cadet opposita exceptione meri juris cum quilibet ipsorum sit hæres propinquior quantum ad partem suam respectu eorum qui sunt remotiores & in alio gradu. Si autem plures sint cohæredes justi & propinqui quoad seisinam, omnes tamen non participes vel capaces sed unus eorum propter privilegium quod habet, & in quo casu locum non habebit assisa cum asisa non determinet nisi jus possessorium tantum, sed locum habebit breve de recto tantum, quod jus merũ determinat & seisinam. § 58. Et sicut non jacet inter cohæredes legitimos & naturales & capaces participes, nec inter tales & non participes, ita nec inter legitimos & naturales sicut inter legitimos & bastar-

dos, si fratri naturali objiciatur quod sit bastardus vel etiam villanus cum sciri non possit utrum se probare possint legitimos & liberos vel non, & licet se tales probaverint, non tamen propter hoc se probant hæredes esse propinquiores; Sequitur ergo quod assisa mor' an. proprietatem non poterit dare, necessarium est igitur quod per breve de recto terminetur. § 59. Et si filia de primogenito excipiat cont' fratrem legitimum de secundo viro quod hæres esse non possit cum sit quasi extraneus quoad successionem & hæreditatem maternam quamvis filius naturalis & legitimus matris communis, quia hæreditas materna data fuit in maritagio primo viro cum matre communi & hæredibus de ipsis duobus provenientibus, propter quod hæres esse non possit quamvis frater naturalis & legitimus,& unde si frater petierit versus sororem per ass' mor. an. vel è converso, vel versus extraneam personam, inter eos non jacebit ass' mor. an. cum frater forte docere possit contrarium nisi cum soror existens in seisina excipienda statim habeat probationem ad manum sicut instrumentum donationis vel aliam. Si autem versus extraneam personam filia præfertur fratri cum tali probatione. Si autem probationem non habuerit cadit assisa, & agere oportebit per breve de recto & procedet inter eos magna assisa per hæc verba, utrum ipsa quæ tenens est majus jus habeat in terra illa sicut in illa quæ data fuit in maritagium tali viro primo cum tali matre communi & hæredibus de ipsis duobus venientibus, an talis frater de altero viro qui petit sicut in illa quæ data fuit in maritagium cum tali matre communi & hæredibus ipsius matris, & non terminabitur in narrando sicut fieret inter cohæredes. Et eodem modo fiet si villenagium objiciatur, vel quod petens genitus fuit de testiculo felonis quoad hæreditatem maternam. § 60. Inter cohæredes autem ubi non habet locum ass. mor' antec. nec procedet ubi postnatus talem habuit seisinam ex tempore quod ꝑ seisina sua ejici non possit impunè sine judicio, & quo casu cum per talem seisinam paritatem habeat cum antenato hærede propinquiore quoad possessionem de jure & proprietate agi non poterit nisi per breve de recto, nec procedet ass' mor. an. cum postnatus tantundem juris habeat quoad seisinam quantum habeat antenatus,& in brevi de recto terminabitur negotium in narrando. Sed si postnatus talem longam seisinam non habuit inter præsentes vel longiorem inter absentes secundum quod antenatus agens fuerit in partibus remotis vel remotioribus, sicut in Terra sancta vel alia peregrinatione in partibus transmarinis longè vel longius extra Com',vel in prisona,vel in infirmitate gravi detentus cum venerit & postnatus recenter ejicere non possit benè jacebit ass. mor. an. inter tales sicut inter extraneas personas, quia ex quo postnatus habere non possit liberum ten' ex tempore & longa pacificaq; seisina nunquam paritatem habebit cum antenato quoad jus possessionis, sed erit quasi extraneus quoad ass' mor' an. quia seisina sua nulla est; & idem erit si antenatus cum ingredi non possit statim perquisiverit sibi per breve vel statim apposuerit contentionem, & in quibus casibus interrumpitur possessio postnati, ita quod nunquam paritatem habebit cum antenoto quoad possessionem; & eodem modo observari poterit inter consanguineos si agatur contra eos per

per breve de consanguinitate. Item frater antenatus feoffat fratrem suum medium cum sint tres sine homagio, si talis obierit sine hærede de corpore suo, succedet ei frater antenatus quamvis feoffator, nec refert utrum fuerit tenend' de feoffatore vel de capitali domino feodi vel de alio, & repelletur omninò frater postnatus ab agendo. Et similiter si feoffatus fuerit tenend' sibi & hæred' suis quos habuerit de corpore suo, si sine talibus obierit seisitus, revertatur terra data fratri antenato feoffatori, non tamen ut hæredi sed tanquam eschaeta pro defectu hæredis proprii, licet alios habuerit remotiores, & evanescit homagium si intervenerit. Si autem homagium intervenerit in primo casu, ille tamen primogenitus & feoffator erit hæres ejus propinquior, & repelletur ab agendo tertius frater quia quamdiu antenatus fuerit superstes, vel aliquis hæres de corpore suo genitus, vel hæres hujusmodi geniture, ille semper aliis debet præferri, eò quod jus semper descendit antenato tanquam primo in linea recta invento, & alii quoq; sunt in linea transversali, & cum antenato semper remanebit assisa tanquam in manu capitalis domini donec ab alio petatur per breve de recto. Et cum sit aliquis qui petat sicut frater postnatus vel filius ejus vel filius antenati, tunc non poterit ulterius seisina cum eo remanere pro repugnantia inter dominicum & dominium quæ sese non compatiuntur; homagium enim expellit dominicum, quia nullus simul & semel debet esse dominus & tenens; Veruntamen quandiu antenatus filium habuerit vel filiam nihil juris competit fratri vel hæredi remotiori, sed si inferior hæres antequam antenatus hæredem habuerit de se, seisinam recuperaverit, cum eo imperpetuum remanebit, cessat autem actio fratris vel ejus hæredis quam citius antenatus hæredem sibi procuraverit, dum tamen ante judicium, & sic orietur exceptio antenato per liberos suos, ut fratrem petentem ab agendo repellat, eo quod liberi propinquiores sunt in sanguine & jure quam frater. § 61. Et sicut frater antenatus vel ejus filius præfertur fratri postnato, sic præferri debet fœmina de eodem patre & eâdem matre masculo de eodem patre sed diversa matre; Aliud tamen esset de hæreditate descendente. Si autem frater obierit seisitus de aliqua hæreditate descendente soror de uno patre eademq; matre petens de seisina fratris fratri de altera uxore præferri debet, & hoc ratione ventris. § 62. Exceptio autem bastardiæ petenti vel tenenti in as' mor. an' objecta omnino perimit assisam, & vertit assisam quandoq; in Juratam, quandoq; transmittit cognitionem ad Curiam Christianitatis secundum quod fuerit objecta; Et unde sciendum est quod inter quascunq; personas locum habet assisa vel consanguinitas, inter easdem habet locum exceptio bastardiæ, de eo tamen qui est infra ætatem & tenens non procedat inquisitio super objectione bastardiæ ante ætatem; Secus enim esset si contra petentem objiceretur, quia tunc verteretur assisa in juratâ ad inquirend' si talis petens quamvis infra ætatem natus fuerit ante matrimonium, vel quod pater suus nunquam desponsavit matrem suam, si autem sponsalia non omninò dedicantur à petente tenenti vel è converso in actione mor. an. statim mittatur Episcopo ut inde Regem certificet per literas suas patentes, capta inde diligenti inquisitione in foro Ecclesiastico, & si

bastardia objiciatur utriq; tunc prius inquirend' erit de legitimitate petentis, quia eo legitimitatem non probante remanebit possessio cum tenente, quamvis ipse tenens bastardus sit, & multo fortius si legitimus. § 63. Si autem frater antenatus petat per assisam versus fratrem postnatum de altero viro vel è converso de morte patris ipsorum communis, & antenatus dicat quod ipse præferri debet in successione eò quod primogenitus, & replicetur à postnato quod primogenitus ille hæres esse non possit, eo quod pater suus matrem eorum communem nunquam desponsavit, hoc per assisam in modum juratæ declarabitur. § 64. Item cadit assisa si Juratores dicant in veredicto suo quod petens bastardus sit simpliciter, vel quod natus fuit ante matrimonium, quamvis inde non requisiti quia vacua est petitio. § 65. Cum autem petens per assisam recuperare debeat, non solum
Statut. recuperabit ten' verumetiam dampna per constitutionem Glouc. quæ talis est. In omni assisa mor' an. & in brevibus de consanguinitate de avo & proavo & in omni casu quo quis versus alterum recuperet de sua injuria intrusione & facto adjudicentur dampna.

De assisa de Consanguinitate. CAP. 7.

Cum autem assisa mor. an. infra certos gradus limitetur & de morte certarum personarum locum habeat versus certas personas & ulterius non extenditur; ne semper ad ipsum jus per breve de recto recurratur in subsidium assisæ mor' an. provisa fuerunt quædam brevia quæ hujusmodi assisæ dicuntur esse membra sicut de consanguinitate, de avo avia, ut causam possessionis determinent in gradibus & personis, ad quas assisa se non extendit de omnibus de quibus Antecessor obiit seisitus ut de feodo, & non ut de mero jure, quia in brevibus istis non agitur nisi de possessione tantum ad evitandum dubium eventum duelli & magnæ assisæ per breve de recto quatenus semper as' mor' an. permiserit, & cum loco mor' an' accipi debeant & teneri de seisina Antecessorum merito sequi debent in magna parte naturam illius assisæ cujus loco sumuntur ut in tempore ut tempus sive terminum assisæ nullatenus excedant. In brevi tamen Nuper obiit limitatur tempus sicut in brevi de no. diss': Et similiter in personis ut locum habeant hæc brevia extra terminos assisæ inter easdem personas majores vel minores inter quas locum habet as' infra suos terminos & non infra alias sicut inter conjunctas personas ascendendo usque ad tritavum & ulterius si tempus permiserit, qui omnes dici possunt consanguinei; In brevi tamen de consanguinitate non fit narratio ascensus ultra avum, & tunc habet locum breve de avo & ulterius de proavo, ulterius vero non, nisi breve de Recto quod ultimum est remedium omnium remediorum. § 2. Natura autem brevis de consanguinitate talis est quod semper habet fieri ut cognoscatur uterq; descensus, rectus scilicet & obliquus: Rectus autem est de patre in filio, & filio in filium, & sic inferius, vel de filio in patrem & de prate in avum, & sic superius ascendendo. Obliquus vero talis est, ut quando aliquis petit breve de seisina fratris sui vel avunculi vel amitæ vel filii avunculi vel fratris avunculi vel alterius consanguinei, vel etiam

etiam de seisina remotarum personarum collateralium in parentela. § 3. Post essonia verò in brevibus impetratis proponat petens intentionem suam hoc modo. A. petit versus B. tantam terram cum pertinentiis in tali villa ut jus suum, & tunc fundet intentionem suam sic. Et unde talis C. nomine Antecessor', & consanguineus Avus cujus hæres ipse est fuit seisitus in dominico suo ut de feodo,& de ipso tali descendit jus prædictæ terræ cuidam tali filio & hæredi, & sic deinceps per omnia sicut per breve de recto usque ad illum qui petit, & quod tale sit jus suum,& quod Antecessor ejus sic fuit seisitus offert, &c. Et quamvis actio in brevi de Nuper obiit quæ dicitur actio mixta non sit nisi de feodo & dominico, duabus tamen rationibus per feodum dominicum & jus habent narrari. § 4. Pro possessione autem participis alienum jus tenentis oportebit ipsum petentem qui se facit participem eandem rationem & idem jus prætendere & habere, quale habet ipse possessor, & alia subest ratio. Petente namque narrante de seisina sui Antecessoris qui nuper obiit tanquam de feodo, & de jure tenens illud jus defendere vel dedicere non poterit impunè dum tamen participes sint.

De Exceptionibus. CAP. 8.

ET cum tenentes in prædictis tribus brevibus jus & seisinam suam per verba competentia defenderint excipere poterunt vel visum petere,vel vocare ad warantum, sed in brevi de nuper obiit non poterunt tenentes vocare ad warantum, non habebit locum visus terræ. Dicere enim poterit tenens excipiendo in tribus brevibus quod petens non debet responderi , eò quod ipse sunt de eodem stipite à quo descendit hæreditas petita procreati, ita quod hujusmodi brevia quæ sunt de possessione non magis locum habent quam assisa. Et unde cum pares sint in jure possessorio non tenetur ei respondere propter juris paritatem. Et si antenatus dicat se propinquiorem, & nemo poterit esse hæres propinquior nisi ratione juris meri quod ei descendit quod nullum breve de possessione terminare poterit, ideo de necessitate cadit breve de possessione inter conjunctas personas & terminabitur negotium per breve de recte, nullo tamen interveniente duello vel magna assisa. § 2. Ad quam sic poterit in suo casu replicari , quod tenens non est in seisina ut hæres Antecessoris communis sed per donatiodem sibi factam à communi Antecessore vel alio , quod donatio insufficiens est quia talis nunquam seisinam habuit in vita Donatoris quia Donator obiit indè seisitus ut de feodo. § 3. Item dici poterit quod ille qui in seisina est non est cohæres quamvis filius legitimus propter coartationem hæredum, quia terra petita data fuit in maritagium cum matre petentis talis viro & hær' eorum communibus & tenens est de altero viro genitus licet de eadem matre,& quo casu cohæres esse non poterit, nisi propinquus & remotus propter coartationem hæredum ; Et ista exceptio locum habere poterit in Nuper obiit. § 4. Exceptiones autem quæ locum habent in assisis mor. an. locum habent in brevibus de Consanguinitate avo & proavo sicut de felonia,de eodem descensu,de termino, de statu personæ,de ultimo

ultimo seisito. Sed ad hoc quod hæc exceptio valeat oportebit dicere quod fuit seisitus sicut hæres & de eodem sanguine, & quod per medium ipsius poterit hæreditas descendere petenti, & ista exceptio naturaliter tribuitur extraneo & clamari per eundem descensum privato. § 5. Si autem sic excipiatur quod petens bastardus sit vel villanus in omnibus brevibus, cadit breve sicut caderet assisa. Talis enim objectio ad jus tantum pertinet, & unde si ille cui objicitur se possit probare legitimum vel liberum sic terminabitur negotium tam super ipso jure quam super possessione. § 6. Item dicere poterit quod talis Antecessor non obiit seisitus, vel si obiit seisitus non tamen ut de feodo, vel si de feodo petens tamen non est in tali gradu vel linea quod aliquid ei descendere debeat ratione alicujus propinquitatis, quia natus est ex fratre talis Antecessoris postnato. § 6. Cum autem tres sint fratres & medius petat versus postnatum & postnatus vel extraneus respondeat excipiendo quod non tenetur ei respondere, eo quod quamvis ipse sit hæres propinquus propinquior tamen habetur superstes per quod ad ipsum non pertinet actio, & quo casu admittatur verificatio si petens voluerit, alioquin denegetur ei actio secundum istam constitutionem. Statutum est quod in brevibus de Consanguinitate avo & proavo si excipiatur quod petens non sit hæres propinquior admittatur responsio, & inquiratur indè veritas, si petens hoc expectare voluerit, & secundum Inquisitionem procedatur ad judicium, & apud Glouc' provisum fuit quod si hær' infra ætatem petat seisinam consanguinei avi sui vel proavi, & excipiatur cont' eum taliter quod inquisitio consideretur, procedat inquisitio non obstante hujusmodi ætate. § 7. Assisa autem cum consanguinitate convinci poterit & per unicum breve terminari, ut si soror de morte petat & seisina patris vel matris & nepos vel neptis ex sorore vel alterius petant de morte & seisina avi vel proavi; vel ulterius sic. Si A. pater vel mater B. & avus vel avia, proavus vel proavia C. cujus hæredes ipsi B. & C. sunt fuit seisitus. § 8. Inter cætera autem dispiciendum est an brevia de consanguinitate avo vel proavo possint per narrationem verti in naturam recti vel è converso; Sicut accidit de brevi de ingressu, nam in omni narratione in qua adjicitur hoc verbum (de jure) statim ingreditur per hoc probatio, per hoc enim quod dicit quis quod talis seisitus obiit in dominico suo ut de feodo deducit in judicium totum jus possessionis, & per hoc quod addit de jure deducit in judicium jus proprietatis, & sic per consequens duo jura. Solutio: hæc autem brevia nihil determinare poterunt nisi jus possessionis, & si petens in narratione sua procedat ad jus merum ad quod natura brevis de possessione se non extendit non magis quam assisa mor. an. per hoc merito cadit breve pro vicio narrationis nisi hoc de voluntate tenentis eveniat; nunquam enim vertitur causa possessionis in causam proprietatis nisi ex voluntate tenentis. § 9. Poterit enim quis habere liberum tenementum sine usu & expleciis, & unde si quis ejectus fuerit de tali seisina per assisam no. diss' petierit restitui nihil aliud dicit in intentione sua, nisi quod disseisitus est de libero ten̄ suo; Et eodem modo si seisinam petat Antecessoris sui per ass' mor. an. nihil aliud dicit nisi quod antecessor suus fuit indè seisitus in dominico

Statutum.

dominico suo ut de feodo die quo obiit, & unde si mentionem faceret de expleciis captis ut de jure mero, sic dicendo ad assisam no' diss. de lib' ten' meo unde fui seisitus ut de lib' ten' ut de jure capiendo indè explecia ad valenc',&c.sic caderet breve; videtur igitur & verum est qd' jus possessorium stare potest sine mentione facienda de usu & expleciis, quæ tamen si venerint magis prodesse debent quam nocere cum vestimenta præbeant possessionem & jus possessorum declarent. Breve verò de recto nunquam vertitur per narrationem ad breve proditum super possessione, & sic relinquitur quod nulla istarum actionum in aliam vertitur per narrationem. In jure tamen proprietatis vertitur quandoque breve de ingressu in brevi de recto per narrationem & è converso, sed non nisi de voluntate tenentis.

De Actione mixta. CAP. 9.

EST autem quædam actio quæ dicitur mixta quæ datur tam in rem quā in personam, sicut actio de communi dividendo ubi uterque actor & uterque reus, & ubi sine affinitate & parentela habent aliquæ extraneæ personæ rem aliquam dividendam quæ inter eas jacet in communi sicut vicini & non extranei. § 2. Est & alia actio mixta quæ dicitur actio familiæ herciscundiæ, & locum inter eos habet qui communem habent hæreditatem dividendam, sed duæ actiones non statim nascuntur cum hæreditas vel alia res in communi contineatur, sed ex eo tempore quo quis eorum velit rem dividere, & locum habet inter cohæredes ubi agitur de proparte sororum, vel inter alios ubi agitur de proparte sororum, vel inter alios ubi res inter participes & cohæredes dividetur, sicut sunt plures fratres vel sorores qui sunt unus hæres ratione rei quæ divisibilis est inter plures masculos, & ubi quilibet eorum est actor & quilibet reus, & ideo dicitur hæc actio mixta, & in hoc casu dicitur quilibet actor qui primò provocaverit ad judicium. Et in hiis duobus casibus cum particeps vel cohæres partem suam petierit rationabilem & versus suos participes & cohæredes, & illi defaltam fecerint, capienda erit terra in manum Regis de communi in hæreditate pro ea parte quæ contingit petentem, & ideo erit districtio in hoc casu realis & non personalis. § 3. Est etiam tertia actio de finibus agrorum inter vicinos terminandis & diffiniendis quæ dicitur actio finium regundorum. quæ idem est quod Rex præcipiat quod rationales divisæ fiant inter vicinos, & hæc est valdè subtilis inter alias & ubi pro defectu ejus qui non queritur debet pars illa de qua contentio est capi in manum Regis. § 4. Est etiam alia actio quæ dicitur duplex, ubi scilicet duæ concurrent actiones; primo videlicet in personam & postea in rem. In personam, ut cum quis summonitus sit ad respondendum quo waranto tenet aliquam libertatem vel aliam rem. In rem cum postea addatur in fine quam Rex clamat ut jus & hæreditatem vel escaetam suam; vel de antiquo dominico Coronæ suæ vel hujusmodi, vel quam talis clamat in N. contra Coronam & dignitatem Regis, licet utraque actio inutilis sit per se si subtiliter inspiciatur quoad seisinam consequendam; si tenens tamen defaltam fecerit locum habebit districtio ad utrumlibet, sed quia illa districtio tenenda est quæ magis ligat,

eligere debeant, primogenitus primam habebit electionem & postnatus statim post eum, & tunc ulterius, & sic gradatim descendendo; & si plures sint cohæredes quam mesuagia capitalia tunc de communi hæreditate fiat ex parte ad valentiam. Si autem aliquod capitale mesuagium remaneat hoc proportionaliter inter eos dividatur nisi consenserint quod totum uni remaneat, ita quod aliis satisfaciat proportionaliter ad valentiam. § 15. Si autem liberSokemannus moriatur pluribus hæredibus participibus relictis, si hæreditas sit partibilis & ab antiquo divisa, tunc habeant hæredes quotquot fuerint, partes suas æquales. Et si unicum fuerit mesuagium hoc integrè remaneat primogenito, ita tamen quod alii habeant ad valentiam de communi. Si autem non fuerit hæreditas divisa ab antiquo, tunc remaneat totum primogenito. Et si fuerit [mesu]agium villanum, fiat secundum loci consuetudinem. Est enim consuetudo in quibusdam partibus quod postnatus præfertur primogenito, & in quibusdam contrarium. § 16. Cum autem liberum tenementum teneatur per servicium militare, & plures sint cohæredes & non nisi unicum capitale mesuagium inter hæred' dividatur secundum quod wallatur fossato vel haia & secundum quod includitur vivariis & gardinis, ita tamen quod facta partitione, & primogenitus vel postgenitus electionem habeat propter æsneciæ prærogativam, nisi mesuagium illud sit caput Com' vel Baroniæ sicut castrum vel aliud ædificium propter jus gladii quod dividi non debet. Non enim debent sic capita Com' & Baroniarum dividi per particulas, quod jura eorum per hujusmodi divisiones adnihilentur per quod deficiat regnum quod ex Com' & Baroniis dicitur esse constitutum. Si autem plura sunt ædificia Baroniarum vel Com' capita illa dividi possunt inter cohæredes salvo jure aesneciæ, eò quod jura gladiorum integra conservantur quod non erit in uno. § 17. Si autem non sit nisi unicum castrum illud integrè remaneat primogenito, ita tamen quod postnata pro parte sua satisfaciat alibi ad valentiam uni vel pluribus secundum numerum cohæredum. Si autem plura sint castra primogenitus habeat electionem sicut de capitali mesuagio. § 18. Dividitur autem quandoq; aula in duas partes vel plures, quandoq; autem dividitur aula à camera, & sic de domibus pluribus in Cur' existentibus. § 19. Uxor autem post mortem viri sui nihil capiet in assignatione dotis suæ de capitali mesuagio cum hæred' uno vel pluribus ubi non fuerit nisi unicum capitale, sed habebit electionem de uno mesuagio quod tenetur in villenagio,& si nullum tale fuerit assignatum ei loco Cur' ad valentiam tertiæ partis capitalis mesuagii in latum & longum quod ædificetur de communi, & hoc erit ubi dotata fuerit de tertia parte. § 20. De Advocatione autem Ecclesiarum ratione suæ tertiæ partis nihil capiet nisi dotata fuerit de aliquo manerio integro cum pertinen̄ in villa facta exceptione, vel nisi in constitutione dotis adjuncta fuerit specialiter advocatio suæ tertiæ partis. § 21. Jura autem in divisionem veniunt & unum sicut plura, non tamen dividuntur,quod divisionem non recipiunt, sicut sunt advocationes Ecclesiarum & servitutes prædiorum. Plures enim advocationes dividi possunt inter plures cohæredes, & quodlibet jus poterit esse integrum, & per se ex quo diversa; unica

autem advocatio dividi non poteſt quamvis Eccleſia quæ eſt quaſi ſubjectum ratione diverſarum Baroniarum ab antiquitate dividi poſſit. § 22. Cum autem unica ſit advocatio & unum jus & plures cohæredes quaſi unum corpus propter unitatem juris quod habent & Eccleſia vacaverit, nullus in præſentatione aeſnyciæ alterius præferetur, nec ſine communi conſenſu poterunt ſucceſſivè præſentare, nec omnes dum unus reclamet; oportet ergo quod in præſentatione conveniant quia ſi infra ſex menſes in unum clericum non convenerint extunc ad Ordinarium loci ſpectabit collatio. § 23. Si autem ſervitutes à fundo diviſo, à fundo vicino debeantur, partitio ſervitutes minuere non debet nec mutare. Si autem ſervitus debeatur à fundo vicino qui dividitur, una tamen erit ſervitus quantum ad fundum qui debet ad ſervitutem. Plures enim erunt [illegible]tes quam ad fundum cui debentur propter plures particulas, & plura erunt ibi jura integra, & quilibet uti poterit per ſe ſimul vel ſucceſſivè dum tamen mod' debitum non excedant quod fundus unicus in quo conſtituta eſt ſervitus plus debito non oneretur. § 24. Sunt etiam aliæ res hæreditariæ quæ veniunt in partitionem quæ cum commodè dividi non poſſunt uni concedantur; Ita quod alii cohæredes alibi de communi hæreditate habeant ad valorem, ſicut ſunt vivaria, Piſcariæ, parci, & hujuſmodi, vel ſaltem quod partem habeant, ſicut ſecundum tertium vel quartum piſcem, vel ſecundum tractum tertium, vel quartum ſecundùm numerum cohæredum, & ita de parcis ſecundam, tertiam vel quartam beſtiam. § 25. Item cadit in partem terra prius data in maritagium alicui ſororum & cohæredum, nec eſt terra ſic data prædeducenda quia aut maritagium conferat vel ſine parte recedat, & ſi maritagium excedat partem habituram, fiat admenſuratio ſive ſit hæreditas deſcendens à patre vel matre ſive per perquiſitum. Et illud idem erit ſi mater dederit uni ex filiabus ſuis in legitima viduitate ſua totum maritagium ſuum. Si autem pater vel mater vel uterque, totam hæreditatem dederint uni in maritagium, illa non cadet in partem quia nihil remanet inter cohæredes dividend'. § 26. Et ſimiliter de feoffam' puro. Si autem cum homagiũ intervenerit poſt tertium vel ante fiat partitio, adhuc cadet maritagium in ꝑtem; Et computato ei qui tenet maritagio ſuo ꝓpter homagiũ ꝑficiatur ei ꝙ defuerit de hæreditate communi. Si autem particeps feoffatus pro ſervicio tantum ſine homagio, vel pro homagio & ſervicio tenend' de domino capitali, vel ſi fiat donatio viro & uxori ſimul & mentio habeatur de maritagio adhuc cadet in ꝑtem, ſecus vero tenendi de donatore ꝓ homagio nulla facta mentione de maritagio. Et idem erit ſi pura fiat donatio extraneæ perſonæ quæ poſt feoffamentum unam participum ducat in uxorem. § 27. Si autem filia primogenita relicto hærede nepote vel nepte in vita patris vel matris à quibus hæreditas deſcendit deceſſerit, p̃ferenda erit ſoror antenata nepoti vel nepti ex filia primogenita quantum ad aeſneciam quia mortem parentum non expectavit. § 28. Serjantiæ verò Reg' dividi non debent ne cogatur Rex hujuſmodi ſervicia ſua recipere per particulas. § 29. Facta autem ut prædictum eſt partitione & per ſortem aſſignatione adita hæreditate, omnia jura hæreditaria ad hæredes tranſeunt ex civili aditione, poſſeſſio tamen niſi

natura-

tensores de consensu partium eligantur.ad extensionem & appreciationem faciendam, tunc fiat breve extensoribus electis quod extensionem illam faciant. Et tunc mandetur vic' quod ad prædictos diem & locum occurrat ad sacramentum eorum capiend', & quod vocari faciat quos ad hoc viderit esse vocandos, & per quorum sacramentum iidem extensores poterunt subveniri. § 8. Item quamvis fiat partitio causari tamen poterit à parte perti quod minus benè facta est, & quo casu constituantur Justic' propter præsumptionem extensorum quod assumpto secum vic' statim accedant ad omnes terras, & convocatis coram eis convocandis extensionem faciant. § 9. Facta extensione statim dividantur ten' tanquam in æquales partes, & tunc mittatur sors super partes, & sic fiat partitio; salva tamen primogenitæ aesnecia sua. Et si portio unius in una villa minor fuerit portione alterius in alia villa, ei qui minus habuerit id quod defuerit perficiatur alibi in loco competenti de portione ejus quæ plus habuerit; Et quandoq; fit Vic' tale breve. Rex Vic' salutem. Scias quod reddidimus A. ad opus filiarum & hæredum B. quarum custodiam idem A. habet per finem quem fecit nobiscum custodiam medietatis omnium terr' & ten' cum pertinentiis quæ fuerunt C. in ballivia tua ut rationabilem portionem prædictarum terrarum & ten' dictarum filiarum quæ eas contingit de hæreditate ipsius C. & unde D. quæ habet aliam medietatem terrarum earundem quæ fuerunt ejusdem C. est particeps earum de prædicta hæreditate, & unde convenit in Curia nostra coram justiciariis nostris apud Westm' inter prædictos D. & A. quod omnes terræ illæ cum omnibus suis pertinentiis quæ fuerunt ipsius C. extendantur & apprecientur & postea inter eos dividentur, salva tamen eidem D. aesnecia sua. Et cũ terræ illæ extensæ fuerint & appreciatæ quod idem D. habeat partẽ suã per se sine parte quã idem A. habet cum eo, & ita quod omnes terræ cũ omnibus suis pertinentiis quas prædictus D. prius dedit de terr' quæ fuerunt pd' C. computentur eidẽ D. in prate sua secundũ valorem illarũ terrarum datarũ. Et etiam quod cum medietas predictarũ terr' assignata fuerit eidẽ A. facias habere eidẽ D. de medietate quam recuperat ad opus prædictarũ filiarũ tantundẽ terræ in loco competenti. Et ideò tibi præcipimus quod assumptis tecum discretis & legalibus tam militibus quam aliis de ballivia tua per quos extensionem, apprecationem & partitionem illam melius facere poteris in propria persona tua accedas ad talem lôcum tali die & per sacramentum illorum terras illas cum pertinentiis in omnibus rebus extendi & appreciari fac' & unicuiq; ipsorum A. & D. partem suam habere fac', & assignare, salva eidem D. ut prædictum est aesnecia sua, & salvo eidem D. tanto terræ de medietate ipsius A. per eandem extensionem per quam idem A. recuperavit. § 10. Præcipimus etiam tibi quod de exitibus medietatis ejusdem terræ quam cepisti in man' nostrum per præceptum nostrum & quæ inde provenerunt dum fuit in manu nostra habere fac' unicuiq; ipsorum secundum partem suam quam habuerit per prædictam partitionem; & sive prædicti A. & D. venerint sive non, propter absentiam tamen ipsorum non remaneat quin terræ illæ extendantur, apprecientur & dividantur modo quo prædictum est. Et plura alia fiunt brevia vic' de seisina cum judicata fuerit per

precariam. § 4. In hoc autem brevi jacet petitio visus & vocatio ad warantum & parvum Cape sicut in placito terræ & magna assisa.

De Assisa ultima præsentationis CAP. 11.

EX statuto Magnæ Cartæ habetur quod assisa ultimæ præsentationis semper capiatur in banco & ibi terminetur; Cum quis igitur præsentaverit ad aliquam Ecclesiam vacantem ad quam ipse vel Antecessores sui præsentaverint tempore pacis cum propriam seisinam habere debeat quis vel sui Antecessoris qui ultimè præsentaverit, nisi ille qui deforciat vel impediat docere possit rationibus certis quare non debeat, quod quidem deduci & determinari poterit per assisam ultimæ præsentationis utraque parte vel altera tantum id in Cur' Reg' postulante. Ideo primo videnď est cui competat hujusmodi assisa eò quòd cuilibet de populo nisi ei qui semel nomine suo præsentaverit vel hæres ratione successionis de seisina propria vel alicujus Antecessoris sui cui jure hæreditario succedet ad quem pertinet advocatio. Et quod dicitur de uno dici poterit de altero vel de pluribus & cont' plures cum sint quasi unus hæres, quia sine participe vel cohærede assisam portare non poterit vel respondere non magis quam in aliis assisis, & si plures participes per assisam recuperaverint nullus sine alio præsentabit nec ratione aesneciæ, nec majoritatis, nec pluralitatis, quia omnes communicant aut nullus. § 2. Aliis autem qui tenent per feoffamentum & non per descensum nunquam competit antequam præsentaverit, quia de seisina eorum quorum hæredes non sunt petere non poterunt per assisam non magis quam per breve de recto. Item nec ei qui tenet ad vitam quocunque modo & non per descensum sicut nomine dotis vel ad terminum. § 3. Per hoc autem quod dicitur in brevi ultimæ præsentationis deforciat, videtur quibusdam quod querens innuat per quod deforcians sit in seisina sicut in brevi de recto, sed revera non est ita. Satis tamen deforciat qui possessorem uti de seisina non permiserit omninò vel minus commodè præsentando, impetrando, appellando secundùm quod dicitur de disseisitore quod satisfacit disseisinam qui uti non permiserit possessorem vel minus commode licet omninò non expellat. § 4. Ad primum verò diem poterit uterque essoniari; & si ambo fecerint defaltam vacuum erit placitum & cadit breve. Si autem impediens tantum se proferat per judicium sine die recedet; & si querens tantum præsens sit in Cur', tunc videnď erit si summonitus sit vel non: Si autem summonitus fuerit & summonitio testata per idoneos summonitores qui examinati testentur summonitionem, tunc resummoniatur impediens; si autem non fuerit summonitus vel si præsens fuit primo die & causatus fuerit quod nullam omninò habuit summonitionem vel minus rationabilem habeat diem. § 5. Cum autem ad diem rationabilem resummonitionis venerit causari non poterit summonitio quin procedat assisa sive testetur prima summonitio sive secunda sive nulla; cum diem habuerit rationabilem & sciverit se esse summonitum vel scire debuit. Si autem non venerit, tunc capiatur assisa per defaltam si Juratores præsentes fuerint, & si non

non fuerint præsentes tunc præcipiatur vic' quod habeat corpora eorum ad alium diem: Ad quem sive venerit sive non, ante omnia capiatur assisa cum tantum operetur ejus absentia quam præsentia cum nihil dicere possit in odium defaltæ quare assisa remaneat nisi forte ad certificand' Jurator', si cartam habeat una pars vel aliquid tale intervenerit. § 6. Si autem deforcians se fecerit primo die essoniari & diem habuerit per essoniatorem suum ad quem non comparuerit, statim capiatur assisa per defaltam nec jacebit resummonitio. § 7. Ex præmissis satis apparet quando & quotiescunque assisa capi debeat extra Com', cor' Justic' autem itinerantibus vel coram Justic' specialiter nominatis in clausula de Nisi prius cum venerint ad inquisitionem capiendam in Com' non habebit locum resummonitio vel esson' vel aliqua dilatio. § 8. Item contra minorem non jacebit resummonitio nec esson' cum tantum operetur ten' absentia quam præsentia. § 9. Item propter contumaciam non jacet resummonitio, ut si tenens vel impediens ad diem summonitionis comparuerit & contumaciter recesserit postquam visus fuerit à Justic' in Cur' qui recordum habent, statim capiatur assisa sine resummonitione. § 10. In omni autem assisa præterquam in assisa no' disseisinæ primo die jacet esson' vel resummonitio, sed ad alium diē post essoñ non jacebit resummonitio nec esson' post resummon'tionem, sed statim capiatur assisa per defaltam, nec petenti nec deforcianti allocetur esson' in brevibus assisarum postquam semel comparuerit. § 11. Si autem post summonitionem & resumm' & esson' non venerit deforcians, vel cum venerit respondere noluerit vel contumaciter recesserit, capiatur assisa versus eum per defaltam quia absentia ejus habebitur pro præsentia, & si alius daretur ei dies præcluderetur ei una dicendi cont' assisam quare remaneret. § 12. Item cum præsens fuerit & concesserit assisam simpliciter, vel si aliquid dixerit contra assisam nisi dixerit quare remaneret, procedet assisa. Si Juratores præsentes fuerint etsi non detur partibus alius dies ad quem capiatur assisa sive reus venerit sive non. Nec poterit deforcians vocare warantū cum assisa generaliter faciat pro quolibet qui jus habet præsentandi.

De Juratoribus Assisæ. CAP. 12.

Cum autem Juratores præsentes fuerint nec sit aliquid quod excipi possit cont' illos, jurare debent hoc modo. Hoc auditis Justic' quod veritatem dicam de assisa ista, & de Ecclesia vel capella unde visum feci per præceptum Regis, & pro nihilo dimittam. § 2. Cum autem juraverint audire debent formā brevis, & Justiciar' eos instruere debet quantum ei sit licitum & prædicere eis quod sibi provideant de veritate dicenda propter absentiam deforciantis qui si præsens esset possit eos forte in multis certiorare. § 3. Habito igitur inter eos tractatu & deliberatione cum venerint cor' Justiciar' ad veredictum pronunciand' dicere poterunt super sacrarum suum quod talis querens præsentavit ultimam personam quæ mortua est ad prædictam Ecclesiam & tempore pacis, scil. talem nomine qui ultimus obiit persona in eadem Ecclesia, & qui admissus fuit ad suam præsentationem

naturaliter fuerit apprehensa sicut animo & corpore proprio vel quasi sicut procuratoris prius ad ipsos non pertinebit. Et unde cum in Cur' Regis facta fuerit partitio statim habeant breve ad vic' de seisina sua habenda secundum formam processus concordiæ & judicii. § 30. Et cum unus ex pluribus participibus sine hærede de corpore suo moriatur facta partitione ejus portio accrescit superstitibus per jus accrescendi. § 31. Cum autem unus participū & cohær' deforciatus fuerit de tota hær' vel de portione ipsum inde contingente per suos cohær' participes, tunc succurritur ei per breve de proparte versus suos participes deforciatores, quia assisa mor' ant' locum non habet. § 32. Hæc quidem actio & non alia jus & proprietatem inter cohæredes distinguit & determinat, quia ad quemlibet participum statim & in momento post mortem Antec' descendit jus merum, quod non est in casu quo unus aliis in successione hæreditatis est præferendus; & cum plures sint qui teneant in tali actione mixta sive unus petat sive plures, nullus tamen eorum qui tenentes sunt sine aliis respondebit propter contributionem. § 33. Si autem plures sint qui petant versus participes quilibet petere debet per se & non in communi cum participe suo petente, quia nullus eorum petit nisi rationabilem partem suam. § 34. Impetrato igitur brevi & facta summonitione legitima si tenens defaltam fecerit licet hæc actio tam in personam sit quam in rem, nullum tamen fiat attachiamentum de persona quamvis ratione actionis mixtæ hoc fieri posset, sed capiatur terra in manum Regis per magnum Cape. § 35. Si autem unus particeps pluribus participibus suis partes ipsos contingentes deforciat vel plures uni, tunc impetrato brevi cum visus non jaceat nec vocatio ad warantum, poterit tenens sic excipere, quam plures sunt parcennarii qui nominantur in brevi, & quo casu cadit breve. § 36. Item contra actionem habent locum objectiones feloniæ, bastardiæ, quæstio status & quietæ clamantiæ. § 37. Item dicere poterit quod non clamat sicut particeps sed sicut extraneus quia feoffatus pro homagio & servicio. § 38. Item dicere poterit quod terra non sit partibilis. § 39. Item quod petens jus non habet in agendo, quia non est de sanguine, vel quia exclusus fuit in quadam donatione facta alicui cum aliqua & hæredibus coartatis. § 40. Si autem unus pluribus partes suas deforciat ac quidam remissi sint & negligentes ad partes suas petendas vigilantibus tamen non præjudicabitur, sed oportet eos impetrare simul nominibus omnium cohæredum dormientium partes suas non habentium ut tunc prosequatur quia voluerit, ultra terminum autem assisæ no' disseisinæ præcluditur dormientibus remedium per hoc breve, succurritur igitur eis per breve de recto de rationabili parte, eo quod hæc dictio nuper obiit ad tam longissimum tempus se non extendit, sed potius supponit tempus transactum recenter. § 41. Cum autem alicui facta fuerit donatio à communi Antecessore hujusmodi cohæredum, & talis indè inquietetur, non solum vocabit ad warantum unum participem sed omnes, alioquin frivola erit vocatio, inutilis & vana. Injustum autem esset si unus cohæredum faceret escambium nisi alii contribuerent, eo quod tunc non remaneret ei pars sua rationabilis, quod esse non debet. § 42. Breve

ve

tionem, vel dicere poterit contrarium quod talis talem non præsentavit neque alium sed alius talis illum præsentavit. § 4. Item dicere poterunt omnes rationes quare præsentatio non pertineat ad querentem quas quidem ille deforcians proponere posset si præsens esset & ostendere quare injuste non deforciaret, ut si post præsentationem illam de qua agitur ille querens vel Antecessor suus qui præsentavit post præsentationem illam advocationem illam dederit per se, vel ten' ad quod pertinet advocatio dedit cum omnibus pertinen' suis sine aliqua retentione in feodo vel donec providerit ad vitam vel ad terminum. § 5. Item non sufficit Juratoribus dicere quod talis vel antecessor suus injuste præsentaverit nisi doceant quod deforcians injuste præsentationem illam deforciaverit. § 6. Item nec sufficit quod injuste nisi doceat quod ei deforciata sit ad hoc quod ipse qui queritur aliquid capiat per assisam, licet hoc aliis prodesse poterit qui jus habent, quia omnes articuli in brevi contenti possunt esse veri: verumtamen inquirere oportet utrum deforcians juste deforciaverit vel injuste, & similiter si ad querentem pertineat querela. § 7. Item dicere poterunt ꝙ nihil omnino sciunt quis præsentavit illum qui ultimo obiit persona. Et si nihil certitudinis dicere sciant de eo, tunc de necessitate recurrend' erit ad seisinam alterius personæ ante eum, ut aliqua certitudo habeatur de præsentatione & præsentata. Et si de tali certitudo haberi non poterit, adhuc recurratur ad superiores, quatenus cursus temporis hoc permiserit quoad assisam. Et cum ulterius procedi non possit tunc demum recurratur ad proprietatem & ad breve de recto, ut per hoc terminetur proprietas & assisa.. § 8. Item si Juratores dubitaverint utrum talis vel Antecessor suus præsentaverit vel alius vel quis, querens nihil per hoc consequetur quasi probatione sua deficiente. § 9. Quia quotiescunque dubitatur an quid sit perinde ac si non esset illud. Idem erit et si personam querentis omnino ignoraverint: & licet personam cognoverint, nesciunt tamen si filius ejus & hæres sit qui ultimo præsentavit & cujus seisinam petit, & per consequens scire non possunt si ad ipsum pertineat actio vel querela. § 10. Hiis autem intellectis de facili perdendi poterit pro quo judicabitur per assisam.

De Exceptionibus querentis. CAP. 13.

Cum autem uterque præsens fuerit & deforcians dicere velit cont' assisam, oportet primo quod querens audito brevi suam fundat intentionem & doceat quod ad ipsum pertineat actio certa; Certa itaq; debet esse intentio, certa narratio & certum fundamentum, & certa quæ in judicium debent duci,& vera probatio pro petente vel querente vel ad minus præsumptio cui semper standum erit donec tenens vel deforcians excipiendo & probando docuerit contraria. § 2. Ille autem qui per hanc assisam agit ad fundandum intentionem suam docere debet de cujus seisina profert assisam, utrum de seisina propria qualitercunque teneat in feodo vel ad vitam vel ad terminum rem corporalem ad quam pertineat advocatio, vel ipsam advocationem sine re vel corpore cor adhæret,vel si de seisina alicujus

Anteceſſoris ſui, & quo caſu oportet ipſum docere ſe eſſe hæredem illius Anteceſſor' cujus petit ſeiſinam ſeparatam & per ſe ſine aliis vel cum aliis in communi abſque ſeparatione; & ubi plures ſunt quaſi unus hæres oportet quod omnes nominentur vel in communi vel ſeparatim & ſucceſſivè. Et quo caſu ſufficit ſi ille queratur ad quem pertinuerit præſentatio illa ea vice, vel ſi jus præſentandi de ſeiſina unius Anteceſſoris pluribus deſcendat capitibus ſed quaſi uni hæredi,& facta diviſione inter cohæredes hæreditatis remaneat tota advocatio & præſentatio uni cohæredum. § 3. Item deſignare oportet quæ vel qualis perſona ultimò obiit perſona & de qua morte naturali ſive civili, & ita facta examinatione & ſic fundata intentione de facili perpendi poterit utrum præſentatio & actio pertineat ad querentem ſeparatim & per ſe ſimpliciter, vel in communi cum aliis viciſſim vel ſucceſſivè.

De Exceptione Deforciantis. CAP. 14.

Cum autem querens intentionem ſuam ſic fundaverit & docuerit quod ad ipſum pertineat præſentatio & producat probationem, ſcil. aſſiſam, oportet quod deforcians excipiat cont' intentionem quod aſſiſa remaneat: Sunt quidem exceptiones plures quarum quædam ſunt dilatoriæ & quædam peremptoriæ; & peremptoriarum quædam ſunt peremptoriæ juriſdictionis & quædam brevis. Et ſunt dilatoriæ judicii quæ non tangunt ipſam actionem nec intentionem non magis quam dilatoriæ,& illæ ſunt primò proponendæ. § 2. Continetur enim in brevi quis advocatus, advocatus autem dici poterit ad quem pertinet jus advocationis alicujus Eccleſiæ, ut ad Eccleſiam nomine proprio & non alieno poſſit præſentare. Et dicitur quis Advocatus ad differentiam aliorum qui præſentant nomine alieno, ſicut cuſtos præſentans ratione cuſtodiæ qui non eſt Advocatus ſed ille cujus nomine præſentavit. Dicitur etiam quis Advocatus ad differentiam eorum qui tenent quodammodo ad firmam ut ad terminum vitæ quacunque ratione, vel per intruſionem,vel per diſſeiſinam,qui nunquam præſentaverint in vita ſua, veruntamen ſi ſemel præſentaverint & ita in ſeiſina ſint præſentandi, tunc ſunt quaſi Advocati quoad ſeiſinam præſentandi quamdiu vixerint & fuerint in poſſeſſione rei ad quam pertinuerit Advocatio. Et priuſquam verus poſſeſſor ſeiſinam rei recuperaverit in pertinentiis nihil juris poterit vendicare, cum non poterit quis prius præſentare vel habere pertinentias antequam habuerit corpus ad quod ſequuntur pertinentiæ. Eſt igitur verus
Nota. Advocatus ad quem pertinet proprietas & ſeiſina ex nomine proprio ſibi & hæred' ſuis & non alieno. § 3. Eſt etiam quaſi Advocatus, creditur eſſe advocatio cum non ſit propter ſeiſinam præſentandi,& tenet quod poſſidet licet in ſeiſina ſit nomine proprio & non alieno, ſicut illi qui tenent ad terminum vitæ vel annorum, & ſunt veri Advocati perpetui & non veri & ad tempus; ſed cum tales præſentaverint, non tamen ſint hujuſmodi præſentationes rectis dominis vel hær' præjudiciales. § 4. Item tempore pacis quia differentiam eorum quæ fuerint tempore belli quod idem eſt quod eſt tempus guerrinum quia nihil differt à tempore injuriæ,quæ eſt cum ſunt oppreſſiones

pressiones & violentiæ quibus resisti non potest & disseisinæ injustæ,& omni tempore quoad quosdam poterit esse tempus guerrinum quamvis non simpliciter ad omnes, cum quis uti velit jure suo tempore pacis, & impeditur quo minus possit. Tempus enim pacis designari poterit hoc modo. § 4. Poterit enim quis ante guerram generalem præsentare pacificè sine aliqua contradictione,& eodem modo tempore guerræ, & post guerram consimiliter, & quælibet præsentatio sufficiens erit ad seisinam præsentationis, & bona, cum nulla dici poterit injuriosa & ideo quasi nulli, quia tempore injuriæ & non pacis vel juris sit acquisita, tempore etenim pacis fieri poterunt oppressiones injustæ,rapinæ,disseisinæ injustæ sicut tempore guerrino,& ex tali tempore oritur exceptio deforcianti vel replicatio petenti. § 5. Continetur etiam in brevi, præsentavit. Refert enim utrum talis persona præsentata admissa fuerit ad præsentationem talis vel non,quia non sufficit præsentare nisi persona ad talem præsentationem fuerit admissa. § 6. Cum autem duo fuerint à diversis præsentati oportet quod unus admittatur, & alius recusetur, poterit tamen esse quod neuter admittetur quamvis unus præsentantium jus habeat præsentandi, cum propter lapsum temporis de constitutione Lateranensi si partes fuerint discordes ultra sex menses propter minorem ætatem, ut si contra minorem præsentantem prolatæ fuerint cartæ Antecessorum ad quas minor ante ætatem respondere non possit, & quo casu pertinebit ad Ordinarium collatio nisi partes consenserint de unica persona idonea præsentanda salvo jure cujuslibet cum minor ad ætatem pervenerit,& reservata quadam minima pensione usque ad ætatem ut salvum sit ei jus præsentandi quis per assisam obtinuerit ut illam tunc conferat cui voluerit. § 7. Item duo poterunt præsentare simul quorum unus jus habebit & alius non,vel uterque aliquam scintillam juris si in clericum consentiant sine aliqua discussione juris non erit standum utrique ex tali præsentatione,cum sit incerta, sed ad seisinam illius Advocati de quo haberi possit certitudo quis de jure ultimò præsentavit cum protestatione vel sine. Sed esto quod quis sine contradictione semel præsentaverit & alius vacante iterum Ecclesia impedimentum apponit & deinde assensum præbeat, propter talem tamen assensum non mutatur status præsentationis nec minuitur, cum iterum Ecclesiam vacare contigerit, quia unum est assentire & aliud consentire. Assentire enim potest cum quis non habeat jus præsentandi, sed dicat,Assentio ad præsens præsentationi tuæ salvo jure meo in posterum. Si quis tamen in possessione existens præsentandi consensum præbuerit ei qui proprietatem habuerit vel consenserit præsentandi simpliciter sine aliqua protestatione sibi præjudicat imperpetuum. Sed hic est potius consensus quam assensus,cum ille qui jus habet possessionis consentit cum eo qui habet proprietatem. Si autem hoc fecerit cum protestatione, ut si dicat, Consentio præsentationi tuæ salvo mihi jure meo in posterum, per hoc sibi retinet totum quod habuit tam super possessione quam super proprietate. Est enim jus possessionis & jus proprietatis, & idem erit & melius si exprimat utrumque jus & dicat,Salvo mihi jure imposterum tam super possessione quam super proprietate. § 7. Et idem processus habeatur in advocationibus ca-

pellarum, præbend', vicar', hospitalium, Abbatiarum, Prioratuum, & aliarum domorum quæ sunt de aliquorum advocatione, sicut in advocationibus Ecclesiarum habetur in præsentationibus impeditis. § 8. Item continetur persona quæ mortua est, personam dicit ad differentiam vicarii, ad cujus vicariam nullus poterit præsentare, mortua dicit, hoc est sine morte naturali sive civili, ut se transtulit religioni, vel duxerit uxorem, vel resignaverit, vel aliquid fecerit propter quod eam retinere non possit. § 9. Item continetur ad talem Ecclesiam quæ vacat ut dicitur, ad quod videnď quæ vacet & quæ non, ut si omnino vacet vel personatus tantum. Si autem aliquid inpræstetur pro bono pacis vel nomine simplicis beneficii & ille qui hoc perceperit moriatur, propter hoc non vacat personatus nec Ecclesia. Et illud idem dici poterit de vicario cujus vicaria non sit de alicujus præsentatione vel advocatione, qui si moriatur totum accrescit personæ, & hoc ubi taxata fuerit per Ordinarios ad rationabilem sustentationem vicarii. Si autem assisa proferatur de tota Ecclesia & non vacet nisi medietas vel tertia pars vel quarta & contentio de advocatione habeatur utrum vacet vel non; super hoc erit Ordinarius consulendus quia laicus super hoc cognoscere non potest, non magis quam de matrimonio soluto vel contracto; alii aliquando non expedit quod coram Ordinario devolvatur cognitio quia per ipsum Ordinarium poterit Ecclesia incumbrari, vel cum Episcopo tali cum admiserit ad præsentationem jus non habentis in præjudicium veri patroni, & in quibus casibus non expedit hoc mandare Episcopis quia veritatem forte non rescribent. § 10. Et ideo in hujusmodi dubio utrum Ecclesia vacet vel non poterit veritas per assisam inquiri, & secundum hoc mandetur Episcopo q admittat. Qui vero si non admiserit summoniatur quod sit ad ostendend' q. non, & sic convinci poterit incumbramentum factum per Episcopum vel alium Ordinarium, & tunc tenebitur Episcopus liberare Ecclesiam vel satisfacere præsentato, & clericum per ipsum admissum compellere quod verum patronum advocatum suum & satisfaciat ipsi patrono, & sic poterit Ecclesia vacare de jure & non de facto. § 11. Poterit etiam Ecclesia vacare de jure & de facto simul, & tunc juste vacat, & verè, & quo casu statim capiatur assisa. Si autem de jure tantum, capi poterit assisa consimiliter ut inquiratur de incumbramento, & sic agat querens versus eum qui incumbravit ad tollendum incumbramentum. Si autem clericus propria authoritate se intrudat in aliquam Ecclesiam sine Ordinario suo, nihilominus capiatur assisa sicut de vacante. Et si Juratores dicant quod Ecclesia plena est per intrusionem talis clerici, quia verò coram Judice seculari discuti non poterit an juste se intruserit vel non, cum multum non differant sicut matrimonium spirituale & carnale, & ideo ad forum Ecclesiasticum debet hujusmodi cognitio demandari, ut Episcopus inde Cur' Reg' reddat certiorem, cujus mandato debet fides adhiberi, & secundum hoc procedet assisa vel remanebit, tale tamen mandatum Episcopi non semper plene sufficit ad probationem sine aliis adminiculis, licet sufficiat ad præsumptionem. § 12. Dicitur etiam in brevi cujus advocationem idem talis dicit ad se pertinere, ex quo quidem dici potest quod oportet querentem docere rationem quod ad ipsum

ipſum pertineat actio & querela in fundatione ſuæ intentionis. § 13. Item dicitur & ſummon' talem qui advocationem ei deforciat, & unde oportet querentem docere ipſum in intentione ſua quare ſibi impedientem habet obligatum quod ſeiſinā ſuæ præſentationis injuſte impediverit. § 14. Per hoc etiam quod dicitur qui advocationem illam ei deforciat non intelligat qui jus quod deforcians ſit in ſeiſina advocationis, ſed ſatis deforciat qui impedit vel qui omnino uti non permittit vel ſaltem modo debito quamvis omnino non expellat. § 15. Ex prædictis vero eligi poterunt exceptiones ad aſſiſam perimendam vel differendam. Si autem impediens omnes articulos prædictos conceſſerit adhuc excipere poterit contra aſſiſam quod ipſe qui portat aſſiſam narrando de ſeiſina & præſentatione anteceſſorum ſuorū injuſte petit, eo quod poſt præſentationem per ipſum factam advocationem illam dedit cum teñ ad quod pertinuit advocatio vel ſine ipſi impedienti vel alicui Anteceſſorum ſuorum per cartam, quam proferat ſi ſibi viderit expedire, & unde conceſſo quod talis vel ejus Anteceſſor præſentavit ille tamen conquerens de cætero præſentare non poterit prædicta ratione; vidend' eſt igitur in præmiſſis an ille cont' quem excipitur plenæ ſit ætatis vel infra ætatem. Si autem plenæ ætatis fuerit benè poteſt cognoſcere cartam & donationem replicare non poterit contra exceptionem quod poſt cartam illam præſentavit ille tamen N. qui ad præſentationem ſuam fuit admiſſus & ita quod carta illa vacua eſt & donum nullum. § 16. Et hoc probari poterit per aſſiſam captam in modum juratæ & in mod' aſſiſæ, niſi ita ſit quod querens habeat per ſe triplicationem, ut ſi dicat quod quamvis carta vacua ſit & donum nullum per ſecundam præſentationem ipſius donatoris, poſt illam tamen præſentationem fecit ei idem talis vel Anteceſſor ſuus aliam cartam de donatione novam, ita quod præſentatio pertinet ad ipſum; vel dicere poteſt quod primam cartā confirmavit & fecit ei validam confirmationē quæ invalida fuit, per non uſum & per ſecundam præſentationem, & hoc offerat verificare per aſſiſam & per teſtes in carta nominatos. Si alius ſimpliciter cartam negaverit & confirmationem quadruplicare tamen poterit & docere ſe poſt hæc omnia præſentaſſe; Si autem triplicare velit dicere poterit & concedere poſt primam cartam præſentationem ſic eſſe factam & cartam ſic eſſe vacuam, ſed poſtea impetravit ſuper eum breve de warantia cartæ, ad quam talis vel fidejuſſor ſuus ſummonitus fuit & in Cur' Regis cartam illam recognovit & donum, ita quæ finis factus fuit & chirographum quoddam quod proferre poterit & tunc capiat lis finem, ut inferius in Statutis. § 17. Item ſi de advocatione ſit implacitatus peti poterit ſi de poſſeſſione debeat reſpondere § 18. Item poterit dici quod eſt capella & non Eccleſia, quare judicium de brevi quod petit verificare ubi debet. § 19. Si autem petatur verſus perſonam tantum reſpondere poterit quod non tenetur reſpondere ſine Epiſcopo & patrono ſuo. Item breve ultimæ præſentationis eſt inter patronos & ipſe non eſt patronus, unde judicium. § 20. Si autem de poſſeſſione tantum loquatur non poterit vocare ad warantum.

Caſus

Casus super eisdem. CAP. 15.

ESto quod quis dederit manerium cum advocatione alicui in feodo sibi & hæred' suis,& antequam Ecclesia vacaverit ille cui datum est priusquam præsentaverit manerium cum pertinentiis ad alium transtulerit, & tunc primo Ecclesiam vacare contingat,primus donator præsentat & primus donatarius similiter & secundus similiter, & quia non ad omnes pertinet præsentatio quæro quis eorum alteri præferri debet; non enim primus donatarius quia nunquam fuit in seisina, & quod non habuit ad alium transferre non potuit; vacua est igitur donatio quantum ad primum & secundum donatarium. Remanet igitur de necessitate cum donatore quia semper remansit in possessione præsentandi, ex quo donatarius illam ad alium transtulit ante præsentationem & ante usum, & sic dici poterit de pluribus in infinitum. Et hæc vera sunt dum tamen finis vel recognitio inde facta non fuerit in Cur' Reg' Recordum habente; Et quo casu fiat per omnia prout per Recordum inveniri contigerit. § 2. Item esto quod secundus donatarius aliquo casu vellet vocare primum donatarium ad warrantum, non valeret vocatio cum secundus donatarius in possessione non sit. Nullus enim alium defendere poterit in possessione nisi eum qui fuerit in possessione, cum warrantizare nihil aliud sit quam possidentem defendere; sed si de facto warantizaverit & warantum ulterius vocaverit primum donatorem nec ipse ei warantizare tenetur tum quia non possidet, tum quia revocare non potest secundus donatarius nec rehabere quod nunquam habuit nec habere potuit. Sed esto quæ primus donator secundo donatario confirmaverit donum primi donatarii adhuc non convalescit donum per confirmationem tantum cum donum sit alienum & non ipsius confirmantis nec alicujus Antecessor' sui, & quia donū omnino nullum est nec inceptum nec perfectum: bonum est igitur secundùm constitutionem operari. Si autem uterq; confirmaverit, tam confirmans quam ille cui confirmatur,confirmans per assisam obtinebit pro seisina à qua non recessit ex quo nullus seisinam habere incepit. Si autem ille secundus donatarius præsentaverit de facto dum tamen recordum non invenerit super donatione, & cum ita in seisina fuerit advocationem illam transtulerit ad alium similiter præsentaverit & ita fuerit in seisina præsentandi, & contingat Ecclesiam vacare, & primus donator præsentaverit & ultimus donatarius similiter si uterq; assisam vel p̄: arrannaverit ultima seisina præferri debet primo nec erit postmodum assisa capienda super assisam. Sed primus donator sibi perquirat per breve de recto super ipsa proprietate si voluerit & sibi imputare poterit propriam negligentiam super ipsa possessione. Cum autem carta proferatur contra assisam, si omnino dedicatur, oportet quod probetur per testes in carta nominatos,& per assisam captam in modum Juratæ,nisi fortè ille contra quem profertur infra ætatem extiterit, & quo casu ad cartam respondere non poterit ante ætatem sicut faceret ad finem & aliam recognitionem Antec' in Cur' Recordum habente, & sic differenda erit assisa usq; ad ætatem, sed de consilio Cur' providebitur de quadam pensione retinenda ad cautelam. Si autem nulla carta intervenerit procedat

assisa

assisa non obstante minori ætate. Si autem finis & Chirographum in Cur' Reg' factum intervenerit cadit ass' cum minor infra ætatem debeat ad quemlibet finem respondere ; Si autem carta Antecessor' tantum sine recognitione objiciatur à majore vel minore, & dedicatur, probetur, & si non concedatur sed opponatur quod vacua sit per præsentationem subsequentem, & à parte adversa negetur præsentatio post cartam procedat assisa in modum Juratæ de consensu partium sub hiis verbis, utrum donator qui assisam portat præsentavit ad eandem Ecclesiam postquam cartam illam & donum fecerit prædicto tali vel non. Respondere tamen poterit quis contra assisam quod præcedere non debeat quia ille qui profert assisam vel aliquis Antecessorum suorum teñ ratione cujus præsentat cum omnibus pertinentiis sine ullo retenemento quocunq; modo alienationis ei qui modo præsentat vel alteri Antecessori ejus dedit & alienavit sive fuerint in possessione præsentandi sive non, sine aliqua retentione, exceptione vel contradictione vel dimissione ad terminum vitæ vel annorum, & hæc ratio quandoq; poterit per cartas & instrumenta declarari, & si proferantur in judicio procedat assisa, & si de fide instrumentorum & veritate habeatur contentio per assisam captam in modum juratæ si partes consentiant poterit negotium terminari. Cartæ autem & instrumenta ante judicium sunt exhibenda ; si autem post, locum habere non possunt nisi ad certificand'. § 3. Item excipi poterit contra assisam quod ille qui profert ass' non habet in manu sua de teñ ad quod pertinet advocatio, quia illud amisit per judicium vel disseisinam vel alio quocunq; modo, & quamvis jus habeat in teñ & in pertiñ recuperare tamen debet primo teñ ad quod pertinet advocatio antequam possit præsentare. Et ideo si aliquis præsentationem suam semel per assisam retinuerit & proprietarius petat advocationem vel teñ ad quod advocatio pertinet per breve de recto & pendente placito incipiat Ecclesia vacare, petens ille tamen præsentare non poterit antequam advocationem vel teñ disrationaverit. § 4. Item contra assisam replicari poterit quod ille qui assisam nunquam habuit in advocatione de qua agitur nisi ad vitam tantum quacunq; ratione vel ad terminum, ita quod nihil juris potuit vel debuit ad suos descendere hæredes. § 5. Si mulier aliqua post mortem viri sui waranto suo de dote præsentanti ad seisinam suam vel antecessorum suorum per assisam petenti respondeat quod præsentatio ad ipsum pertineat ratione dotis suæ quam habet in villa in qua Ecclesia sita est, & unde impetravit super warantum suum breve de Quare impedit, tunc videnď est qualiter fuit dos sibi constituta, ut si habuit tertiam partem alicujus villæ & petat quod ratione illius partis possit præsentare saltem tertia vice, vel si de dote manerio fuerit dotata integrè nulla facta exceptione cum omnibus pertinent' vel excepta advocatione. Si autem dotata sit de tertia parte tantum, nihil juris habet in præsentatione licet Ecclesia sita sit in tertia parte tantum, nisi hoc convenerit ex aliqua specialitate, ut si dotata fuerit de tertia parte cum advocatione. Si autem dotata manerio integro sine exceptione, valida erit præsentatio. Si autem præsentationem admittere non debet per particulas, ut si quis manerium habens cum advocatione illud totum dederit diversis vel uni per parti-

particulas retenta sibi aliqua minima portione, & sic dederit quilibet partem cum omnibus pertinentiis suis, nulla facta mentione de advocatione, semper remanebit advocatio cum parte retenta cum specialiter non transferatur. § 6. Esto autem quod quis clericum præsentaverit qui ad præsentationem suam fuerit admissus, & venerit quis à latere, & clerico instituto moverit quæstionem per alium clericum institutum Episcopo loci præsentet qui ipsum admiserit in præjudicium primi præsentantis & ita remaneat institutus tota vita sua bis præsentatus & bis institutus, si ille qui ultimò præsentavit postmodum vacante Ecclesia ex tali præsentatione agere velit per assisam, non audietur, quia præsentatio super præsentationem de eodem facto & de eodem jure & de eadem præsentatione facta non valebit. § 7. Item esto quod quis præsentaverit ad Ecclesiam & pendente præsentatione antequam clericus admittatur contingat præsentantem mori, & custos hæredis ratione custodiæ alium clericum præsentaverit durante contentione inter clericos præsentatos contingat quod hæres perveniat ad ætatem, & tertium præsentaverit, cujus præsentatio debet præferri? revera hæredis præsentatio. § 8. Item esto quod mulier habens dotem & advocationem alicujus Ecclesiæ ad dotem ejus pertinentem quæ clericum præsentaverit cum vacaverit & qui ad præsentationem suam admissus fuerit, & hæres warantus suus de dote sua advocationem illam alicui dederit vivente muliere, & post donationem illam antequam donatarius Ecclesiam illam contulerit, mulier seisinam illam transmittit ad warantum suum & hæredes suos; Et quo casu necesse erit donatario novam habere donationem vel saltem prioris doni confirmationem, quia antequam de seisina loqui poterit nunquam in casu proprietatis obtinebit. § 9. Si autem plures cohæredes quorum quidam plenæ sint ætatis & in possessione hæreditatis pro portione sua, & quidam infra ætatem & sub custodia, & non sit nisi unica Ecclesia quæ vacaverit, quæritur quis præferri debeat in præsentatione, vel si omnes simul præsentare debeant aut unus & in unum clericum consentire, alioquin ordinabit Episcopus sive fuerit plenæ ætatis, sive non, nisi partita sit hæreditas & diversa cum plenæ ætatis extiterint vel aliter convenerit inter eos, nec erit Episcopo locus collationi si quilibet ipsorum vellet clericum suum singulariter & per se præsentare, quia nullum tamen recipere possit ad præsentationem unius sine præjudicio alterius cohæredis, aliter tamen esse possit, si unus qui totum jus haberet præsentandi duos clericos vel plures simul vel diversis temporibus præsentaret. § 10. Item de una vacatione & præsentatione ad unam Ecclesiam plures poterunt esse querentes & diversis rationibus; duo enim vel plures petere possunt præsentationem per assisam ratione successionis vel de seisina propriæ præsentationis. Item una vel plures ratione dotis vel alio modo tenendi ad vitam secundùm diversa genera præsentandi per breve Quare impedit vel quare non permittit, vel quia habet aliquam partem villæ in qua sita est Ecclesia de qua agitur, & quod vicissim & successivè possit præsentare, & multis aliis rationibus, quas quidem omnes oportet in principio diligenter examinare per ordinem, ut facta examinatione scir' possit ad quos pertineat actio, & ad quos non, & de processu

processu in persona cujuslibet mulieris ad Episcopum dirigendis oportebit facere mentionem. § 11. Cum autem mulier ratione dotis suæ præsentaverit ad Ecclesiam Clericum qui ad præsentationem suam sit admissus ac hæres warantus de dote sua advocationem illam postmodum alicui dederit vel vendiderit, & vacante iterum Ecclesia in vita mulieris alia vice illam contulerit non obstante advocatione hær' ex præsentatione sua seisinam præsentandi transmittit, & warantum suum & hæredes suos, & sic erit carta vacua & donatio nulla cum donatarius loqui non possit de aliqua seisina; secus tamen erit si carta in Cancellaria vel coram rege fuerit recognita & irrotulata. Si autem sit qui dicat contra assisam, quod ille qui assisam profert præsentare non possit propter donationem & cartam subsequentem, si carta dedici non possit, cadit assisa, & alius seisinam suam retinebit, & cum sit quasi in possessione post donationem & cartam confectam. Si autem dedicatur & non fuit irrotulata in Cur' Reg' oportet quod probetur per Testes in carta nominatos & per probos & legales homines vicinos, & ea probata, ulteriùs impediri non poterit sua præsentatio; Et non est simile de rebus corporalibus ubi nulla donatio, licet fiant cartæ & capiantur homagia, nisi subsequatur traditio & corporalis apprehensio. Si autem donator cartam recognoverit quod postea præsentavit hoc doceri poterit per assisam, nec stabitur simplici verbo suo nec præsumptioni tantummodo licet proferat literas Ordinarii quod ipse clericum admiserit ad præsentationem suam; nec erit necesse procedere ad assisam de seisina donatoris, quia per hoc quod concedit cartam excludit se à seisina & præsentatione sua cum nihil ostendere possit post confectionem cartæ de aliqua seisina. § 12. Cum autem querens dicat se vel aliquem Antecessorum suorum præsentasse certam personam & inde posuerit se super assisam & Juratores nihil inde sciverint, nec etiam quis ultimam personam præsentaverit nec penultimam & nec aliam, vel si dixerint omnino se nihil scire, querens nihil capiet per assisam. § 13. Item si in una & eadem villa fuerunt duo dominia & diversa feoda & una Ecclesia & sciri non possit quis ultimo præsentavit nec in cujus feodo sità fuerit Ecclesia, vel si fortè fuerit prædium commune in quo fuerit sita Ecclesia, nec haberi possit certitudo de præsentatione, oportet quod partes concordent inter se quod vicissim præsentent. § 14. Item esto quod quis habeat advocationem alicujus ecclesiæ, & cum fuerit in possessione præsentandi, illam dederit in maritagium vel alio modo, & ille idem antequam præsentaverit advocationem illam dederit cum tenemento vel sine, & tunc post contingat Ecclesiam vacare, & ille tertius cui ultimo data fuerit advocatio præsentaverit, primùs donator vel ejus hæres omnibus aliis præferetur in præsentatione, tum quia primus donatarius nullam habuerit seisinam veram per quam ad alium transferre potuit advocationem, nec secundus donatarius poterit accipere quod primus ei non potuit dare nec ad alium transferre.

Quare Impedit. CAP. 16.

NON autem possunt omnes ad quos pertinet præsentatio agere de seisina propria vel Antec' suorum sicut in casibus præcedentibus. Et unde illis qui nunquam præsentaverint & quacunque causa adquirendi non competit jus præsentandi quod nunquam habuerunt sive recuperaverint vel habuerint ad vitam vel imperpetuum ex causa donationis vel alio modo competit remedium si fuerint impediti quo minus præsentare possint per breve Quare impedit. § 2. Impedire autem est ponere pedem in jus alienum quod quis habet in jure præsentandi cum sit quasi seisina & jure quali, quia qui impedit quo quis minus uti possit seisina sua vel quasi imponit pedem alteri juri, & ideo locum habet breve Quare impedit. § 3. Si autem nullam habuit omnino talis præsentator seisinam vel quasi cum ex causa donationis vel aliunde competat ei jus præsentandi ratione ten̄ quod quis tenuerit ad vitam ex aliquo casu ratione dotis vel per legem Angliæ, vel firmario ratione firmæ, vel creditori ratione pignoris cum nulla præcesserit seisina, vel quasi ponere non poterit pedem quis in jus vel seisinam quam talis prius non habuit, & quo casu non habet locum breve Quare impedit sed quare non permittit illud quasi proprietarius, & hæc est differentia inter impedit & non permittit quamvis brevia ferè concordent, hæc enim dictio impedit de in & pes componitur, & sic impedit qui nititur pedem ponere in jus alienum ubi nullum jus ei competit nec proprietatis nec possessionis. Et si quod unquam habuit illud totum transtulit ad alium quacunque de causa, vel cum fortè per judicium utrumque jus haberet possessionis ex quacunque causa transtulit ad alium qui nondum seisina usus est. Si quis igitur uti non permiserit competit ei contra proprietarium breve Quare non permittit cum ratione proprietatis habuerit pedem impositum. § 4. Cum autem summonitus non venerit nec se fecerit essoniari mandetur vic' quod ponat ipsum per vadium & salvos pleg' quod sit ad certum diem, & postea quod distringatur per omnes terras, & catalla, & quod respondeat de exitibus donec venerit. § 5. Si autem ille qui præsentationem impediverit fuerit infra ætatem nec habuerit per quod distringi possit, tunc summoneatur ille in cujus manu custodia ter̄ ejus fuerit quod sit & habeat talem ad certum diem. § 6. In hujusmodi autem impedimento vidend' est utrum clericus impediat vel patronus, uterque enim impedimentum præstare potest, patronus autem ante judicium & antequam jus præsentandi amiserit præsentationi de se factæ post judicium insistendo, & quo casu clericus principaliter erit summoniendus & patronus incidenter quod sit ad ostend' quid juris clamat in præsentatione quam semel amisit per judicium, qui nisi sufficientem per se prætenderit excusationem pœnam constitutionis se noverit incursurum.

De

De Statutis super eisdem. CAP. 17.

CUM de advocationibus Ecclesiarum non sint nisi tria brevia originalia, unum videlicet de recto & duo de possessione, & usitatum fuerit quod cum quis jus non habens præsentandi ad aliquam Ecclesiam præsentaverit ipso præsentato admisso verus patronus per aliud breve recuperare non potuit advocationem suam quam per breve de recto per quod hæredes infra ætatem existentes per fraudem vel negligentiam suorum custodum, hæredes etiam majores vel minores per negligentiam vel per fraudem tenentium per legem Angl' vel mulierum tenentium in dotem vel alio modo ad terminum vitæ vel annorum aut per feodum talliatum multotiens de suis Advocationibus exhæredationes patiebantur; Provisum est & statutum quód hujusmodi præsentationes non sint hujusmodi rectis hæredibus aut aliis proprietariis ad quos hujusmodi advocationes reverti debent præjudiciales, quia quotiescunque aliquis jus non habens tempore custodiæ ut per dotem vel per legem Angliæ, vel alio modo ad terminum vitæ vel annorum, vel per feodum talliatum in proxima vacatione postquam ad ætatem hæres pervenerit, vel post aditam hæreditatem vero proprietario adeo præjudicialis quo minus in proxima vacatione postquam statim habuerint eandem actionem & exceptionem vel consimilem habeant qualem habuit vel haberet ultimus Antecessor hujusmodi hæredis plenam habens ætatem in ultima vacatione tempore suo accedente ante mortem suam vel antequam dimissio facta fuit ad terminum vel per feodum talliatum. § 2. Hoc idemque de præsentationibus factis ad Ecclesias de hæreditatibus uxorum sub potestate virorum existentium observetur. Viris religiosis, Archiepiscopis, rectoribus Ecclesiarum & aliis personis Ecclesiasticis per hoc idem statutum subveniatur si aliquis jus præsentandi non habens præsentaverit ad Ecclesias domibus suis prælatiis dignitatibus aut personatibus spectantes tempore quo prælatiæ dignitates vel personatus hujusmodi vacaverint. § 3. Hoc tamen statutum locum non habet in casu quo judicium Cur' Reg' processerit, ubi non est aliud remedium quam per convictionem, certificationem, assisam, vel Inquisitionem per Quare impedit quæ gratis concedantur una etiam forma in brevibus ultimæ præsentationis placitandi & Quare impedit in Cur' Reg' observetur quoad hoc, quod si pars rea de plenitudine Ecclesiæ excipiat per suam propriam præsentationem, non tamen propter illam plenitudinem remaneat loquela dummodo breve semestre tempus impetretur quamquam infra tempus illud non possit præsentatio recuperari. § 4. Et cum inter plures clamantes advocationem alicujus Ecclesiæ pax fuerit formata & in Cur' Regis consensu partium irrotulata vel Chirographata sub tali concordia quod unus primo post præsentes & in sequenti vacatione alius & in tertia tertius & sic de pluribus si plures sint, ac cum unus præsentaverit semel secundum formam concordiæ præhabitæ & irrotulatæ ad aliam vacationem participem suum impediendo iterum præsentaverit, vel alius jus illa vice saltem non habens, statutum est quod hujusmodi impeditus non habeat necesse proinde placitare, sed habeat recursum ad ro-

tulum vel ad finem, & si in rotulo vel in fine inveniatur quod injustè fuerit impeditus præcipietur vic' quod sciri faciat parti impedienti quod sit ad aliquem brevem diem continentem tempus 15 dierum vel amplius secundum distantiam loci, ostensurus si quid sciat dicere quare talis præsentationem suam habere non debeat. § 5. Et si non venerit, vel si venerit & nihil sciat dicere quare impeditus præsentationem suam habere non debeat ratione alicujus facti post concordiam irrotulatam vel chirographatam, statim recuperet præsentationem suam cum dampnis suis. § 6. Et cum contingat quod post mortem Antecessoris qui ad Ecclesiam aliquam præsentaverit assignata fuerit illa advocatio in dotem alicui mulieri vel per legem Angliæ teneatur, ac ipsi tenentes in dotem vel per legem Angliæ præsentaverint & verus hæres post mortem hujusmodi tenentium impediatur præsentare tempore vacationis, Provisum est quod in electione sic impediti utrum perquirere sibi velit per breve ultimæ præsentationis vel Quare impedit. § 7. Hoc etiam conservetur de advocationibus dimissis ad terminum vitæ vel annorum vel ad feodum talliatum. § 8. Dampna vero in brevibus ultimæ præsentationis & Quare impedit adjudicanda sunt, sed refert de impedimento quia si tempus semestre transierit per alicujus impediment' ita quod Episcopus ratione temporis illam contulerit, & verus patronus præsentationem suam per tale impedimentum amiserit, tunc adjudicentur querenti dampna secundum valorem illius Ecclesiæ duorum annorum. Et si jus præsentationis suæ disrationaverit impeditus infra tempus semestre, tunc adjudicentur impedito dampna secundum valorem medietatis Ecclesiæ unius anni. Et si impeditor nihil habeat unde possit restituere dampna duorum annorum & in alio casu puniatur per prisonam dimidii anni. § 9. In casu autem quo Rector alicujus Ecclesiæ impeditur ad petend' decimas in vicina parochia per prohibitionem de judicavit habeat patronus Rectoris sic impediti breve ad petend' advocationem decimarum, & cum disrationaverit procedat postea placitum in Curia Christianitatis quatenus disrationatum fuerit in Curia Regis. § 10. In casu etiam cum advocatio alicujus Ecclesiæ descendet participibus licet unus participum bis præsentaverit, & sic usurpaverit super cohæredem suum non propter hoc exclusus sit ille in toto qui fuit negligens sed aliàs habeat recursum vel turnum suum præsentandi cum acciderit. § 11. In brevi autem de Quare impedit debet Episcopus inquirere si sit distantia inter patronos ubi clericus est institutus sine assensu utriusque patroni nisi infra sex menses à tempore vacationis, & hoc non nisi cum brevi Regis. Item nec ubi facta fuerit Inquisitio infra quinque dies vel sex, post mortem ipsius personæ antequam patronus hoc sciat. Item nec ubi Episcopus præsentaverit per lapsum temporis & postea sit lis mota inter patronos. In hiis tribus casibus pertinet cognitio ad forum seculare tantum, nisi novus habeatur contractus inter patronos.

De

De Exceptionibus. CAP. 18.

CUm autem quis per judicium jus patronatus amiserit vel alius cui nullum jus competat ad ecclesiam non vacantem præsentaverit & institutum summoniri fecerit ad respondend' quare impediverit præsentare, respondere poterit quod ecclesia sive capella non vacat. Et quo casu erit Ordinarius consulendus, & secundum mandatum Episcopi terminabitur negotium. § 2. Item dicere poterit quod nihil juris clamat in advocatione nec aliquem impedit præsentare, & eodem modo respondere possit patronus si summonitus esset in casu consimili. Impedientes tamen aliter respondere poterunt excipiendo sic, dicere enim poterunt quod injustè non impediverunt qui tenent teñ ad quod advocatio pertinet ex aliqua justa causa adquirendi in perpetuū vel ad tempus sine aliqua exceptione de advocatione cum omnibus pertinentiis suis, & hoc docere poterit per instrumenta & aliis modis diversis, ut si contra factum proprium vel Antecessorum suorum qui jus suum præsentanti dederint vel remiserint præsentandi vel Antecessoribus suis. Item injustè ut si quis contra jus commune præsentaverit ubi alius habuerit teñ ad quod pertinet advocatio ad tempus vel imperpetuū sine aliqua exceptione vel pendente lite donec discussum fuerit de jure, sive placitum fuerit de ipso tenemento cū pertinentiis sive de ipsa advocatione. § 3. Item injustè ut contra ea quæ ritè acta sunt in Cur' Reg' per judicium vel concordiam & finem.

De Incumbramentis. CAP. 19.

POterit autem Clericus clericum vexare injustè post præsentationem à suo patrono evictam instituendi vel jam institutum ad irritand' ea quæ in Cur' Regis ritè acta sunt. E quibus casibus ad auxilium Regis erit recurrend'. § 2. Item poterit episcopus pendente lite ante tempus semestre ecclesiam injustè incumbrare, & quo casu fiat petenti breve de inhibitione ne incumbret, vel ne clericum admittat ad præsentationem alicujus donec placitum in Cur' Regis fuerit terminatum,& maximè ante tempus sex mensium elapsum, ut si assisa ultimæ præsentationis arrannata fuerit inter aliquos duos vel plures, vel placitum quare impedit vel placitum super recto simul & semel,vel aliquod istorum per se, non poterit Ordinarius aliquem admittere ad præsentationem alicujus partis donec placita fuerint terminata. Et si Episcopus propter inhibitionem non omiserit, sequitur breve de attachiando Episcopum. § 3. Si autem Clericus ab eo præsentatus qui per judicium amiserit Clericum præsentatum ab eo qui jus præsentandi evicit in causam contrahat coram quibuscunque Judicibus ad irritand' ea quæ in Cur' Regis ritè acta sunt, fiat Judicibus prohibitio ne procedant, qui si non superséderint, attachientur; Si quis autem semel seisinam suam præsentandi per ass' recuperaverit, & ille versus quem recuperaverit petere inceperit advocationem per breve de recto, & pendente placito inceperit Ecclesia iterum vacare, & uterque Episcopo præsentaverit, ille debet præferri qui ultimo præsentavit. Et cum Episcopus vel alius Ordinarius regium susceperit mandatum

mandatum de admittendo Clericum ad Ecclesiam non admiserit ad querelam patroni præsentantis summoneatur Episcopus & postea attachietur. § 4. Si ad summonitionem venire noluerit quod sit coram Justiciar' ad ostend' quare non admiserit.

De Assisa de Utrum. CAP. 20.

EST inter alias assisas quædam assisa quæ ultimum habet possessionis & juris quia utrumque determinat nec post talem assisam quæritur ulterius super jure sive faciat pro petente sive pro tenente, agi tamen non poterit quandoque ad convictionem in hac assisa sicut & in cæteris. Per assisam vero istam recognoscitur utrum ten' de quo agitur sit laicum feodum tenentis vel libera eleemosyna pertinens ad ecclesiam querentis, & è converso sive petens laicus sit sive Clericus, & in utriusque persona locum habet, non tn' in personis omnium Clericorum, sed tantum in personis eorum qui sunt Rectores ecclesiarum parochialium, qui instituti sunt per Episcopos & Ordinarios ut personæ, & eorum qui sunt Canonici in ecclesiis præbendatis, nec non & eorum qui sunt quasi Rectores, sicut Abbates, Priores. § 2. Alii qui habent ecclesias in usus proprios vel saltem medietates ratione diversorum feodorum & patronorum, & undè à multis per se agere poterit & implacitari. De re autem in communi inter eos habita secus erit. § 3. Si vicarius autem aliquam parvam pensionem annuatim domui Religiosæ sive hoc faciat nomine pensionis sive simplicis beneficii competit vicario assisa: Quam quidem si privatè solverit personæ non competit vicario sed & personæ. Et aliquando competit uterque simul & aliquando inter duas personas rectore ecclesiæ vel ecclesiarum. § 4. Item licet aliquando ecclesia sit divisa inter duos sive bona habeant communia sive separata dum tamen unicum habent Advocatum, nullus eorum sine altero agere poterit vel implacitari; forma brevis pro Clerico talis est. Si talis persona talis ecclesiæ fecerit te securum tunc summ' xii. liberos & legales homines de tali visneto q sint cor' Justiciar' nostris parati sacramento recognoscere utrum tantum ter' cum pertinentiis in tali villa sit libera eleemosyna pertinens ad ecclesiam ipsius talis de tali villa, an laicum feodum talis. § 5. Pro laico verò talis est forma, utrum tantum terræ cum pertinentiis in tali villa sit laicum feodum talis, an libera eleemosyna pertinens ad ecclesiam talis de tali villa, & interim terram illam videant, & nomina eorum imbreviari faciat. § 6. Et summ' prædictum talem qui terram illam tenet quod tunc sit ibi auditurus illam recognitionem. § 7. Summonitus autem si ad diem sibi datum non venerit, nec se essoniari fecerit resummoniatur quod sit ad alium diem ut in as' mor. ant.

De Exceptionibus. CAP. 21.

CUm autem summonitus comparuerit vocare poterit ad warantum ut superius, & etiam contra assisam multipliciter respondere & excipere per exceptiones generales suis locis & similiter per speciales. § 2. Dicere enim poterit laicus tenens quod ecclesia talis nunquam fuit in seisina, vel

quod

quod persona recepit inde fidelitatem & redditum, & quo casu cadit ass' suo saltem perpetuo sicut in casu ubi homagium expellit dominicum in aliis brevibus; hoc enim breve datur personis ecclesiæ pro brevi de Recto, nec aliud habebit cum de mero jure descendente ab aliquo Antecessore narrare non poterit, ideoque nullo tempore limitatur. § 3. Item cadit actio & assisa in persona Rectoris per ratihabitionem, ut si alienatio rei petitæ per verum patronum & loci dioc. confirmetur. § 4. Cadit assisa si de terra, ecclesiis Cathedralibus vel conventualibus data fuerit impetrata quamvis in liberam puram & perpetuam eleemosynam, eo quod non solum dantur hujusmodi terræ ecclesiis verumetiam personis tenendis in Baronia, & quo casu competunt hujusmodi donatariis omnia remedia quæ laico competerent. In donatione verò facta ecclesiis parochialibus non comprehenduntur personæ, quapropter introductum est hujusmodi singulare beneficium hujusmodi rectoribus tantum nisi conquerantur se esse disseisitos, & quo casu competit ei remedium per as' no' dis' sicut & laico competeret, & similiter competit eis remedium per breve de ingressu de seisina sua propria repetenda vel alicujus sui prædecessor'. § 5. Item cadit assisa si petat in dominico ubi ecclesia nunquam fuit seisita nisi de redditu inde proveniente. § 6. Item cadit assisa pro condonatione & donatione facta ecclesiæ comprehensa. § 7. Si autem non sit warantus nec exceptio quæ proponatur præsentibus partibus in judicio & Juratoribus, procedat assisa in modum assisæ, facta tamen expressione de ten' petito propter visum quem Juratores inde faciunt. § 8. Sacramentum verò tale est. Hoc auditis Justiciar' quod veritatem dicam de assisa ista & de tanto terræ cum pertinentiis in N. unde visum feci per præceptum Regis utrum prædicta terra cum pertinentiis sit libera eleemosyna pertinens ad ecclesiam talem unde talis est persona, an laicum feod' talis, vel vice versa. Si laicus assisam arrannaverit & pro nihilo omittam. § 9. Si autem capiatur in modum Juratæ cum assisa ista in se contineat possessionem & jus, vel cum in partem se posuerit in Juratam de consensu communi propter aliquam exceptionem incidentem extra assisam, tunc sic. Hoc auditis Justiciar' quod veritatem dicam de hoc quod à me requiretis ex parte regis & pro nihilo omittam. Et cum juraverint decet Justiciar' instruere Jurator' super quibus dicere debent veritatem, & secundum eorum veredictum procedatur ad judicium. § 10. Si autem laicus petat versus Clericum aut petat per breve de possessione per descensum ab aliquo suo Antec' vel per breve de recto, si autem per breve de possessione procedatur inter eos sicut inter alias quascunq; personas. Et si per breve de recto, aut Clericus habet warantum aut non. Si autem warantum habeat qui ei warantizaverit procedatur inter warantum & petentem sive ad duellum sive ad magnam assisam vel aliter sicut inter alios. Si autem warantum non habuerit & in propria persona respondere voluerit, duo habebit remedia propter breve de recto, quorum eligere poterit unum vel ponere se in Juratam utrum terr' petita sit libera eleemosyna vel laicum feodum, ac si ipse laicus ab initio petierit per assisam, & propter hoc non vertitur causa proprietatis in causam possessionis quamvis utramque deter-

minet

minet vel se defendere poterit per duellum vel per magnam assisam, quod ei benè licebit si potestas ordinaria consensusq; patronorum hoc permiserit. § 11. Item respondere poterit Clericus quod Antecessor talis nunquam fuit seisitus. § 12. Item si laicus petat in Dominico quod petere debet in servicio cadit assisa. § 13. Item propter feloniam objectam & reprobatam. Nam si quis tenuerit de aliqua ecclesia aliquam terr' in libera eleemosyna pro servicio, si contingat talem feloniam facere vel mori sine hærede, ten' illud erit escaeta ecclesiæ sicut cujuslibet privatæ personæ propter servicium & jus merum quod non poterit ad alium descendere, & si homagium intervenerit sic evanescit; veruntamen si ecclesia vel persona ejus nomine nihil perceperit nisi nomine eleemosynæ ubi percipere poterit nomine escaetæ. § 14. Item propter bastardiam, nam si quis bastardus feoffatus fuerit tenend' de ecclesia, & talis hæredem non habuerit de corpore suo & inde obierit seisitus ut de feodo, tale ten̄ erit escaeta ecclesiæ. § 15. Cum autem assisa capiatur in modum assisæ & pro laico fecerit judicium, & ten̄ ad laicum feodum falso convincatur, Juratores de perjurio poterunt convinci si malè juraverint, dum tamen recenter & diligenter à Clerico prosequatur, post longum temporis enim intervallum transit judicium in auctoritatem rei judicatæ, tempus tamen non est diffinitum.

De Convictionibus, videl: Juramentis. CAP. 22.

JUramentum est affirmatio vel negatio de aliquo attestatione sacræ rei firmata. Causa institutionis duplex est, scil: propter incredulitatem hominum, & propter idolatriam vitandam. Juramentum autem meritorium est quia per illud subvenitur proximo, & magis licitum est per ipsum Creatorem jurare quam per creaturas. Inhibetur tamen ne quis per membra Dei ipsum blasphemando juret. Ad rectum juramentum exiguntur tria, veritas & conscientia, judicium ut etiam verum non juret nisi propter necessitatem, & justitia ut juramentum sit licitum & honestum. § 2. Juramentorum aliud assertorium ut de præterito vel præsenti, & aliud promissorium ut de futuro. § 3. Perjurium autem est mendacium cum Juramento firmatum; & tribus modis committitur. Primò cum quis scit vel putat aliquid falsum esse falsum, & illud jurat esse verum. Secundò, quum quis fallitur & credit verum esse quod est falsum, & temere & indiscretę jurat. Tertiò, cum quis credat falsum esse & jurat verum quod verum est. § 4. Juramenti promissorii tres sunt modi; Primus cum quis jurat se facturum & dicturum aliquid illicitum vel inhonestum. Secundus cum licitum, & hoc cum solennitate sed indiscretè & absque necessitate. Tertius, cum sine solennitate in cursu verborum ex quadam levitate & consuetudine mala, ut sic, per Deum cras ibo ad ecclesiam vel jejunabo vel comedam carnes, inspectis tamen circumstantiis de re tamen licita; de juramento autem promissorio non fit convictio sed de assertorio cum juramentum vi vel metu justo viro extortum secundùm quosdam non obligat, quia quod vi metuve gestum est ratum non habetur; & alii dicunt quod juramento promissorio excusat metus,

tus,& non assertorio ; & alii dicunt & melius, quod quamvis fuerit metus semper obligatur si possit illud servare sine intentu salutis æternæ. § 5. Si servus cogatur scienter à domino perjurus uterque est perjurium; qui autem provocat eum ad jurand' quem scit falsum jurare vel exigit vel recipit juramentum, vel vincit homicidam ; quia homicida solum corpus occidit, iste verò animam suam & alterius; & peccat qui alium audit falsum jurare, scit, & tacet; Nec intelligitur perjurare qui ex licita causa deserit juramentum, ut si fidem juraverimus invicem si mihi fregisti non teneor tibi hosti cum servanda est fides promissa cum fidem servaverit hostis: sed furioso non est gladius reddendus propter juramentum donec sanetur. Nec etiam tenenda sunt juramenta in illicitis neq; inhonestis vel in portalibus vel ubi adhibetur ars vel dolus. § 6. Mendacium est falsa significatio vocis cum intentione fallendi. Mendaciorum octo sunt genera,primum est in doctrina Religionis vel fidei, ut Christum non natum esse de virgine, vel simile contra articulos fidei. Secundum, ꝙ nulli prodest & obest alicui vel mendacium falsi testis vel detractoris. Tertium, quod ita prodest alicui quod non obest alteri, ut mendacium testis in causa pecuniaria. Quartum, quod fit sola mentiendi fallendiq; libidine. Quintum, quod fit placendi cupiditate adulationis. Sextum,quod nulli obest,prodest tamen alicui ad evitand' periculum pecuniæ. Septimum, quod fit ad evitandum periculum personæ scil: mortem. Octavum ad evitandum periculum corporis & animæ aut pro continentia. Mendaciorum aliud perniciosum sive malignitatis, aliud officiosum sive pietatis,aliud jocosum. Nullus autem perfectus mentiri debet pro vita alterius redimenda, unde Augustinus, ad sempiternam salutem nullus est deducendus opitulante mendacio. Cum autem contigerit ꝙ Juratores falsum fecerint sacramentum ad querelam ejus qui per assisam amiserit convinci poterunt de perjurio multis modis. § 7. Quandoq; enim per sacramentum 24 legalium hominum, quandoq; ex ore proprio per examinationem Judicis, & quandoq; ex propria voluntate & pœnitentia, in quibus casibus non est par pœna infligenda. § 8. Cum autem Juratores fuerint convincendi videndum erit quot Juratores fuerint in assisa vel in Inquisitione ut quilibet duos habeat convictores, & si plures habeat, non nocet, ita quod omnes sunt ejusdem conditionis vel melioris cujus sunt 12 Juratores. Et cum de convictione agatur potest esse in causa tam Justic' quam Juratoꝝ, stand' tamen non erit soli Recordo Justic' donec per convictionem mutetur, ante omnia igitur & antequam Juratoꝝ summoneantur videnď erit record' & examinand' ut si Justic' fuerit in culpa, hoc Juratoribus non imputetur, nec è converso. Audito igitur Recordo statim perpendi poterit & non prius utrum assisa capta fuerit in modum assisæ processum fuerit, tunc procedatur ad convictionem, & non aliter nisi in quadam Inquisitione liberum ten' tangente, de qua statutum est quod convictiones fiant ex gratia tamen principis; Constitutio verò talis est. Cum autem plures in fide minus timeant falsò jurare quam debent per quod plures frequenter exhæredationem patiuntur, unde si pœna adhibetur mag' sibi fortè præcaverent,provisum est quod ad Inquisitiones & Juratas liberum ten' jura libertates aut eorum per-

tinen̄ tangentes concedit Rex convictiones quotiescunq; sibi videbitur expedire. § 9. Committit enim Jurator perjurium quandoque propter falsum sacramentum, ut si ex certa scientia aliter juraverit quam res in veritate se habuerit. Secus enim propter fatuum quamvis falsum. Præterea sunt quidam qui dicunt verum, mentiri poterunt tamen si corpora mentes gerint, & quidam qui fatuum faciunt sacramentum & falsum per negligentiam vel per ignorantiam examinationis, & indè sequitur pronunciatio judicii, & cum cont' mentem judicaverint tunc falsum reddit judicium quamvis dealbatum, & quo casu tenebitur ex malefacto male pronunciando & justum judicium Juratorum scienter pervertendo, verumtamen si per imperitiam vel grossam ignorantiam possit excusari, mitius agend' erit cum eo quoad pœnam, non tamen quod maleficium remaneat impunitum. § 10. Si autem Juratores minus bene examinati obscurè dixerint vel ad interrogata non responderint, sed dubio vel justo errore ducti veritatem non dixerint in parte vel in toto, tunc examinato Recordo locus erit potius certificationi quam convictioni ex tali causa ut Juratores de incerto faciant certum & de dubio verum, & de errore revocentur ad veritatem; verumtamen si Recordum sufficiens fuerit & planum, non erit locus certificationi cum Juratoꝝ Recordum mutare non valeant, quia sic præferretur eorum dictum Recordo Justiciaꝝ, quod esse non debet nisi querimonia fiat de Judice tantum, & quo casu [illegible]tum Juratorum præferendum erit nec poterit Judex per proprium Recordum de sua injuria subveniri; secus verò esset si inter partes vocaretur Recordum ubi Judex non fuerit pars in querela, & quo casu præferri debet Recordum. Juratores autem ante judicium dictum suum emendare poterunt, post judicium verò non sine pœna. § 11. Ut autem plenius sciatur quando locus sit convictioni & quando non, videndum erit Recordum utrum assisa capta fuerit in modum assisæ vel in modum Juratæ. Et utrum assisa vel Inquisitio capta fuerit in præsentia tenen̄ vel non. Si autem fuerit ibi exceptio proposita, aut est peremptoria brevis tantum & non actionis propter errorem provenientem ex nomine vel loco, & non tangit assisam, vel peremptoria tam assisæ quam brevis. Si autem primo modo, non erit locus convictioni licet Juratores falsum dixerint vel erraverint, quia actio & assisa integrè manent quia non cadit nisi breve tantum durante actione & assisa in suo statu, quia de hujusmodi veritate inquiritur quandoque cum sacramento & quandoque sine. Si autem secundo modo, ut si quis petat per assisam vel per aliud breve ten̄, ubi petere debet redditum; si juratoꝝ dicant pro petente locus erit convictioni propter errorem rei, si assisa capiatur in modum assisæ. Secus enim si in mod' Juratæ. Si autem breve competens fuerit & cum querens vel petens intentionem suam proposuerit & tenens excipiat cont̄ articulos brevis & cont̄ intentionem & illos in toto vel in parte negaverit, tunc oportebit querentem vel tenentem intentionem suam probare per assisam vel per inquisitionem. § 12. Et quo casu si Juratores male juraverint locus erit convictioni quia as' capiatur de articulis brevis in modum assisæ si sit assisa. Si autem talis sit exceptio quæ non tangit aliquem articulum brevis & ex toto concedatur intentio querentis

rentis,& querela justa videatur; elidi tamen poterit per exceptionem, ut si incidat alia actio opposita in modum exceptionis, ut si tenens dicat se esse in possessione & justè per conventionem vel conditionem, & hoc probare paratus sit per assisam, sed eliditur actio & assisa præcedens cum denegari non poterit; oportet igitur probare conventionem quæ est alia actio & extra assisam, quæ & multas habet probationes. Probatur enim quandoq; per instrumentum & per testes,quandoq; per assisam pro defectu cartæ captam in modum Juratæ de consensu partium, & si proponens probare voluerit quod dicit exceptio nulla erit & querens obtinebit. § 13. Si autem querens se ponere voluerit in Juratam denegetur ei actio, & quo casu non erit locus convictioni propter consensum. Et illud idem erit si status opponatur in modum exceptionis & fiat assisa si querens personam habeat standi in judicio, & quod petere possit per assisam, oportet quod tenens probet illum esse talem quia intentio querentis in toto conceditur si personam habeat standi in judicio, quo probato vel non probato terminabitur actio, sed per parentes non debet probatio admitti cum præjudicaretur domino si talem excipientem petere vellet in servitutem si probatio faceret pro servo, sed de servo existente sub potestate Domini admitti poterit probatio per parentes, & quo casu terminabitur quæstio status unico judicio & assisa. Si autem servus clamaverit in libertatem & cont̃ Dominum objicientem super servitutem petierit judicium si ponere se debet in assisam de statu ante restitutionem terræ & bonorum, cessabit judicium & alia actione opus erit Domino, eo quod servus ad aliam responsionem compelli non debet dum tamen in statu fuerit libero nisi gratis hoc voluerit; probare enim poterit tenens exceptionem suam multis modis, sicut per parentes petentis si eos ad manum habuerit, & si non, alium diem ipsos habere sufficiet,& si nullos habuerit per instrumentum exceptionis vel in fine per assisam si aliam non habet probationem: Cont̃ quam petens replicare poterit multipliciter. Dicere enim poterit quod liber sit & paratus se liberum probare per parentes, vel per instrumentum manumissionis, vel per privilegium. Si autem nihil replicando proposuerit petens, tunc in fine per ass' in mod' Juratæ captam judicabitur, nec ei præjudicabitur imposterum quoad statum quamvis Jurata cont̃ eum fecerit, nec erit locus convictioni cum non capiatur in modum assisæ. Servitus enim opposita nihil tangit assisam magis quam conventio, sed semper manet assisa integra quamvis per exceptiones fuerit elisa. Si autem capta fuerit assisa in absentia tenentis, vel cum præsens fuerit non exceperit sed statim se posuerit in assisam sive Jurator̃ dicant pro uno sive pro alio in articulis brevis & falso cum dicant fortè conventionem intervenisse, vel quod querens servus sit vel bastardus cum non sit, vel aliud quid tale ꝙ loco exceptionis proponatur à tenente, locus erit convictioni quia assisa capta est in mod' assisæ licet quasi de consensu partium. Si autem cum tenens absens fuerit nil dicatur contra assisam ex providentia discreti Justic' tenentur Jurator̃ reddere rationem de veredicto suo, & si postmod' de convictione agatur per justam ignorantiam & per justum errorem poterunt Juratores excusari. In magna autem assisa non jacet convictio eo quod tenens

gratis & non de necessitate ponit eum in magnam assisam, cum in electione sit ejus vel duellum. § 14. Item est quoddam sacramentum quod à parte parti defertur in judicio in quo nulla sequitur convictio, & similiter à Judice parti, sufficiat enim Dominum ultorem expectare. § 15. Item de dampnis nulla sequitur convictio sed potius certificatio, ut si Juratores nimis gravaverint disseisitorem in dampnis. § 16. Item in purgationibus nec in defensionibus per leg' contra sectam productam, nec in Inquisitionibus Juratis generaliter locum habebit convictio. Sunt tamen quædam Juratæ speciales quæ quandoq; convictionem admittunt, ex gratia tamen principis per constitutionem. § 17. Si autem in Juramento vel judicio aliquando sit erratum videnď erit si error sit excusabilis vel non, ad hoc ꝙ mitigetur pœna. § 18. Si autem crassa sit ignorantia ut si factum de facili sciri non possit nisi per præsumptionem, ut si conventio vel contractus aliquis sit factus in occulto ita quod pauci præsentes extiterint, talis error excusabilis est. Si autem in publico & palam, ita quod omnes de patria vel quasi hoc sciverint & soli Juratores hoc ignoraverint vel dubitaverint, non excusantur à perjurio. Si autem factum narraverint sicut veritas se habuit & Justic' secundùm narrationem suam judicaverint, judicium potiùs erit fatuum quam falsum, cum credant tale judicium tale sequi factum, falsum tamen erit judicium: necessaria est igitur diligens examinatio Judicis in omni assisâ & errorem redigant in veritatem, & cum obscurum sit judicium recurrend' erit ad majus consilium; De singulis enim dubitare non est inutile, & velox consilium sequitur pœnitentia. § 19. Non enim competit cuicunq; petenti convictio sed ipsi tantum cui competit ass' sicut ipsi qui in seisina fuerit nomine proprio & non alieno. Nec ad eosdem Justic' pertinebit captio convictionis, certificationis & assisæ nisi recenter convictio petatur, in quo casu capi poterit sine brevi ex officio Judicis ex virtute sui war̄, quia cum cui aliqua causa delegetur omnia videntur ei concessa sine quo causa explicari non possit. Cum igitur convictio & certificatio ex ass' dependeant nec sine convictione vel certificatione plenè terminari possit ass' ad ipsum merito pertinebit capere convictionem & certificationem cui competit plena jurisdictio capiendi ass', post tempus autem transibit judicium ass' in rem judicatam nec sine brevi deinceps capi non poterunt, & quamvis hujusmodi exceptiones, convic' vel certificationes extra com' capiantur, non tamen præjudicabitur carta de libertatibus eo quod aliud privilegium habet ass' & aliud Jurata. § 20. Per hoc autem quod forma brevis Originalis inseri debet in brevi de convic' videtur aptè quod convictio tantum locum habet de articulis in brevibus ass' contentis ubi nulla objicitur exceptio, sed capitur in modū ass'; & quod ubi excipitur de conventione vel opponitur causâ status vel hujusmodi locum non habet convic', quia vertitur ass' in Juratam ad inquirend' de exceptione si dedicatur, vel si nō fiat secundum conventionem eo quod necessitas juris partes ad hoc compellit. § 21. Impetrato igitur brevi ex parte summ', bene poterit summ' ad diem suum essoniari, & cum alio die præsentes fuerint partes & 24. non venerint, detur alius dies & 24 attachientur quod sint ad illum diem, præsentibus itaque Juratoribus & querente, si summonitus non venerit, attachietur.

Et

Et si querens non venerit præsente illo de quo queritur recedat Jurata sine die, expectato tamen quarto die summonitionis & plegii pro querente de prosequendo in misericordia. § 22. Cum autem partes in judicio comparuerint in præsentia 12 & 24. & summonitus nihil exceperit contra Juratores nec alio modo quare convictio debet remanere ad tempus vel imperpetuum, tunc inprimis audiatur Record' assisæ secundum quod capta fuerit, & inquiratur à querente in quo vel in quibus 12 Jurator' falsum fecerint sacramentum in articulis brevis vel etiam in quæstionibus vel exceptionibus si ass' capta fuerit in mod' assisæ,& ubi nulla fuerit proposita exceptio à tenente sed dicta post sacramentum à Juratoribus, & quo casu locus erit convictioni si Juratores male juraverint in exceptionibus sicut in articulis principalibus in brevi comprehensis, & secundum quod ita fuerint sicut querens dicit vel non procedat jurata per sacramentum 24. § 23. Jurare debent in modum Juratæ, & non in modum assisæ, & cum juraverint Justic' ostendat eis formam querelæ & super quibus dicere debeat veritatem, utrum videlicet ille qui queritur justè fuerit disseisitus, vel non, & rationem dicti querentis eis exprimat, & secundum quod dixerint pro una parte vel pro alia sequitur absolutio vel condemnatio. Et cum 24. pronuntiare veredictum suum sint parati, diligenter in pronuntiatione sunt à Justic' examinandi, ut dictum suum rationibus probabilibus vel saltem manifestis præsumptionibus affirment. § 24. Decipi enim poterunt 24. sicut & decepti fuerunt primi Juratores, & quo sequeretur falsa pronuntiatio vel fatua. Si autem discordes inveniantur 24. in veredicto suo associentur eis alii pro afforciamento. Si autem nihil sciverint de veritate intercedentibus interrogationibus & examinationibus, remanebit suo loco possessio, eo quod querens nihil probat, & idem erit si dubitaverint. Si autem concordes veredictum pronuntiaverint & idem dixerint quod & 12. vel plures sic remanebit possessio cum tenente, quia 12 verum fecerint sacramentum, & querens custodiatur in gravi prisona pecuniaria pœna redimendus. Si autem veredictum ultimum contrarium sit primo, per hoc remanebunt primi de perjurio & falsitate convicti, & considerand' erit quod prædicti 12. malè & falsò pronunciaverint, & quod querens recuperet seisinam & tenens in misericordia, & quod Juratores si præsentes fuerint custodiantur, & si absentes tunc capiantur. Sed si 12 concordes non fuerint in assisa capienda, sic poterunt 24 quosdam liberare. Si autem 24 varia dixerint dum tamen in principali convenerint secundum quod pro una parte dixerint vel pro alia validum erit veredictum eorum. § 25. Pœna autem convictorum hæc est. Inprimis capiantur & in gaolam detrudantur & omnes terræ & omnia catalla in manu Reg' capiantur, & extra manum suam redimantur cum perpetua infamia, per quam lege libera deinceps non poterint congaudere, quorum sacramentis vel dictis nunquam erit aliquatenus fides adhibenda. Excusantur tamen quoad infamiam quamvis non ad pœnam redemptionis illi qui sponte sine querela læsas habentes conscientias de sacramento cum justo ducti fuerint errore dictum suum corrigere petierint, &

quo

quo casu suspenditur sacramentum 24. dum tamen omnes primi Juratores sic poenituerint & finem fecerint pro redemptione, & tunc praecipietur vic' quod fac' querenti secundum formam judicii. Suspenditur autem sacramentum 24. per concordiam partium, & quo casu fiat seisina,& praecipiatur vic' secundum formam concordiae. § 26. Et sunt casus in quibus remedium sequitur convictionem, ut si Justic' noluerint exceptiones cont Juratores vel alias rationabiles causas allocare, & quo casu erit convictio omnino revocanda; Et eodem modo si defectus fuerit in Justic' magis quam in Jurator subveniend' est convictis & errorem suum corrigant, & etiam sub specie certificationis adhiberi poterit remedium post convictionem, cum Juratores obscurè dixerint, dubiè vel variè. § 27. Impeditur quandoque convictio per exceptiones contra Juratores, quandoque tamen judicium primum non exequatur in toto vel in parte, ut si querens nondum habuerit seisinam rei judicatae ejus dampna in toto vel in parte, & quandoque cum ille qui de falso sacramento queritur auctoritate propria & sine judicio se intruderit in rem in qua sit contentio vel aliquam ejus partem. § 28. Item redisseisina quandoq; impedit convictionem,ut si ille qui per assisam amiserit iterum fecerit disseisinam versus eundem in toto vel in parte, quia sine judicio jus suum sibi usurpavit, & ante convictionem, quare querelam suam de convincendo merito amittit. § 29. Assisa autem super assisam capienda non est, nec convictio super convictionem, dum tamen inter easdem personas & de eâdem re cum diversitas facti non intervenerit, exceptione tamen unius assisae quandoque sequitur una convictio & quandoque duae, ut si Jurator totum dedisse debuerint vel abstulisse, non dederunt vel abstulerunt nisi partem, & quo casu per eosdem debent capi Jurator ne una aliae sit contraria quamvis diversis temporibus capi debeant.

De Constitutione Dotis. CAP. 23.

QUoniam publicè inest mulieris dotes suas habere in favorem affectionis matrimonii & ut iterum nullae possunt nubere, ideo de dote quae est accessoria matrimonio agend' est. § 2. Est autem dos, & dos rationabilis; dos quidem est id quod liber homo dat sponsae suae ad ostium Ecclesiae propter onus matrimonii & nuptias futuras ad sustentationem uxoris, & ad liberorum educationem cum fuerint procreati si vir praemoriatur. § 3. Et sicut masculus quilibet donare potest, ita fieri poterit cuilibet foeminae cujuscunque fuerit aetatis ultra aetatem 9 annorum & dimidii quia minor non poterit dotem praemereri neque virum sustinere, nec obstabit mulieri petenti minor aetas viri. § 4. Non enim semper vel ubique poterit constitui, sed tamen in initio contractus & ad ostium Ecclesiae in ipso contractu, non tamen clam sed palam coram populo praesenti, sicut namq; clandestina conjugia haec praejudicant quoad successionem in uxoribus quoad dotis petitionem; natura igitur dotis est quod ubi matrimonium solempnizatur locum habebit dotis exactio,& non aliter nisi in vita contrahentium dissolvatur,& quo casu dissoluto cessabit dotis petitio nisi aliter ab initio convenerit, quod maritus pignoratoriam cautionem vel fidejussoriam praestiterit uxori de

de dote quam ſtatim vel congruo tempore reſtituenda, ſi ſententia divortii fuerit inter eos promulgatura. Dotis quidem ſpecies duæ ſunt; alia perfectiva, alia adventiva: perfectiva eſt quæ à patre pro filia, vel ab avo pro nepte, vel de bonis eorum datur, vel quam alius dat mandato vel nomine eorum; Adventiva dos eſt quam ipſa mulier dat pro ſe, vel aliquis alius à patre vel avo, ſive ſit frater ſive avunculus, ſive alius quivis à ſuis. § 5. Item dos alia datur æſtimata, alia inæſtimata; Si æſtimata detur, tam lucrum quam dampnum pertinet ad maritum ſicut ad rei emptorem. Si verò inæſtimata detur, dampnum & lucrum ejus pertinet ad mulierem plerumque exceptis fructibus qui pertinent ad maritum propter onera matrimonii quæ ſuſtinet, quia debet alere liberos & uxorem. § 6. Eſt etiam quædam dos quæ dicitur paraferna quæ eſt quod mulier habet poſt vel per dotem undecumque & ante matrimonium & conſtante matrimonio, ut ſi fiat viro & uxori ſimul, vel uxori per ſe, talis donatio non cadit in partem, eo quod pura eſt, & non ob cauſam matrimonii licet facta fuerit à parentibus. Habet autem paraferna privilegium ad inſtar dotis, ſicut enim uxor habet omnia bona mariti tacitè obligata pro dote, ſicut & pro rebus parafernalibus marito dati. § 7. Donatio verò propter nuptias eſt quod ſponſus dat ſponſæ, hujuſmodi donationis proprium eſt ut paciſcatur maritus de parte dotis lucranda, uxore præmortua tantum debet jure lucrari de donatione propter nuptias viro præmortuo. § 8. Lucratur maritus dotem tum ex pacto, tum ex lege; ex pacto, ut ſi paciſcatur de tota dote lucranda vel ejus parte lucretur, & ſi mulier adulterium committat conſtante viro. Item facto inter eos divortio. Item præmoriente uxore. § 9. Videnď eſt etiam quod dos debet reſtitui, & tenenď quod ſi dos conſiſtat in poſſeſſionibus ſicut in rebus immobilibus, puta prædiis vel domibus, ſoluto matrimonio ſtatim debet reſtitui. Si autem in re mobili, puta veſtimento, jocalibus, pecunia, & hujuſmodi, tunc infra annum. § 10. Vir vero uxorem dotare poterit de terr̄ & teñ ſuis ſi quæ habuerit, dum tamen modum non excedat, ne vir egeat fortè, quamvis in præjudicium domini feodi forte pro cuſtodia, & ſic facit domino dampnum & non injuriam, & quo caſu ſufficiat domino ſolum relevium. Non tamen de omnibus Ten' dotari poterunt mulieres ſed de hiis tantum quæ viri purè tenuerunt ſibi & hær̄ ſuis, & ſimiliter de hiis de quibus viri vel eorum Anteceſſores feoffati fuerint ſibi & hær̄ certis & coartatis, ita quod contineatur per conditionem tacitam vel expreſſam; quod ſi hæredes non habuerint, vel ſi habuerint & defecerint, quod terra data revertatur ad donatorem, quia pura eſt donatio ab initio & purum feoffamentum quamvis per conditionem diſſolutam. In donatione verò quæ ex inſidiis dependet fortunæ non fit feodum ſed liberum ten' tantum, ſed cum fortuna advenerit quamvis deficiat accreſcit donatorio feod' & tunc primo fit donatio pura & uxori per conſequens competit actio dotis. § 11. Dos vero rationabilis eſt tertia pars omnium terrarum & ten' de feodo militari quæ vir ſuus tenuit in dominico ſuo ut de feodo, ita quod eam inde dotare potuit die quo eam deſponſavit. § 12. In majori enim quantitate conſtitui non poteſt, poteſt tamen in minori, dum tamen uxor in conſtitutione ſe

W.2.ca.17. tenuit contentam; excessus tamen si fuerit per assignationem alteriùs quàm hæredis per admensurationem revocabitur per tale Statutum. § 13. Custodi concedatur breve de admensuratione dotis, nec per sectam custodis si ficte per collusionem secutus fuerit versus mulierem tenentem in dotem præcludatur hæres cum ad ætatem pervenerit ad dotem admensurandam secundùm quod per legem terr̄ fuerit faciend', & cum perventum fuerit ad magnam districtionem dentur dies infra quos duo Com' teneantur ad quos publica fiat proclamatio quod si defendens veniat ad diem in brevi contentum querenti responsurus. Ad quem diem si venerit procedat placitum inter eos, & si non venerit & proclamatio per vic' fuerit testificata, procedatur ob ejus defaltam ad admensurationem faciendam, & non solum constitui poterit dos de terris & ten' habitis sed habendis, & post mortem tenentium reversuris, & quo casu expectabit uxor mortem hujusmodi tenentium nisi aliter ab initio convenerit quod assignetur ad valentiam in tenentia quousque hujusmodi dos fuerit per mortem tenentium deliberata. § 14. Et quamvis dos assignari possit ab initio tam in integris maneriis quàm in tertia parte omnium maneriorum, maner̄ tamen quod est caput Baroniæ integrè remanebit hæredi dum tamen de aliis terris sufficienter dotari possit, veruntamen si plura sint maneria Baroniarum capita & non sint aliæ terræ de quibus mulier dotem suam consequi possit, de necessitate de hujusmodi maneriis dotari oportebit. Necessitas enim sub lege continetur,& quod aliàs non fuit licitum, necessitas licitum facit. Et quod dicitur de Baroniis de Comitatibus intelligatur idem quod secus autem de Vavasoriis & aliis minoribus feodis. § 15. Constitutio autem dotis ab initio sic fieri poterit quod vir assignare poterit uxori pro dote sua aliquid certum. Ita tamen quod si illud pro dote rationabili sufficiat, sic ei integrè remaneat, & si quid defuerit perficiatur ei, & superfluum si quid fuerit restituatur hæredi. § 16. Et sciend' quod mulieres dotari poterunt in certo ten', ita dotari poterunt in certa summa pecuniæ vel in certa summa aliorum catallorum dum tamen pro omni dote terrarum vel ten' de illa summa sint contentæ, hujusmodi tamen dotes peti non poterunt nisi quatenus catalla defunctorum sufficiant. § 17. Poterit tam dos constitui ab uno viro tamen pluribus uxoribus quam uni omnibus superstitibus existentibus vel successivè cum decesserint,vel cum sententialiter separati fuerint in eodem regno, legitima tamen probata in foro Ecclesiastico aliis est præferenda. Si autem probatio deficiat illa quæ in viri possessione tempore mortis fuerit constituta aliis præferetur. Si autem vir tempore mortis non magis unam possidebat quam aliam nec quæ illarum legitima extiterat constare possit, nulla obtinebit. Si autem uxor una pluribus nupserit in vita omnium ab omnibus dotem non obtinebit, cum nullius sit uxor legitima nisi unius tantum simul & semel, licet successivè possit. § 18. Si autem constituatur dos fraudulenter de tertia parte omnium ten' perquirendorum cum esse poterit quod nunquam faciet perquisitum, & uxor indotata esse non debet, distingui debet talis constitutio ad constitutionem legitimam tertiæ partis omnium terrarum & ten' habitarum vel dimidiæ partis secundum naturam ten' & locorum consuetudinem.

tudinem. § 19. Præterea nec valebit dotis constitutio de terr̃ & teñ quæ vir injústè emerit de jure alieno, dum tamen ea per judicium amiserit; Secus enim si jus proprium per defaltam vel concordiam amiserit secundùm constitutionem quæ talis est. § 20. In casu quando vir implacitatur de teñ & reddit teñ petitum adversario suo, & in casu quando vir amittit ten' petitum per defaltam, si mulier post mortem viri sui petat dotem de tali ten', ordinatum est in utroque quod si excipiatur cont̃ ipsam quod vir suus ten' de quo dos petita est amisit per judicium, per quod dotem habere non debet, inquiratur per quod judicium, & si compertum fuerit quod per defaltam vel concordiam tunc ostendat tenens quod jus habuit in prædicto ten' secundum formam Brevis quod prius super virum impetravit vel indefensus remaneat. Quod si non poterit recuperet mulier dotem, & si poterit recedat quietus & uxor nihil capiat per breve suum. § 21. Poterit enim constitui dos certa & nominata, & incerta & non expressa in re aliena sicut in re propria, ut si quis dotaverit uxorem suàm de hæreditate paterna vel materna in vita parentum ipsis assensum præbentibus, & nisi eorum assensus intervenerit nullius erit effectus. Refert tamen quandoque qualiter fieri debeat dotis constitutio de hæreditate Antecessoris, quia si Antecessor uxorem habeat superstitem quam ab initio de tertia parte omnium terrarum Antecessoris extitit dotata, & non poterit uxor hær̃ eodem modo dotari quin præjudicetur alteri; oportebit igitur quod de tertia parte duarum partium & de tertia parte tertiæ partis cum deliberari contigerit constituatur, & è converso, si pater sine uxore extiterit in constitutione dotis filii, & postea ducat uxorem. § 22. Et postquam dos sic semel rite constituatur vel in præjudicium hær̃ augmentari poterit per aliquem contractum habitum inter virum & uxorem constante matrimonio, nec in præjudicium uxoris minui. § 23. Et cum aliquando contingat quod mulier non habens jus petendi dotem hær̃ alicujus infra ætatem existentis impetret breve de dote super custodes, ac custos per favorem mulieris dotem reddiderit, vel defaltam fecerit, vel placitum motum ita ficte per collusionem defenderit, per quod dos in præjudicium hæredis mulieri fuerit adjudicata; Provisum est quod hæres cum ad ætatem pervenerit haberet actionem petendi seisinam Antecessoris sui versus mulierem qualem hæres versus quemcunq; alium deforciatorem, ita tamen quod salva sit mulieri versus petentem exceptio ostendendo quod jus habet in dote sua. Quod si ostendere poterit recedat quieta, & dotem suam retineat, sin autem, recuperet hær̃ petitionem suam. § 24. Et eodem modo subveniatur mulieri si hæres vel alius eam implacitaverit de dote sua si dotem suam per defaltam amiserit, & quo casu non erit defalta in tantum sibi præjudicialis quin dotem suam si jus habeat recuperare possit, & fiat ei tale breve. § 25. Præcipe A. quod juste, &c. reddat B. quæ fuit uxor C. tantam terram cum pertinentiis in tali villa quã clamat esse rationabilem dotem suam, vel de rationabili dote sua, & quam prædictus A. ei deforciat; & ad istud breve habeat tenens exceptionem suam, ostendendo quod mulier jus non habet in dotem. Quod si verificare poterit recedat quietus, alioquin recuperet mulier ten' quod prius tenuit

in dotem, maritagium autem per defaltam amiſſum recuperabit per breve de ingreſſu.

De Aſſignatione Dotis. CAP. 24.

MOrtuo autem viro, tunc primo confirmatur dotis conſtitutio, in quo caſu ſtatim fiat aſſignatio & deliberatio tam de dote ſua quam de maritagio & ſua hæreditate ſine alia difficultate vel aliquo fine cui manere licebit per 40 dies in meſuagio capitali poſt obitum ſui mariti, ut interim fiat ei deliberatio memorata niſi capitale meſuagium illud fuerit cap' Com' vel Baroñ vel caſtri, & quo caſu providetur ei menſio in loco competenti, cui inveniantur ibidem neceſſaria honeſtè de hæreditate communi, donec rationabilis dos ejus ei fuerit aſſignata. Cumque dotata fuerit non diſtringatur ad ſe maritand' dum vivere voluerit ſine viro; licebit tamen domino capitali diſtringere donec ſecuritatem præſtiterit quod non maritabitur ſine aſſenſu ſuo capitali dico, quia non cuilibet ſed uni tantum. § 2. Dotes autem hujuſmodi mulieribus aſſignentur ſecundùm quod ad oſtium Eccleſiæ fuerint conſtitutæ in eodem ſtatu in quo in morte virorum fuerint cultæ vel incultæ, cum fructibus, redditibus & omnibus aliis pertinentiis. § 3. Si autem ſit aliqua pars dotis quæ non vacaverit, illam partem petant mulieres per breve de recto de dote ſi voluerint. § 4. Cum autem nihil vacaverit tempore mortis viri ſed extiterit hæreditas in manus aliorum alienata, non habent teñ neceſſe ſtatim dotem facere mulieri niſi velint cum juſtam cauſam habeant reſiſtendi, & ad warantum vocandi, ſed ſi reſiſtentia intervenerit fraudulenta eo ipſo recuperabit mulier dampna ſua, quæ occaſione dilationum ſuſtinuit per hanc conſtitutionem de Merton. § 5. De viduis autem quæ poſt mortem virorum ſuorum expelluntur de dotibus ſuis vel quæ dotes ſuas vel quarentenam ſuam habere non poſſunt ſine placito, Proviſum eſt quod quicunq; eis deforciaverit dotes ſuas, de quibus viri ſui obierunt ſeiſiti, ac ipſæ viduæ poſtea per placitum recuperaverint ac ipſi deforciatores de injuſto deforciamento convicti fuerint, eo ipſo reddant hujuſmodi viduis dampna ſua, ſcil. valorem totius dotis eas contingentis à tempore mortis virorum ſuorum uſque ad diem quo ipſæ viduæ per judicium Cur' Reg' ſeiſinam ſuam recuperaverint, & ipſi deforciatores nihilominus in miſericordia Regis remanebunt. § 6. Tria autem ſunt brevia de dote unde nihil habet. § 7. Primum enim commune breve ut ſuprà per quod petitur tertia pars teñ quod fuit viri ſui die quo eam deſponſavit, & poſtea; & aliquando medietatem ſicut de ſocagio, non tamen de omnibus ſocagiis ſed de antiquis, & de hiis de quibus mulieres dotari conſueverunt ſecundum loci & patriæ conſuetudinem; quod quidem breve quandoq; fit clauſum cum mulieres nihil habent omnino, & quandoq; patens cum aliquid habuerint, & aliquid defecerit. In brevi autem clauſo adjudicentur dampna mulieribus, ſed in patenti non, præcipuè de ten' per viros alienatis. § 8. Aliud verò eſt breve ſicut de dote nominata, ut cum vir dotaverit uxorem ſuam in certo loco de re certa & expreſſa, ſed hoc fit quandoq; de majori quam de tertia parte, quæ quidem donec per admenſurationem

ſurationem fuerit revocata cum muliere debet remanere, quandoq; verò de minori, & quo caſu amplius non poterit ſibi vindicare probato quod in dotis conſtitutione inde tenuit ſe contentam, alioquin rationabilem partem recuperabit. Et in quibus caſibus omnibus recuperabunt mulieres dampna cum dotem recuperaverint, forma brevis talis eſt. Præcipe A. quod juſtè reddat B. quæ fuit uxor C. tale manerium, de quo prædictus C. quondam vir ſuus eam dotavit nominatim ad oſtium Eccleſiæ quando eam deſponſavit. § 9. Aliud eſt breve proditum ſuper dote profectitia, quæ quandoq; fit de certo teñ expreſſo in conſtitutione, & quandoq; de tertia parte omnium ten' patris. In quo ſimiliter dampna debent judicari. § 10. Forma brevis talis eſt. Præcipe A. quod reddat B. quæ fuit uxor C. tale manerium vel tertiam partem talis ten' de quo vel de qua prædictus C. eam dotavit de aſſenſu & voluntate talis patris ipſius C. ad oſtium Eccleſiæ. § 11. Aſſignatio vero dotis non fit per particulas, ſed integrè fieri debet, videlicet tertiam partem omnium terrarum & ten' quæ Anteceſſor habuit in dominico,& omnino ſecundum conſtitutionem præcedentem, ſicut in dominicis villenag' feodis mil' & ſerviciis liberorum hominum & cum advocationibus Eccleſiarum. Et niſi ſpecialiter facta fuerit mentio de tertia præſentatione vel de advocatione alicujus Eccleſiæ in prima dotis conſtitutione, mulier in præſentationibus excludetur cum advocationes Eccleſiarum diviſionem non recipiant. § 12. In caſu tamen de manerio ad quod pertinuerit advocatio uno vel pluribus integrè cum omnibus pertinentiis abſque aliqua exceptione, & quo caſu mulier in præſentatione præferetur. § 13. Mulieres autem in dotum aſſignatione in capital' meſuag' ſive ſit caput Baroniæ ſive non, dum tamen non ſit niſi unicum manerium, partem ſibi vendicare non poterunt,nec de ſervoriis vivariis parcis vel gardinis vel aliquo quod infra clauſum meſuagii detineatur niſi hæres voluerit. Sed de villenag' meſuagiis unum ſibi liberetur & inde ſe teneat contentam, quod ſi nullum fuerit tunc provideatur ei in loco competenti quædam placea quæ ei ſufficere poſſit ad meſuagium in longum & latum ad valenc' tertiæ partis ædificiorum & de boſco communi fiat ei meſuagium. Si autem nihil fuerit in villenagio nec in dominico, tunc de neceſſitate recurrend' erit ad capitale meſuagium ut rationabilis dos ei inde liberetur. § 14. Item de feris in parcis nec de piſcibus in vivariis nec de homag' dotari debent. In piſcariis tamen quarum commoditatibus ex inſidiis dependent fortunæ tertium jactum retis habere poterit. § 15. Cum autem dos fuerit ei aſſignata & liberata ejus erunt cuſtodiæ maritagia relevia & eſcaetæ, & curiam propriam de ten' ſuis omneſque commoditates ex dote provenientes niſi hoc ſibi auferat conventio ſpecialis; Eſcaetas tamen niſi quoad vixerit obtinebit, nihil etiam confert mulier de dote ſua ad debita mariti acquietanda, eo quòd dos omninò debet eſſe libera. Et ſi peculium non ſufficiat mariti ad debita, hæres ſpecialiter tenetur ad animæ exonerationem; Temporaliter enim non tenetur niſi verſus Reg' & verſus alios verſus quos fuerit per Anteceſſorem obligatus, ſed tenetur dotem ab omnibus liberare, dotatamq; defendere & acquietare in ſectis faciend' & in ſeiſina ſua warantizare.

tizare. § 16. Si autem placitum de recto oriatur in dote in Cur tamen mulieris non poterit deduci sed hær propter juris vinculum quod est homagium quod propter dotem non dissolvitur; & eo quod mulier non habet feod' in dote sua per quod domina propriè esse poterit; Præterea in Cur ejus non possunt placitari aliqua quæ tangunt Coronam & dignitatem Regis, sicut libertates de Infangethef, visus Franci plegii, de namio vetito, nec aliqua nisi ea quæ pertinet ad fundum.

De Actione Dotis. CAP. 25.

ACtio autem dotis ubi mulier nihil habet alibi quam in Cur Regis non potest terminari, quia si duæ mulieres contenderint inter se in dotis petitione, ac utraque parata esset se probare uxorem defuncti & oporteret certiorari quæ illarum esset uxor legitima, quod fieri non possit nisi per loci diocesanum, ac alius quam Rex super hoc demandaret Episcopo quod inde inquireret Episcopus alterius mandatum quam Regis non teneretur obtemperare, & plures possunt esse causæ. Si autem aliquam partem habuerit mulier de dote, tunc non habet locum illud breve, sed breve de recto de dote, ubi nec duellum nec magna assisa nec esson' de malo lecti. § 2. Si autem de dote sua nihil fuerit ei assignata tunc competit ei actio dotis versus quoslibet possidentes, & ei restituatur dos sua cum fructibus medio tempore perceptis à tempore mortis viri sui, nisi possessor justam habeat causam litem defendendi per vocationem ad warantum, & si plures deforciantes fuerint in eodem Com' omnes in uno brevi simul poterunt comprehendi, secus si in diversis. § 3. Forma brevis talis est. Rex vic' salutem. Præcipe A. quod justè & sine dilatione reddat B. quæ fuit uxor C. rationabilem dotem suam quæ eam contingit de libero ten' quod fuit ipsius C. quondam viri sui in tali villa. Et si plures sint deforciatores in illo Com' tunc pro quolibet iteretur principium, & tunc dicatur & unde nihil habet ut dicit, ita quod nihil referatur ad dotem, & non ad villam, & tunc sic, & unde queritur quòd prædictus talis ei deforciat, &c. & nisi fecer, &c. § 4. Est etiam breve quod dicitur de rationabili parte de dote, quod tale est. Præcipe A. quod justè reddat B. tantum terræ cum pertinentiis in N. quod clamat esse de rationabili parte. § 5. Item est aliud breve de dote quod in Com' poterit terminari, quod tale est. Præcipimus tibi quod Justic' A. quod reddat B. quæ fuit uxor C. centum marcas quas idem C. ei assignavit in dotem ad ostium Ecclesiæ; unde nihil habet ut dicit, sicut rationabiliter monstrare poterit quod ei reddere debeat ne amplius, &c. § 6. Item de dote in Civitatibus & Burgis sic; Rex Vic' & Custod' London' salutem. Præcipimus vobis quod Justic' A. quod justè & secundum consuetudinem Civitatis vestræ London reddat B. quæ fuit uxor C. rationabilem dotem suam quæ eam, &c. § 7. Si autem ad diem suum non venerit summonitus nec essoniari se fecerit statim distr per magnum Cape, & eodem modo si defaltam fecerit post diem sibi datum per essoniator suum, & quo casu dabitur alius dies. Ad quem si A. defaltam fecerit recuperabit mulier; & eodem modo quamvis venerit & warrantum per auxilium Cur vocaverit & non fuerit secutus

cutus versus warantum.* § 8. Hæc autem actio de dote maturitatem desiderat, ideò constitutum est ob favorem mulierum dotes petentium quod in eorum actionibus quantum Cur̄ sustinere poterit sine juris offensione celeritatem consequantur, & quod sex dies si necesse fuerit habeat in Anno. § 9. Partibus autem in judicio comparentibus proponat mulier intentionem suam hoc modo. Hoc vobis ostendit B. quæ fuit uxor C. quod A. injustè ei deforciat tertiam partem tantæ terræ cum pertinentiis in tali villa, & ideò injustè quia prædictus C. quondam vir suus eam indè dotavit ad ostium Ecclesiæ quando eam desponsavit, & qui eam indè dotare potuit, quod si cognoscere velit gratum ei erit; sin autem, habet sectam sufficientem & secundum naturam aliorum brevium fiant narrationes.

De Exceptione. CAP. 26.

AD hoc autem quod mulier dicit in intentione sua unde nihil habet, si partem tamen dotis receperit ab ipso de quo queritur quamvis minimā, & hoc constiterit, cadit breve, nec de residuo ꝙ ei defuerit sibi poterit prospicere nisi per breve de recto de dote. Refert tamen an partem dotis suæ receperit ante impetrationem dotis suæ vel post. § 2. Si autem post & de eodem excipiente & in villa in brevi contenta, cadit breve. § 3. Si autem ante non cadet, & quo casu statutum est sic. § 4. In brevi autem de dote undè mulier petens nihil habet non cadit breve per exceptionem tenentis petentis judicium l' de brevi desicut supponit ipsam indè nihil habere cum aliquid habeat cum dotem suam de aliquo receperit pro parte ipsam contingente, nisi partem dotis receperit à se ipso in eadem villa ante brevis impetrationem, quia si partem dotis suæ receperit post breve impetratum quamvis ab ipso tenente, non propter hoc cadat breve mulieris cum dicere poterit ante judicium quod de residuo vel omissione est ei satisfactum. § 5. Dicere etiam poterit tenens excipiendo, quod mulier dotem habere non debet eo quod vir suus illud ten' undè petit dotem non tenuit in dominico, & si in dominico non tamen ut de feodo, die quo eam desponsavit vel postea. Si autem per virum vel ejus antecessorem facta fuerit alienatio ten' ante desponsationem ad terminum vitæ ipsius viri, talis alienatio mulieri non præjudicat, eo quod terminarius nihil habuit nisi usumfructum. § 6. Item in omnibus brevibus de dote locum habebit exceptio feloniæ nisi consuetudo loci se habeat in contrarium, ut si vir commisit feloniam ob quam suspensus fuit, dismembratur, infeliciter submersus vel alio modo morti condempnatus, vel utlagatus, vel in fugiendo tanquam sentiens se culpabilem mali decollatus, vel si reg' abjuravit, vel si timore judicii se ipsum quoquo modo interfecit, refert tam' an utlagatus fuerit ritè vel non secundum legem reg', vel si ritè tam' si culpabilis fuerit de felonia sibi imposita vel non. § 7. Si autem vir de gratia Reg' principali se legitimè acquietaverit, ita ꝙ Rex utlagariæ sententiam in ipsum promulgatam de jure suo teneatur irritare, sic retrohabere debet suas possessiones, & quo casu hæredem habebit, & mulier dotem obtinebit, & quamvis hæres ante dotis assignationem feloniæ judicium

cium sustinuerit, mulier tamen indotata non remanebit, & quo casu dominus feodi erit sibi warantus de dote sua. § 8. Si autem minor existens in custodia alicujus aliquam duxerit in uxorem sine assensu domini sui & infra ætatem obierit relicta dotem non obtinebit, secus erit si plenam attigerit ætatem. § 9. Uxores annorum 9. & dimid' infra viros sustinere non valentes propter earum minorem ætatem dotes nondum meruerunt, ideoque ab actione dotis repelluntur, sed dotem pristinam obtinebunt, habita namque inhabilitate secundum jus Ecclesiæ, voluntas tamen patris confirmat secund' conventionem & ei facit habilitatem. § 10. Et si petatur versus custodem & hæredem, cadit breve, eo quod qualitercunq; petatur dos versus minorem mediatè vel immediatè semper summonendus erit custos quod sit coram & habeat hær̃. § 11. Exceptio verò habendi dot̃ de dote locum habet ubiq; nisi in casu ubi mater petit de uxore filii de ter̃ quam filius habuit de dono mariti matris. § 12. Et cum tertia advocatio alicujus Ecclesiæ petatur tanquam pertinentem ad dotem, & nihil ostendatur de assignatione tertiæ partis, nec clamio opposito in prima præsentatione non valebit petitio. § 13. Dici autem poterit quod ipsa relinquens virum suum forisfecit dotem, & si replicetur dotem quod hoc ei non præjudicat, eo quod postmodum erat ei reconciliata, & triplicari poterit quod non fuit sponte sed Ecclesiastica coertione, & quo casu cadit à causa. § 14. Differri potest petitio mulieris per cartas hæredis per ipsam detentas custodiend' donec ipsas reddiderit. § 15. Si autem excipiatur contra mulierem quod dotem habere non debet eo quod vocaverit aliquem ad warantum in exhæredationem ipsius hæredis, & contrarium doceri non possit, cadit à causa. § 16. Et si aliquo tempore satisfactum fuerit mulieri dotem petenti per escambium vel in denar̃ vel alio modo, & hoc doceri poterit, cessabit dotis exactio, & si per mulierem replicetur quod nunquam ei de conventione satisfactum agat de conventione. § 17. Si autem aliàs petiit dotẽ & prò ea judicabatur cadit à secundo brevi & sequatur judiciũ prioris si voluerit. § 18. Item petere poterit ten̄ à muliere excipiendo quod war̃ dotis suæ ostendat per quem petit, ut sciri possit quid juris habeat in duabus partibus, quia quicunq; deforciat dotem mulieri alius ab hærede, nunquam mulieri respondere compellitur sine war̃ de dote sua, non magis quam ipsa mulier si implacitata esset de dote sua aliis sine waranto suo responderet, & indè datur exceptio quandoque custodi contra mulierem, ut si hæredem fraudulenter subtraxerit. § 19. Si autem warantum de dote sua habere non possit quia in partibus laborat transmarinis, vel si in peregrinatione, expectand' erit in causa dotis donec fecerit. Et sicut tenenti allocatur quod mulieri sine waranto suo respondere non tenetur nisi voluerit, ita & waranto, cum warantus & warantizatus idem habeant remedium. § 20. In escaetis autem dominorum præterquam occasione feloniæ & etiam de terra data in maritagio licet revertatur pro defectu hæredis, uxores dotes obtinebunt. § 21. Verum quia in potestate mulierum non sunt semper hujusmodi waranti ideo per auxilium Cur̃ debet hujusmodi mulieribus in hac parte subveniri per tale breve: Summ' per bonos Summon̄ A. quod sit coram, &c. ad warantizand' B. quæ fuit uxor C. dotem ipsius B. quam in eadem Cur̃ nostra

Nota. (beside line 4)

Nota. (beside line 15)

nostra clamat versus D. & unde idem D. dicit qd' non vult ei inde respondere sine waranto suo de dote sua. Et habeas, &c. Et ista exceptio locum habeat in persona domini capitalis, non tamen competit ei cui per dominum facta fuit dimissio vel alienatio. § 22. Item cum objecta fuerit exceptio præd' & contentio habeatur inter hæred' quis eorũ her̃ rector fuerit pendente litigio, suspendetur actio dotis, & eodẽ modo de prægnante donec peperit, & si falsum warantum produxerit vel alium nominaverit quod verũ hæredem ab agendo merito repelletur, quamvis filius unius mulieris esse poterit warantus alterius, ubi mulier dotem non habebit; ut si divortium factum fuerit inter aliquos aliqua de causa, si vir aliam postmodò duxerit in uxorem, filius primæ mulieris hæres non remanebit. § 23. Dotis enim natura est ut durante matrimonio duret dotis exactio, & soluto matrimonio & dotis solvitur actio, cum divortium sit thori. Cum autem contingat plures mulieres dotes petere simul, omnes tamen non obtinebunt, eò quòd omnes non esse poterunt uxores legitimæ. Cum matrimonium non sit conjunctio viri & mulier̃ nec virorum & mulier̃, sed viri & mulieris individuam vitæ retinens consuetudinem; & quamvis unus vir plures habuerit mulieres, una tamen tantum erit legitima quæ in dotis petitione omnibus aliis præferetur. Cum igitur duæ vel plures dotes simul de morte unius viri petierint & legitima non petat vel præmortua est & excipiatur de illegitimitate, nunquam dotes recuperabunt. § 24. Nullus enim duabus dotem simul petentibus donec discussum fuerit quæ illarum fuit uxor defuncti. 25. Mulieres verò nativæ dotari non poterunt quia mortuis viris quamvis omnino liberis in statum pristinum redient servitutes. § 26. Cum autem de successione & de dote simul & semel habeatur quæstio, actio hæreditatis puriùs debet intentari. Si contingat namq; mulieres ad Curiam transmitti Christianitatis quæ illarum sit legitima probaturas, & una se probaverit in foro Ecclesiastico legitima, & hæres alter̃ mulieris se probaverit hær̃ legitimum in foro seculari, tunc contingit ipsum esse warantum alterius mulieris de dote sua quod esse non debet. § 27. Cum igitur quælibet illarum ab initio dicat filium suum warantum esse de dote sua ad evitand' illud inconveniens opus quod prius discutiatur quis filiorum sit hæres legitimus & cujus mulieris debeat esse warantus de dote sua. § 28. Et cum unus hæred' in possessione fuerit hæreditatis justè vel injustè & mater sua in possessione dotis, & mulier nihil habens petierit dotem dicens se esse uxorem defuncti legitimam, tunc responderi poterit quod warantum de dote sua antequam respondeatur ad litis contestationem ostendat, quem cum nominaverit suspenditur dotis petitio donec ille warantus ten' de quo mulier dotari petierit recuperaverit. § 29 Et sive hæres appareat sive non, semper haberi debet pro waranto ad quem dos reverti debet post mortem mulieris quamvis domino capitali tanquam Escaeta dum tamen non pro felonia, hoc tamen casu exceptio, ut si feoffatus à viro terram amiserit versus mulierem dotem petentem, ac hæres nihil habeat unde escambium sibi facere valeat; & quo casu revertetur dos ei à quo recessit. § 30. Poterunt autem duæ mulieres in dotis petitione unicum nominare warantum cum una sobolem suscepit alteraq; nullam, ut si quis contraxerit cum aliqua

inter,

inter quos propter aliquod impedimentum celebrari contigerit divortium de qua ante latam sententiam prolem susceperit, nihilominus legitima est censenda, & celebrato divortio contraxit cum alia, quamvis secunda habuerit prolem vel non, semper tamen erit proles primæ uxoris warantus de dote secundæ cum sit legitimus defuncti.

De Warantiis. CAP. 27.

DEpositis igitur exceptionibus poterit tenens vocare ad warantum, & tunc præcipietur vic' quod summoneat A. quod sit coram,&c. ad warantizand' B. tertiam partem vel tantam terram cum pertinentiis in tali villa quam C. quæ fuit uxor D. in Cur̃ clamat in dotem versus prædictam B. & unde iste idem B. vocavit eundem A. ad warantum versus prædictum C. & quod habeat, &c. § 2. Ad quem diem locum habebunt hinc & inde essonia. Si autem warantus non venerit nec se essoniaverit testata summonitione capiatur de terra ipsius ad valentiam terræ petitæ in manum Regis,& quod vic' certificet Justiciar̃ de die captionis, & quod warantus iterum summoneatur,ꝙ sit ad al' diem. Ad quem si non venerit, vel si venerit sanare tamen non poterit defaltam suam,mulier recuperabit seisinam suam,& tenens escambium de terr̃ waranti. § 3. Si autem venerit & statim warantizaverit, procedat placitum inter ipsum warantũ & mulierem petentem, tenensq; domi remaneat in seisina,donec de placito inter alios constiterit, & secund' ꝙ placitũ inter alios terminari contigerit,amittet tenens vel retinebit & nisi justũ habeat quis ann' resistendi seisinam amittet cũ dampnis à tempore resistentiæ injustæ, & si mulier nominatim dotata fuerit, tenetur ille qui amiserit dotem illam de manu tenentis de cujuscunque fuerit feodo deliberare, & tenens ad valentiam escambium habebit. Si autem non fuerit nominata tunc teneat tenens in pace, mulierq; de terra waranti habebit ad valentiam, quamvis hæres fuerit vel non fuerit; Et si contentio habeatur utrum dos nominata per inquisitionem poterit Cur̃ certiorari. Et secundum attestationem fide dignorũ procedatur ad judicium. § 4. Ætas autem in petitione dotis non expectetur, unde si hæres infra ætatem existens vocatus fuerit ad warantum vel per instrumenta vel alio quovis modo constare possit quod ille versus quem dos petitur feoffatus extitit ab antecess' ipsius minoris, sive mulier dotata fuerit nominatim vel alio modo non obstante minori ætate procedetur ad judicium sicuti versus quamcunq; majorem, & cum pro muliere fiat judicium præcipiatur vic', quod mulieri petenti de terra petita cum pertinen' sine dilatione plenar̃ seisinam habere faciat & tenenti warant escambium & warantiam per visum legalium hominum & extentionem, & sic remanebit quilibet in seisina quousq; idem minor ad ætatem pervenerit, & tunc inde fieri faciat deliberationem si possit, quam si deliberare poterit rehabeat terrã suam quam inde dedit in escambium. Sin autem, remaneat seisina prout est judicata. Si autem tertia parte dotis non nominatæ recuperaverit mulier seisinam suam versus minorem cum vocatus fuerit ad warantum tenens tenebit in pace terram petitam, & mulier habebit ad valentiam de terra minoris, blada tamen crescentia & fenum falcatum in liberatione seisinæ debent

bent

bent semper prædeduci. §. 5 Si autem de custodia facta fuerit alienatio de manu ad manum, hoc non præjudicat vocanti minorem ad warantum ex quo cum hærede tantum actionem habebit & non cum custode, quamvis custos quicunq; fuerit ille teneatur minorem cor̄ Justic᾽ præsentare, & quod dictum est de uno hærede dici poterit de pluribus. Si unus hæres sive plur᾽ vel unus ex pluribus cohæredibus fuerit infra ætatem. § 6. De dote vero nominata ad quamcunq; fuerit devoluta debet mulier recuperare seisinam, quia ex quo in certo extitit constituta incepit mulier jus habere & dominiū quoddam, mere igitur ad ipsam pertinebit restitutio dotis hujusmodi si fuerit alienata, secus erit si incerto; vir vero dotem dat & constituit, hær̄ autem dotem assignat. Si dos igitur ex tertia parte fuerit constituta non statim sapit mulier jus ratione propter incertitudinem. § 7. Manifestè ergo apparet quod in uno casu recuperabit mulier seisinam rei petitæ, in alio verò escambium. § 8. Et cum mulier dotem nominatam in aliquo certo manerio recuperare debeat per judicium secundum causas aut consuetudinem in constitutione prælocutam, ut si sufficiat pro tertia parte tunc mulieri remaneat integrè, & si quid defuerit, id alibi in loco competenti sibi perficiatur, superfluumq; si habuerit hæredi reddatur, tunc facta extensione manerii fiat ei secundum quod in constitutione convenit, salvo tamen hæredi capital᾽ mes᾽, nec distabit exceptio finis levati quin mulier dotem nominatam recuperet, nec tenens escambium consequetur ab hærede donec plenam attigerit ætatem, & ad hoc facit tale Statutum. Cum quis alienet jus uxoris, concordatum est quod ad sectam mulieris aut ejus hæredis post obitum viri per minorem ætatem hæredis qui warantizare debet, sed expectet emptor qui ignorare non debuit quod alienum jus emit usq; ad ætatem waranti de escambio habendo. Et cum fecerit ei ad valentiam rei amissæ tunc mortua muliere revertatur dos ad feoffatum & escambium ad hæredem.

De Exceptionibus. CAP. 28.

EX articulis brevis oriri poterunt tenenti exceptiones; de hoc quod dictum fuit excipere poterit quod non solum fuit uxor talis sed adhuc est, & quia vir suus adhuc superstes est non debet sine ipso respondere, & quo probato cadet mulier à causa, quia constitutio dotis & donatio propter nuptias viri morte confirmatur. Et si replicetur quod duplex est mors, & quamvis naturaliter non sit mortuus est eo quod religioni se transtulit, triplicari poterit ex adverso quod & sicut est duplex habitus religionis, & quamvis habitum probationis assumpsit habitum tamen professionis nondum sumpsit; quod si contradicatur à muliere suspendetur actio dotis donec per Ordinarium loci constiterit de veritate. § 2. Si autem de morte naturali habeatur contentio quandoq; incumbit mulieri probatio pro eo quod in intentione sua dicit quod mortuus cum agentem oporteat intentionem suam probare, quandoq; incumbit probatio tenenti cum exceperit expressius de vita quam mulier ageret de morte, quia frustra excipit qui illam probare non potest, & quandoq; utrique cum ambo expressè de morte & vita

fecerint mentionem. Probatio autem fieri debet per attestationem fide dignorum qui morti interfuerint & sepulturæ; & cum secta hinc & inde deducatur, si dos validiori parti adhibeatur, & tunc primò respondeat tenens mulieri petenti vel quietus recedat, & quamvis mulier mortem probaverit non absq; tamen responsione tenentis judicari debet dos mulieri cum necesse habeat docere de jure suo; esse enim poterit quod nihil habeat juris in agendo. § 3. Si autem ex utraque parte producatur insufficiens secta cum ex aliqua non habetur nisi semiplena probatio, tunc pro muliere conditionaliter erit judicand' quod si vir redierit quod dos tenenti sine placito cum fructibus medio tempore perceptis restituatur præstita sufficienti securitate fidejussoria, alioquin remaneat tenens in seisina. § 4. Dicitur etiam talis quæ fuit uxor talis; ad ꝙ responderi poterit, ꝙ talis nunquam fuit uxor ejus quia nunquam ei desponsata, nec rem habuit cum illa, nec eam unquam tenuit nisi sicut suam concubinam; vel si desponsatam, non tamen matrimonio legitimo, eo ꝙ prius aliam duxit de jure, & si talis fuit ei desponsata hoc fuit de facto quia prima vivente; vel quamvis nullam prius habuerit de jure, talis tamen dotem habere non debet, pro eo ꝙ inter ipsam & eundem virum suum aliquo interveniente impedimento celebratum fuit divortium, quo probato dotem amittet: Poterit tamen sic replicari quod si aliquando fuerit inter eos matrimonium accusatum, nunquam tamen fuit in vita viri solutum nec divortium celebratum, vel si aliquando fuit contra ipsum judicatum, à sententia tamen illa fuit appellatum, & in causa appellationis fuit pro ea judicatum in quod fuit in possessione viri sui die quo obiit; vel dicere poterit quod vir suus obiit antequam in causa appellationis esset conclusum, vel quamvis matrimonium extitit legitimum, dotem tamen obtinere non meruit eo quod ita tenera fuit quod virum sustinere non potuit quod infra ætatem 9 annorum & dimidii, & quamvis matrimonium legitimum fuerit quoad hæredem & hæredis successionem, illegitimum tamen erit quoad dotis actionem, cum dos alibi quam ad ostium Ecclesiæ fuerit constituta propter verba in intentione mulieris contenta, & unde dotata fuit ad ostium Ecclesiæ. § 5. Super contentione autem desponsationis & divortii celebrationem non poterit Justic' procedere in foro seculari; Ideoq; demandetur inquisitio facienda Archiepiscopo vel Episcopo loci, quia hujusmodi causarum cognitio spectat ad forum Ecclesiasticum quod convocatis convocandis veritatem diligenter inquirant & inde certificent Justici. r per literas suas patentes. § 6. Ordinarius autem acceptis literis Regis ad inquisitionem taliter procedere debet quod denunciatio fiat per Ordinarium, ille qui proposuerit exceptionem in quacunq; dioc' domicilium habuerit quod veniat contra matrimonium dicturus quod sibi viderit melius expedire si voluerit matrimonium ad diem quem Ordinarius ei præfixerit, & cum venerit tunc sive non, testes autem per quos mulier voluerit matrimonium probare, & qui justa ratione recusari non possunt produxerit pro se admittantur & præstito sacramento dicta eorum recitentur in publico, & veritate cum magna jur' solennitate inquisita remittatur Regi vel suis Justiciar' inquisitio secundum formam mandati, nec habebit appellum locum in hoc

casu

casu, quia sic protraheretur lis in infinitum mulierq; desperans infecto negotio recedet de lite, & etiam quia jurisdictio ulterius se non extendit quam ad ipsos quibus data fuit per mandatum Regis. § 7. Si quis autem concubinam legitimam habuit ex qua prolem susceperit in concubinatu, & postea traxerit cum eadem clandestinum matrimonium, posteaq; prolem susceperit ab eadem, demumq; contraxerit publicè cum ea in facie Ecclesiæ & eam dotaverit ad ostium Ecclesiæ & ex ea prolem tertiam suscitaverit, mortuo patre queri poterit quis præferri debet in successione patris hæreditatis, & verum est quod medius & legitimus erit censendus quamvis ex clandestino fuerit matrimonio natus, dum tamen sic probari possit. Si contra dicatur, mulier tamen ratione talis filii dotem non habebit sed ratione solennis desponsationis habitæ post nativitatem ejus nisi extitit publicè dotata. § 8. Probato igitur in Curia Christianitatis matrimonio legitimo cum per literas Ordinarii constiterit Regi vel Justiciar̄ suis matrimonium esse probatum ad instantiam mulieris statim resummoneatur tenens & suscipiatur. § 9. Item loquela in Cur̄ Regis sopita ad certum diem ad quem locum habebunt essonia ex utraq; parte. Si autem tenens defaltam fecerit statim capiatur terra in manum Regis per parvum Cape, ipseq; summoneatur & sic, &c. auditurus judicium suum, & sive tunc venerit sive non, pro muliere judicabitur, & præcipiatur vic' quod mulieri de terra petita cum pertinen̄ nomine dotis sine dilatione plenariam seisinam habere faciat. § 10. Cum autem hujusmodi Inquisitio ad Cur̄ Christianitatis transmissa fuerit & matrimonium sufficienter probatum, contingere poterit tenentem mori antequam iteratò summoneatur, & quo casu oportebit mulierem novum breve originale super novum tenentem impetrare, per quem si objiciatur ut prius, alia probatione matrimonii non indigebit, sed ostensa prima probatione ulterius respondere compellatur. Et eodem modo si mulier aliquem petierit in virum, & sententia lata fuerit pro muliere & à viro non fuerit appellatum, sed vir moriatur ante executionem judicii sine aliqua probatione, dotem obtinebit. Si autem dotem tenens per licentiam reddiderit planum est judicium. § 11. Si autem tenens excipiendo mulieri opponat quod nunquam fuit sibi ad ostium Ecclesiæ dos constituta, & mulier dicat quod sic per Inquisitionem patriæ cor̄ Justic' poterit veritas inquiri. § 12. Et similiter de constitutione dotis quamvis non ad ostium Ecclesiæ si inde contentio habeatur; si mulier autem in dotis petitione ista verba omiserit, Et unde talis vir meus me dotavit ad ostium Ecclesiæ, amittet dotem, & cadet à causa; & cum contentio habeatur super dotis constitutione ad ostium Ecclesiæ præcipiatur vic' quod venire faciat coram eo & coram custod' placitorum coronæ in pleno Com' 12 tam milites quam alios liberos homines & legales de visneto tali, & per eorum sacramentum diligenter inquirat si talis die quo desponsavit ad Ecclesiam eam dotavit de tanto terræ cum pertinentiis in tali villa solenniter & ad ostium Ecclesiæ sicut mulier dicit, vel si illam desponsavit in lecto suo mortali sicut tenens dicit. Et inquisitionem quam inde fecerit sc̄r̄ fac' Regi vel Justiciar̄ suis per literas suas & per duos qui Inquisitioni illi interfuerunt. Et matrimonium

poterit esse legitimum quoad successionem hæreditatis, & illegitimum quoad actionem nisi fuerit in facie Ecclesiæ contractum, & dos ibi publicè constituta cum solemnitate non magis tempore interdicti quam alio. § 13 Si autem vir per assensum mulier̃ quod & constitutionem dotis ad ostium Ecclesiæ habitæ mutaverit augendo vel minuendo effectum non habebit, quia sicut dos nominata fuit ad ostium Ecclesiæ vel non nominata, ita peti debet & non aliter propter verba & unde dotata fuit ad ostium Ecclesiæ, & inde quia orietur exceptio tenenti quod aliter dotata fuerit ad ostium Ecclesiæ. § 14. Si autem dos nominata petatur & excipiatur quod injustè petit, eò quod de rationabili dote fuit ad ostium Ecclesiæ dotata, mulieri incumbit probatio per sectam testium per audientes & videntes qui desponsationi suæ interfuerunt, contra quam tamen si validior producatur probatio per sectam testium per audientes tenentes & videntes qui desponsationi suæ interfuerunt admittatur, & cum pares fuerint testes & eorum attestationes & pro deslõne judicabitur propter commodum possidendi. Si autem mulier probationem testium produxerit vel scriptum, tenens non nisi patriam, mulier recuperabit. Similiter verò si sectam non produxerit, sed patriam petierit, non debet audiri dum tamen tenens sectam habuerit, & si insufficientem mulier producat, vacua erit ejus petitio. Si autem neuter sectam prætenderit, sed petierint quod veritas per patriam inquiratur, præcipiatur vic' quod diligenter inquirat qui interfuerint apud talem Ecclesiam ubi talis desponsavit talem, & tam ex ipsis quam ex aliis de proximo visneto talis villæ, per quos rei veritas melius sciri poterit venire fac' cor̃ Justic', &c. ad talem diem 12 liberos & legales homines ad recognoscend' super sacramentum suum, si prædictus talis die quo prædictam talem desponsavit dotavit eam nominatim de tali manerio cum pertinen', quod prædicta talis clamat & dotem suam versus talem sicut prædicta mulier dicit, vel si eam dotavit de tertia parte omnium terrarum & ten' unde fuit in seisina die quo eam desponsavit ut tenens dicit, quia ambo posuerunt se in Inquisitionem illam, & variari poterit mandatum vic' directum dum secundum placitum fuerit irrotulatum sic. Si idem vir die quo ipsam mulierem desponsavit dotavit eam de 20 acr̃ terr̃ cum pertinen' in N. vel si eam dotavit de tertia parte hæreditatis quantum tenuit hæreditariè & in dominico & similiter de tertia parte tantæ terræ cum pertinen' in N. vel si dotavit eam de tertia parte totius quæsiti sui quod postmodum ea vivente possit adquirere, vel si eam dotavit de tanta terra tantum vel tantum de hæreditate sua quantum habuit die quo ipsam desponsavit, & unde prædicta mulier tenuit se contentam. Et sic per hujusmodi inquisitiones deduci poterunt omnia genera constitutionis dotis contra quæ aliquo modo excipi possit.

De

De Exceptionibus contra Dotem de assensu. CAP. 29.

FIT tandem quandoq; de dotis constitutione & modo constituendi probatio per instrumenta, quæ quidem si non fuerint recognita per collationem signorum, per testes & per patriam aliisque modis diversis poterit eorum fides manifestè probari. Si autem vir uxorem suam ad ostium Ecclesiæ dotaverit de rebus alienis per assensum tamen eorum quorum res fuerint,& tantum continèatur in instrumento mulieris quod vis suus de tanto eam dotaverit ad ostium Ecclesiæ & assensum amici omiserit, non valebit instrumentum propter incongruitatem, nec etiam si contineatur alius à viro eo dotaverit; oportet igitur ꝙ in confectione cujuscunque talis instrumenti comprehendantur constitutio dotis à viro & assensus illius cujus res fuerit undè dos fieri debêt, conjunctis ergo nom' viri & consensu amici valida erit constitutio dum tamen ad ostium Ecclesiæ fiat talis constitutio personaliter ab utroque ita quod consensus ibidem palam confiteatur, vel si scriptum indè prius fuerit necesse est quod per ratihabitionem ad ostium Ecclesiæ manifestè recognitam confirmetur, alioquin infirmari poterit propter verba & undè me dotavit per assensum talis ad ostium Ecclesiæ; relinquitur ꝙ frustra petit si ad ostium Ecclesiæ non intervenerit simul & semel nominatio & consensus. § 2. Cum autem cont̃ mulierem excipiatur ꝙ per assisam non fuerit dotata; ac mulier dicat ꝙ sic, tunc inquiratur veritas per patriam, & præcipiatur vic' ꝙ diligenter inquirat qui fuerint ubi A. desponsavit B. & tam ex illis quam ex aliis liberis & discretis hominibus de Com' suo venire fac' cor' Justic' xii. ad recognoscend' super sacramentum suum si A. die quo obiit eandem B. desponsavit, dotavit,& eam per assensum & voluntatem talis vel non, per quam si recipiatur ꝙ ille cujus assensus fuit necessitas non consentiit ad ostium Ecclesiæ in propria persona quamvis domi, mulier ex assensu nihil recuperabit.

De Exceptione ex pluralitate mulierum. CAP. 30.

EXceptio ex pluralitate mulierum dotem petentium de morte unius viri, ut si duæ sint petentes, excipere poterit quod non debet duab' simul & semel respondere de morte unius viri. Si autem una dotata fuerit ac alia dotem petierit, tunc refert an tantum petierit dotem versus ipsum tenentem, vel versus ipsum & similiter versus aliquam mulierem quæ tertiam partem teneat nomine dotis quæ postmod' vocaverint tenentem ad warantum ut sciri possit ad quem pertineat exceptio contra mulierem petentem, quia cum warantus warantizaverit de necessitate oportebit eum defendere mulierem in possessione sua,& quo casu ei competet exceptio cum defensionem susceperit & warantizationem, dotata tamen nomine proprio taliter excipere poterit quod mulier petens dotem habere non debet, & hoc quia A. cujus nomine dotem petit fuit uxor sua & ipsa fuit cum B. viro suo per 10 annos tam in Anglia quam in Hibernia & in seisina de prædic' B. tanquam

de.

de viro suo tempore quo obiit assignata fuit ei dos sicut uxori suæ legitimæ; Ad quod poterit replicari quod mulier tenens hoc injustè dicit quia ipsa quæ se facit uxor prædicti A. non fuit uxor ejus, quod benè patuit, quia ista quæ modo petit dotem aliquando petiit ipsum A. in virum in Cur Christianitatis apud talem locum cor talibus Judicibus, & per ejusdem Cur' judicium disrationavit ipsum A. ut virum præsente ipsa A. excipiente & hoc offert, & mulier tenens è contra. Et quo casu inquirend' est à muliere petente, si sectam habeat sufficientem per quam docere possit de die & loco suæ desponsationis & similiter de alia, & si una ducat testes altera non judicabitur pro ducente, & si ambæ testes produxerint mittendæ sunt ad Cur' Christianitatis ut ibi discutiatur quæ fuit uxor legitima, & secundum certificationem Ordinarii procedendum erit ad judicium, & interim impunè remaneat tenens in seisina de duabus partibus, & per considerationem Cur' sine die, & facta inquisitione in Cur' Christianitatis Regiq; vel suis Justiciar' per Ordinar' dioc' remissa mulieriq; contra quam lata fuerit sententia super petitione suæ dotis in Cur' Christianitatis perpetuo imposito silentio resummoneatur lis sopita in Cur Regis; & secundum quod Ordinarius certificaverit procedat judicium. § 2. Item à muliere mulieri sic objici potest quod dotem habere non debet eo quod non fuit uxor talis, ad quod replicari poterit ꝙ fuit uxor talis, eo quod ipsum ad virum suum in Cur Christianitatis cor' talibus Judicibus disrationavit; Ad quod triplicari poterit, & si pro ipsa fuit sententiatum vir tamen cum à sententia illa ad alios Judices appellavit, ita quod prima sententia revocata fuit quasi nulla & sic stetit ipsa excipiens cum ipso tantum uxor sua legitima, nec viam universæ carnis fuit ingressus. Et hoc probato mulier petens nihil recuperabit nisi ostendere possit quod in causa appellationis nihil actum fuit vel appellatio non prosecuta, & si hoc docere poterit pro ea judicabitur, & si difficultas discussionis intervenerit transmittitur ad Ordinarium. § 3. Poterit etiam à muliere mulieri sic objici quod dotem habere non debet ratione suæ taciturnitatis, & si mulier cum præsens fuerit in Ecclesia vel alibi per ignorantiam non debuerit cum bannus & trina denunciatio facta fuerit ante desponsationem, vel tunc subticuit ubi reclamasse debuit, quamvis revera desponsata fuerit præjudicabitur ei ex taciturnitate si talem in virum petierit quare si ipsum in virum recuperare non possit, multo fortius nec dotem matrimonio deficiente. § 4. Si autem duæ dotem petierint non multum refert de proprietate impetrationis, actrix tamen est illa quæ prius ad judicium provocaverit, nisi alia fortè excipiendo actrix efficiatur, & sic poterit utraq; teneri ad probationem & sic ambæ actrices quodammodo, & quamvis unus majus jus habuerit, jus tamen perire poterit pro defectu probationis, ut si desponsata fuerit extra regnum & illegitima in regno. § 5. Item competit exceptio mulieri à muliere ratione accusationis, ut si aliquis uxorem duxerit de jure aliamque de facto & tamen illegitima extiterit, ac prima fuerit in regno matrimonium judicium ultimum non accusaverit petendo talem in virum, præjudicabitur ei imperpetuum si per mortem illius viri dotem petierit, & ipsa quæ fuit in possessione viri tempore quo diem clausit extremum obtinebit.

bit. Et eodem modo quamvis prima matrimonium accusaverit sed ante divortium decesserit. Si autem vir antequam disrationetur obierit perpetuatur actio dotis propter accusationem matrimonii dummodo pueri sui prius se probaverint hæredes defuncti, & similiter licet matrimonium in vita viri non fuerit accusatum.

De Exceptionibus tenentis vel waranti. CAP. 31.

COntra mulierem petentem poterit insuper sic objici, quod dotem habere non debet quia vir suus nihil habuit in terra illa, cum fuerit hæreditas vel maritagium suæ primæ uxor'; vel sic, quia dotem suam remisit vel quietam clamavit post mortem viri sui per liberam voluntatem suam; vel sic, quia nullius nisi ejus, secus si alterius, dum tamen maritata fuit libero, & in libero feodo dotata; vel propter consuetudinem loci quæ est ei contraria, vel quia vir suus tanquam jus alienum amisit per judicium, vel quia tantum illa nunquam accidit viro in vita sua, ita quod eam cum dotare posset, vel quia tenens aliàs recessit quietus versus eandem petentem in eodem placito cor̃ Justic' talibus, quæ quidem si dedici non poterunt taliter non recuperabit; Et similiter si docuerit quod non fuerit tenens tempore impetrationis brevis nec post, vel si dicat quod teneat sed nomine alieno vel ad voluntatem vel ad terminum annorum vel in villenagio. Si autem tenuerit donec vel ad terminum vitæ quoquo modo vel conditionaliter, ita quod liberum habeat ten̄, non cadet breve, sed vocare debet ad warantum. §. 2. Item ex modo constitutionis dotis provenire poterunt tenenti exceptiones, ut si mulier aliter petierit quam dos fuerit ei ab initio constituta. § 3. Item locum habere poterunt exceptiones generales. Si autem tenens exceperit quod mulier dotem habere non debet, eo quod vir suus terram illam amisit per judicium, replicari poterit à petente quod hoc fuit per collusionem, fraudem vel negligentiam ipsius viri, quo probato recuperabit, vel dicere poterit quod vir suus ten̄ illud de quo petit dotari, antequam eam desponsásset, alienavit in feodo, vel ad vitam vel ad maritagium vel aliter sub conditione tacita vel expressa, & qua existente remaneret, & ea deficiente reverteretur; & si ex parte mulieris replicetur quod talis terra assignata fuit ei in dotem cum reverteretur ex affirmatione & negatione partium, sequitur inquisitio. § 4. Item dicere poterit quod injustè petit quia res de qua dotem petit prius fuit alteri mulieri assignata quæ adhuc superstes est. § 5. Et si qua terra de qua mulier dotem petit dimissa fuit ad terminum ann̄ ac mulier indè nomine dotis tertiam partem recuperaverit per os' indè retinebit firmarius duas partes ultra terminum suum quousque perceperit indè ad valenciam illius tertiæ partis quam amisit, & quo casu oportebit Justiciar̃ super valorem tertiæ partis certiorari. § 6. Et si mulier totam terram recuperaverit tanquam dotem nominatam firmarius habebit escambium de hærede si eum vocaverit ad warantum, qui si nihil habuerit, tunc irrotulabitur quod post decessum mulieris revertatur terra illa ad firmarium tenenda donec terminum suum compleverit, & post terminum revertatur

hæredi,

hæredi, verumtamen si terra interim deveniat quoquo modo in manum hæred', & firmarius escambium consequi voluerit, actionem habebit. § 7. Et cum de constitutione dotis dubitetur, & terr̃ de qua dos petitur fuerit in confinio duorum Comitatuum, cum inquisitio fieri debeat, assumantur viii milites de uno Com' & viii de alio, & per tales procedat Inquisitio, & si nihil dicant vel dubiè pro muliere nihil recuperabit cum actionem non probaverit. § 8. Cum autem mulieri petenti dedici non possit quin suam dotem recuperet, statim procedat judicium quod recuperet seisinam & dampna per taxationem Juratoꝝ. § 9. Et cum seisinam recuperaverit multis modis eam amittere poterit, ut si intestatus duas partes amittit per judicium & tanquam jus alienum & ipsam per consequens tertiam partem amittet. § 10. Item propter consuetudinem loci, ut in Kancia & Lond' & alibi, ubi pro lege habetur ꝙ quam citius nupta fuerit viro vel prægnans dum tamen non de primo viro statim amittet dotem. § 11. Item similiter disseisita dotem suam propriis viribus post longum intervallum & non judicio resumpserit ac disseisitor postea per ass' no. diss' recuperaverit, ipsa nunquam ad seisinam iterum restituetur nisi per breve de recto de dote petendo de propria seisina.

De Recto de Dote. CAP. 32.

SI autem aliquid sit quod ad dotem pertinuerit quod per partes brevia non adquisierit mulier succurritur ei per breve de dote de recto, quod clausum esse debet, & dirigi ad warantum mulieris de dote sua; sed refert utrum ipsa unquam in seisina fuerit & postea disseisita an unquam fuit in seisina, & si warantus de recto faciendo ei defecerit, ponatur loquela de Com' ad magnam Cur'. § 2. Cum quilibet autem in Cur̃ Reg' comparuerint, & mulier seisinam nunquam habuit de terra petita, proponat intentionem suam per hæc verba. Peto versus talem tantam terr̃ cum pertinen' in tali villa ut pertinentem ad dotem quæ me contingit de hæreditate B. quondam viri mei, & undè me dotavit ad ostium Ecclesiæ die quo me desponsavit, & undè eodem die quo fuit vestitus & seisitus ita quod inde me poterit dotare, & si hoc velit cognoscere, &c. § 3. Si autem aliquandò extiterit in seisina tunc dicat, Peto versus talem tantum terræ cum pertinen' in M. ut dotem meam, & ut pertinentem ad terram quam teneo in eadem villa nomine dotis vel in alia, & undè B. quondam vir meus die quo me desponsavit tenuit totam terram illam in feodo & in dominico suo, & indè me dotavit, ita quod post mortem prædicti B. viri mei fui indè in seisina nomine dotis quousque prædictus talis me injustè & sine judicio disseisivit; Et quod inde fui dotata ita, & in seisina, habeo sufficientem sectam. § 4. Proposita sic intentione mulieris tenens vocare poterit ad warantum si warantum habuerit.

De Exceptionibus. CAP. 33.

SI autem tenens warantum vocaverit excipere poterit multipliciter; Dicere enim poterit ꝙ mulier petens terram illam ei sponte reddidit, vel

vel disseisita fuit, jus suum postea remisit & quietum clamavit, vel si de brevi aliàs retraxerit. Et plures sunt exceptiones de quibus per fidem affirmationem & negationem partium poterit oriri inquisitio, vel per patriam inquiratur veritas, nec locum habebit duellum vel magna assisa vel essonium de malo lecti. § 2. Et cum contingat & recurrendum sit ad patriam & loquela fuerit in Com' videtur quibusdam quod Comitatus sine speciali mandato ad Inquisitionem vel Juratam procedendi non habet potestatem, quamvis in magno brevi de recto contineatur quod nisi dominus fecerit, quod vic' fac' non procedet tamen vic' ad magnam assisam capiendam; quibusdam verò videtur quod sic, quia cum dicatur in brevi quod nisi warantus fecerit, vic' faciet, videntur vic' omnia esse concessa, sine quibus loquela illa terminari non poterit; & secundum quod in Com' procedi poterit ad duellum in alio brevi de recto, ita poterit in hoc brevi ad Inquisitionem procedi, sicut poterit ad Juratas, nisi vic' mandetur quod justitiet. § 3. Si autem warantus vocetur unus vel plures cum pertinen' fuerit ad hæredem warantum de dote si hæres statim recognoscat rem illam statim ad dotem procedat judicium pro muliere, vel excipere poterit hæres multis modis. § 4. Dicere enim poterit hær̄ quod terra illa ad dotem suam non pertineat, vel si mulier indè aliquando fuerit in seisina, docere poterit quod hoc non fuit nomine dotis, vel quod nunquam indè dotata fuerit, sed nominatim de alia tali terra, vel dotata fuit de minori quam de tertia parte, & undè tenuit se contentam; vel sic, Quod sive seisita fuerit sive non, & sive terra pertinens esset ad dotem sive non, ipsa jus suum de terra illa remisit & quietum clamavit; vel dicere poterit quod tantum non pertineat ad dotem suam quia dotem plenè habet secundum quod fuit ei constituta, & plus habet in dotem quam ad ipsam pertinet habend'. Et sic ex affirmatione excipientis & negatione petentis locum habebit admensuratio, & ideo fiat extensio & apprecatio tam de duabus partibus quam de tertia, & tam in diversis com' quam in uno. Et secundum certificationem prædictam procedend' erit ad judicium & locum habebit admensuratio tam in debito quam in superfluo. Et quo casu auferatur ei superfluum. Et si superfluum non inveniatur sed in debitum auferatur id, & debitum assignetur eidem, & undè sine judicio ejici non debet, cum solum justo titulo possederit. § 5. Cum igitur vicec' breve de admensuratione susceperit, statim summoneatur mulier quod sit super terram illam de qua fieri debet admensuratio ad certum diem cor̄ vic' & custod' placitorum coronæ, coramque aliis liberis & legalibus hominibus quos vic' sibi assumere voluerit. Et non solum est præsentia mulieris necessaria, sed omnium eorum qui aliquod jus in eisdem ter̄ habuerint, alioquin quicquid actum fuerit in eorum absentia nisi debitus præcesserit processus per clamationes poterit revocari. Nota.

De Admensuratione Dotis. CAP. 34.

IMpetrato autem brevi de Admensuratione in Com' & ad magnam Cur' translato & comparentibus in judicio partibus, proponat querens intentionem suam hoc modo. A queritur quod B. quæ fuit uxor C. plus habet in

 dotem

dotem de teñ quod fuit ipsius C. patris vel alterius Antecessoris ipsius A cujus hæres ipse est quam ad ipsam pertinet habend', & unde dicit ꝙ habet in tali villa medietatem unius Carucatæ terræ, & non fuit dotata nisi de tertia parte, vel ꝙ habet fere totum manerium ubi non fuit dotata nisi de quadam minima parte, & de qua se tenuit contentam, vel quod multo plus habet in dotem quam habere debet ultra tertiam partem vel medietatem vel ultra partem unde fuit nominatim dotata, & quod ita fuit dotata sicut querens dicit, & non aliter. Si mulier negaverit proferat sectam, instrumentum vel aliud per quod possit suam intentionem probare. § 2. Et audita responsione mulieris aliunde oportebit de necessitate recurrere ad constitutionem dotis, & sic ad admensurationem; Tollit tamen admensurationem quandoque diuturnitas temporis cum omnis actio infra certa tempora limitata sit, & etiam voluntas & consensus hær̄ qui cum plenæ ætatis esset dotem mulieri assignavit, vel infra ætatem per ratihabitionem, tam' cum major factus extiterit dissimulando voluit & sufficit voluisse si per patriam hoc possit probari. § 3. Cum autem ad admensurationem perveniatur non erit æstimanda melioratio mulieris quam fecerit in dote post assignationem, sed secundum quod fuit in tempore assignationis erit appreciatio facienda. § 4. Factaque dotis admensuratione, constitutione, & assignatione, nihil proprietatis pertinebit ad mulierem nisi tantum seisina & liberum teñ ad vitam suam, & unde nihil clamare poterit mulier nisi quod possit de rebus dotalibus sine vasto exilio vel destructione rationabile estoverium capere poterit in boscis ad ædificand' in dote ardend' & claudend', & si vastum fecerit succurritur hæredi per breve de attachiamento præcedente summonitione, & si hæres sequi non possit propter aliquod impedimentum, tunc liceat alicui parenti hæredes sequi pro eo.

De Ingressu. CAP. 35.

Sunt autem quædam causæ quæ partem habent possessionis, & partim sapiunt naturam proprietatis, sicut actiones de ingressu & consuetudinibus & serviciis, de nativis, quo jure, & hujusmodi. § 2. Hæc quidem actio de ingressu quatuor habet gradus; Primus quidem ubi quis seisinam petierit post terminum præteritum ex propria dimissione. Secundus est ubi quis petierit seisinam à tenente qui ingressum habuit per aliquem certum. Tertius gradus est ubi quis seisinam petierit à tenente qui ingressum habuit per aliquem cui res petita per aliquem Antecessorem petentis dimissa fuit ad terminum qui præteriit. Et quartus est in longiori ingressu, ubi prædicti gradus locum habere non poterunt, & ideò dicitur in quo non habet ingressum nisi post dimissionem quam talis Antecessor fecit, ita quod per fac' secundum quod prò cui faciunt tertium & post quartum. § 3. Et quotiescunque hujusmodi brevia in suis casibus non fuerint ritè concepta, & indè fuerint calumniata, cadent judicio. §. 4. Ass' autem no. diss' nec ass' mor̄ Ant̄ locum habere poterunt eo ꝙ dimissor vel quis eorum Antecessor sponte exiverint. § 5. Hæc quidem actio & sicut omnes suum tempus habet limitatum à tempore videlt̄ ass' mor̄ ant̄ & locum habet versus Terminarios

minarios

minarios ulť terminos suos res injustè retinentes, & etiam versus omnes alios qui per talem terminarium ingressum habuerunt qualemcunq; quatenus gradus & tempus permiserint. § 6. Item locum habet versus ipsos qui ingressum habuerint per intrusionem & intrusores & disseisitores,& dimissiones ballivorum Custod' procuratoŕ tenentium ad terminum vitæ vel annorum & aliorum plenam non habentium alienandi potestatem. § 7. Formæ in ingressu in primo gradu tales sunt. Præcipe A. quod reddat B. tantum terræ ꝙ ei dimisit ad terminum qui præteriit, vel sic, ꝙ ei dimisit causa matrimonii inter eos prolocuti ꝙ eam duxisse debuit in uxorem & eam nondum duxit. § 8. In secundo sic; in quod tenens non habet ingressum nisi per talem patrem, &c. dimisit dum non fuit compos mentis suæ; vel sic, per talem qui indè injustè sine judicio diss' præd' petentem,vel aliquem ejus Antec'; vel sic, nisi per talem qui non nisi custodiam habuit dum idem petens vel alius Antec' in custodia fuit infra ætatem, vel sic, nisi per talem quæ fuit ux' talis quæ terram illam tenuit in dotem de dono talis quondam viri sui antecessoŕ petentis; vel sic, nisi per intrusionem quam in eam fecit post mortem talis mulieris quæ terŕ illam tenuit in dotem de dono, &c. vel sic, nisi per intrusionem quam in illud fecit post mortem talis cui talis illud dimisit ad vitam tantum; vel sic,nisi per talem tanquam dominus illius feodi ratione utlagariæ quondā in talem patrem vel alium antecessorē petentis cujus hæŕ ipse est in tali Com' provulgatæ pro morte talis unde rectatus fuit; quæ quidem utlagaria postmod' in Cur' Regis per judicium ejusdem Cuŕ revocata fuit & adnihilata. § 9. In tertio gradu sic, & quod in maneŕ non habet ingressum nisi per talem cui pater talis,&c. cujus hæres, &c. illud dimisit ad terminum qui præteriit; vel sic,nisi per talem cui talis dimisit dum non fuit compos mentis suæ; vel sic, nisi per talem cui talis illud dimisit, qui indè injustè,&c. sine judicio disseisivit talem patrem, &c. cujus hæres, &c. § 10. Et in quarto gradu sic, in quod non habet ingressum nisi post dimissionem quam talis pater, &c. cujus hæres, &c. fecit tali ad terminum qui præteriit aliæque lites proprietariis fundorum proveniunt ex injuriosis dimissionibus & alienationibus religiosorum motibilium & tenentium nom' alieno, felonum & aliorum jus alienandi cum effectu non habentium; Ex quibus alienationibus infiniti oriuntur ingressus, super quibus fiunt quædam constitutiones quæ tales sunt. § 11. Petentibus autem non denegetur juŕ beneficium in tantum ꝙ super breve de ingressu agere non possunt; nisi infra tres gradus subveniatur eis per quartum gradum sicut per post diss', post dimissionem, & post intrusionem. Item si principalis disseisitor obierit postquam breve fuerit impetratum ante captionem assisæ, quærens habeat breve de ingressu super disseisinam versus hæred' disseisitor' & eorum hær' non obstante eorum minori ætate pro vicioso ingressu. Et eodem modo de hærede disseisiti provisum est quod habeat breve de ingressu super disseisitorem vel ejus hær' cujuscunque fuerit ætatis ex una parte vel ex alia. § 12. Et iste articulus servetur quoad prælatos & religiosos & alios ad quos terra vel ten' devenire poterunt per mortem aliquorum, quamvis sint disseisiti vel disseisitores. § 13. Et si minor descenderit in Inquisitionem conť majorem vel

minorem, vel è converso, quæ pro ipso non fecerit, habeat attinctam si velit, & præcipuè hæres disseisiti. § 14. De ten' alienatis per viros uxoribus datis in maritagium, provisum est quod revocentur per breve de ingressu, quod tale est. Præcipe A. quod juste, &c. reddat B. tale ten' quod C. dedit tali viro in liberum maritagium cum tali muliere, & quod post mortem prædictorum viri & mulieris prædic' B. filio prædictorum viri & mulieris descendere debet per formam donationis prædictæ. De ten' alienatis à certis hæredibus & coartatis revocandis competit tale breve de ingressu. Præcipe A. &c. quod C. dedit tali & hæredibus suis de corpore suo exeuntibus, & quod post mortem ipsius talis prædicto filio prædicti talis descendere debet per formam, &c. De ten' alienatis de quibus competit Donatoribus reversio per formam donationis fit tale breve remediale. Præcipe A. quod justè, &c. reddat B. tale manerium quod C. avus vel alius Antecessor prædicti B. cujus hær' ipse est dedit D. & E. uxori ejus & hæredibus de prædictis D. & E. exeuntibus. Et quod post mortem eorum D. & E. per formam donationis ad præfat' B. reverti debuit eo quod præfati D. & E. obierunt sine hæredibus de se procreatis. § 15. Provisum est etiam quod factum patris vel jus matris alienantis per legem Angl' tenentis non excludat hæredem ab actione in petendo hæreditatem suam ex parte matris nisi in tantum quatenus valuerit hæreditas sua ex parte patris habita, & cum sibi descenderit hæreditas ex parte patris recuperata hæreditate materna, tunc ad sectam illius versus quem recuperaverit resummonebitur hæres per breve de judicio ad warantizand' factum patris sui secund' valorem hær' paternæ idq; recuperare vel quia habeat exitus filii per breve de consanguinitate avo & proavo. § 16. Et eodem modo competat actio hær' uxor' post mortem patris & matris de hær' & maritagio matris quam patre vivente vel matre alienavit, nisi finis fuerit indè levatus. § 17. Præterea si vir implacitatus jus uxor' suæ reddere noluerit, vel defaltam fecerit, mulier etiam dotata vir tenens per legem Angl' vel alio modo ad terminum vitæ tantum maritagium vel feodum talliatum, & in aliquibus casibus in quibus salvatur reversio, uxores vel hær' vel alii ad quos spectat reversio ante judiciū cor' Justic' ad sui juris defensionem admittantur, & si judicium redditum fuerit per redditionem vel defaltam, tunc succurritur mulieri per breve de ingressu, cum mulier in vita sua contradicere non potuit, & similiter hær' & illi ad quos spectat reversio post mortem præd' ten' per brevia similiter de ingressu, quæ placitari debent in hac forma, si tenens excipiat cont' petitionem mulieris quod habuit ingressum per judicium & comperto per redditionem vel defaltam compellatur tenens jus suum ostendere secundum formam brevis prius super viro vel uxore impetrati, & cum Justic' de Jur' suo & ten' mulier nihil capiat per breve suum; sin autem, recuperet mulier. § 18. Præterea statut' est quod cum jus uxor' suæ alienaverit actio mulier vel ejus hæred' post mortem ætatem hæred' qui ad war' per patrem fuerit obligatus, sed expectet emptor qui ignorasse non debuit jus alienum emisse usque ad ætatem waranti sui de warantia sua habenda. § 19. Provisa sunt etiam quædam brevia de ingr'u ad recuperand' ten' in Dominico certis de causis quæ à recuperantibus prius tenebantur, & undè una est causa cum ten' cessaverit per

biennium

biennium de serviciis suis dominicis faciend' ubi non inveniatur districtio, & quo casu provisum est quod si quis dimiserit terram suam alicui ad feodi firmam ad reddendum proinde vel faciendo valorem illius terræ per annum vel medietatem vel aliquod servicium vel aliquas consuetudines, ac tenens per maliciam vel aliquod impedimentum terram illam permiserit jacere incultam, ita quod dimissor vel donator nullam invenerit districtionem in tenentem suum, & cessat fuerit à solutione & servicio per biennium, statim habeat dñs actionem petendi ten' in dominico. Veruntamen si tenens ante judicium venerit in Cur' & offerat reddere arreragia & dampna & securitatem inveniat sicut Cur' consideraverit ad faciend' & reddend' ꝙ in carta sua continetur, remaneat ei ten', & si judicium expectaverit in perpetuum repelletur. § 20. Alia est causa cum res data in eleemosynam alienetur, & quo casu provisum fuit quod breve de ingressu ad recuperand' hujusmodi ten' alienatum in dominico. Præc' tali quod justè, &c. reddat B. tale manerium quod collatum fuit tali domui religiosæ in liberam eleemosynam per prædictum B. vel Anteccessor' suos, & quod ad prædictum B. reverti debet per alienationem quam abbas prædictæ domus inde fecit cont̃ formam collationis prædictæ. § 21. Tertia est causa cum tenentes machinati fuerint in exhæredationem dominorum; Et quo casu editum est tale Statutum. § 22. Quia multi tenentes erigunt cruces in ten' suis & erigi permittunt in præjudicium dominorum suorum, & eadem ten' sua per privilegia Templariorum & Hospitaliorum tueri possunt contra dominos suos feodorum provisum est, quod hujusmodi ten' capitalibus dominis aut regi incurrantur, secundum ꝙ superius de terris ad manum mortuam alienatis est statutum. § 23. Est autem quoddam breve provisum de ingressu per qd' hæres statim recuperabit dotem alienatam secundùm formam statuti quod tale est. Si mulier alienet dotem suam in feodo vel ad terminum vitæ donatarii, hæres vel alius ad quem spectat reversio statim ipso facto habeat actionem petendi dotem illam in dominico. § 24. Hæc dictio, id est, terminus, largè se habet ad terminum vitæ & ad terminum annorum, & ille qui ad terminum annorum dimittit quamvis longissimũ, retinet sibi dominiũ, proprietatem, & liberũ ten', si ea prius habuit & retenta conferre poterit extraneæ personæ, vel hær' suo relinquere sine injuria Firmarii, nisi ea Firmario interim remiserit & quieta clamaverit, vel etiam feoffaverit. § 25. Hoc autem breve de ingressu locum habebit tam versus extraneas personas quum ingressum habuerint per disseisitores unum vel plur' quatenus gradus & ingressus personæ permiserit quam versus hær' disseisitoris, vel versus eos qui ingressum habuerint per hæredes usque ad tertiam personam inclusivam, ut si dicatur: Præcipe A. quod reddat B. tantum terræ cum pertinentiis in N. in quam non habet ingressum nisi per C. filium & hæredem D. qui terram illam ei dimisit, postquam idem D. injustè disseisiverat ipsum B. vel si disseisitus mortuus fuerit, & hæres disseisiti petat versus hæredem disseisitoris, tunc sic, in quam non habet ingressum nisi per C. filium & hæredem D. qui terram illam ei dimisit postquam idem D. injustè disseisiverat ipsum B. vel si disseisitus mortuus fuerit, & hæres disseisiti petat versus hæredem disseisitoris, tunc sic,

in

in quam non habet ingressum nisi per C. filium & hæredem D. qui terram illam ei dimisit postquam idem D. disseisiverat E. patrem, avunculum vel amitam ipsius B. vel alium Antecessorem cujus hæres ipse C. est ut dicit. Sed esto quod quis ab initio fecerit disseisinam de aliquo ten̄ quod sit jus uxoris suæ & disseisitus assisam arrannaverit no. dis' versus disseisitorem, si vir obierit & uxor remanserit in eadem seisina post mortem viri sui ita obierit in seisina & hæres suus post mortem ingrediatur seisinam illam & disseisitus impetravit breve de ingressu super hæredem, si hæres respondeat quod ingressum non habeat & disseisinam quam pater suus fecerat, imo per disseisinam à matre quod inde habuit obiit seisita ut de feodo & jure & quæ nullam fecit disseisinam, non valebit ista responsio quin procedat actio versus eum, quia revera quamvis terra illa sit hæreditas matris suæ ipsa tamen injustum habuit ingressum per disseisinam viri sui, nec hær̄ habet aliquam inde seisinam nisi per disseisinam patris sui, & ideo vicium rei adhæret hæredi quod contractum est ex parte patris & matris & succedit hæres in vitium quamvis per mediam personam, & ideo recuperabit tenens per aliud breve, & si hujusmodi ten̄ ulterius quam ad tertiam personam translata fuerit locum non habebit breve de ingressu; Solet tamen fieri breve in quo fiebat mentio de ingressu sic. Præcipe A. quod reddat B. tantum terræ unde C. de N. disseisivit ipsum B. patrem vel alium Antecessorem ipsius B. cujus hæres ipse est ut dicit § 26. Item si quis disseisitorem disseisiverit & postea rem ad alium transtulit, tunc dici non potest quod primus disseisitor ei dimisit, ideo dicatur sic, in quam non habet ingressum nisi per talem, qui disseisivit talem, postquam idem talis disseisiverat querentem vel ejus hæredem propinquum vel remotum, vel sine mentione de ingressu. § 27. Cum autem summonitus fuerit tenens ad diem sibi datum poterit se essoniare, & eodem modo petens si voluerit, & post essonium petere poterit visum & jacebit, & poterit vocare warantum sive mentio fiat de ingressu, sive non, & si fiat, tunc fiat vocatio de persona in personam, & de waranto in warantum de personis in brevi nominatis per ordinem usq; ad disseisitorem vel ejus hæredem, alii verò waranti vocari non debent quam in brevi nominati, & si nulla fiat mentio de ingressu in brevi in gradibus tunc vocari possunt plures si habeatur per quid summonitio fiat de ingressu respondere poterit tenens multipliciter ad breve, & ad alia dicat, quod non habet ingressum per talem in brevi nominatum sed per alium talem non nominatum, & hoc si probatum fuerit cadet breve, & etiam si talis Antecessor non disseisivit sed alius, quod non injustè sed justè omnes fere habebit responsiones hæres disseisitoris & defensiones quas haberet ille disseisitor si viveret con̄ as' no. dis', eo quod tale breve de ingressu non sapit naturam as' no. dis' ad omnia quoad restitutionem licet non quoad pœnam, & omnia terminari poterunt per Juratam. § 28. Cum autem Jurator̄ malè juraverint & tenens vel querens agere voluerit ad convictionem, contingit quandoq; alterum eorum mori antequam 12 de perjurio convincantur; & quo casu succurritur hæredi eodem modo quo in as' no. dis', quia ubi eadem ratio ibi idem jus esse debet cum ingressu & fine.

De

De Processu. CAP. 36.

IMpetrato autem brevi essoniari poterit summonitus de malo veniendi, & cum ad diem sibi per essoniatorem suum comparuerit proponat tenens intentionem suam, & si super jur narraverit sic dicendo, Et unde ego vel talis antecessor meus seisitus in dominico suo ut de feodo & jure, capiendo inde explecia, &c. tempore pacis, &c. & de tali descendit jus, &c. & sic per omnia sicut in brevi de recto usque ad petentem, & tunc adjecerit, & unde idem talis non habet ingressum nisi per talem, &c. quod forma & modus ingressus exprimatur, tenens triplicem habere poterit defensionem,& si omnino ingressum nitatur defendere, tunc locum habet Jurata vel exceptio, si super jur descensus versus ipsum narratorem defendi elegerit locum habebit duellum vel magna assisa, & sic ad alium poterit iterum essoniari de malo veniendi, & iterum ad diem sibi datum per essoniatorem suum de malo lecti, & in omnibus sicut in brevi de recto, eo quod per defensionem tenentis mutatur natura brevis de recto,& quandoq; contingit è converso, quod breve de recto vertitur per narrationem & defensionem tenentis in naturam brevis de ingressu, cum videlicet fiat mentio de ingressu post descensus in narrando quod quidem tenens omnino defenderit merum jus omittendo, & quo casu locum non habebit duellum, magna assisa, esson de malo lecti, sed tantum Jurata per affirmationem ingressus & negationem, & cum tenens defaltam fecerit, procedatur erga eum per districtiones reales, sicut de Actione de recto. § 2. Sunt autem quædam brevia de ingressu quæ nullo modo naturam mutant, ut si quis demiserit quod tenuerit ad vitam suam tantum & seisinam propriam post terminum suæ dimissionis repetierit, vel cum aliquis Firmarius partem termini sui alicui dimiserit, qui rem sibi dimissam ultra debitum terminum injustè detinuerit, vel si quis per ingressum ten' quod dimisit ad terminum in quo feodum habuit sine usu & expleciis. § 3. Sed si quis primo in judicio proposuit ingressum, & postea docuerit de mero jure suo per descensum, sic vertitur breve de ingressu in naturam brevis de recto, si tenens hoc voluerit, aliter non, & cum hoc voluerit, & viam defensionis jur per ingressum omiserit, statim conjungitur una actio cum alia, ita qualitercunque terminetur loquela per Juratam vel alio modo terminabitur negotium, & quod dictum est de mutatione naturæ per narrationem de brevi de ingressu dici poterit de brevi de warantibus quod habet per medium mori jur' per descensum justum possessorium nunquam per narrationem vertetur in jus proprietatis, vel è converso.

De Exceptionibus. CAP. 37.

PRoposita intentione petentis tenens multipliciter respondere poterit per exceptiones generales & speciales, dilatorias & peremptorias; Dicere etiam poterit concedendo ingressum per tantum sed infra terminum illum remissum fuit ei ten' vel datum in feodo, sed utrum refert an scriptum habeat ad probationem suæ exceptionis vel non; quod si non habuerit, & uterq;

uterq; se posuerit in juratam de ingressu, tunc fiat recognitio per hæc verba, Ad recognoscend' si prædictus A. aliud jus vel alium ingressum habuerit in prædictam terram quam per B. qui terram illam ei dimisit ad terminum qui præteriit, vel si idem A. habet ingressum in prædictam terram per eundem B. qui tantam terram ei vendiderit vel dedit in feodo, ut idem A. dicit, & unde recognoscit quod prædictus B. terram illam ei dimisit ad terminum, sicut dicit ulterius quod durante termino illo illam ei dedit in feodo; Dicere etiam poterit quod talis injustè petit quia alius majus jus habet. § 2. Item dicere poterit quod terminus nondum præteriit, instrumentum tamen per alium fuerit prorogatus. § 3. Item dicere poterit quod petere non poterit eo quod terminus intentionis suæ excedit tempus assisæ mortis Antecessoris. § 4. Item negari poterit quod non habet ingressum per talem sed per alium talem. Nec habebit tenens necesse vocare ipsum talem ad warantum, sufficit enim si breve cadat per exceptionem, & si gratis exceptioni renunciaverit, hoc sibi poterit fortassis præjudiciari, quamvis hoc facere possit si velit; Sed tunc refert an in linea vel extra. Inhibetur enim ne quis in brevi de ingressu in quo fit mentio de gradibus, quod nullus vocet extra lineam, & si in aliis brevibus de ingressu & quibus non fit mentio graduum qu' non sustineantur ubi alia brevia de ingressu jacent, & in brevi de recto provisum est quod si tenens vocet ad warantum & petentes excipiendo verificare offerant quod vocatus vel ejus Antecessor nunquam habuit seisinam de ten' petito feod' nec servicium per manum tenentis vel ejus Antecessor' post tempus illius cujus seisinam petit usque ad tempus impetrationis brevis & placitum motum, per quod potuit tenentem vel ejus Antecessorem feoffasse, admittatur verificatio petentis si tenens hanc expectare voluerit, & si voluerit compellatur respondere, vel pro petente judicetur; hoc excepto quod si warantum ad manum habuerit qui gratis warantizare voluerit admittatur. Salvis tamen petenti exceptionibus suis contra eum si ulterius vocare voluerit quemadmodum habuisse debuit contra ipsum tenentem; & hæc exceptio locum habeat in omnibus brevibus de possessione & proprietate, ubi aliquis vocare voluerit ad warantum, verum tamen si tenens habeat cartam alicujus de warantia & non sponte warantizaverit, habeat suum recuperare per breve de warantia cartæ, non tamen proindè capiat aliquam placitum dilationem. § 5. Ad hoc autem quod mulier dicit quod viro suo contradicere non potuit, dici poterit quod injustè petit, eo quod communi juri in sua legia viduitate confirmavit vel jus suum remisit & quietum clamavit.

De Consuetud' & Serviciis. CAP. 38.

HAbetur quædam etiam causa tam huic in parte consimilis quæ dicitur de consuetud. & serviciis quæ quandoq; petitur per descensum jur' à seisina alicujus Antecessor', & quo casu locum habere poterunt essoni de malo lecti, duellum, & magna ass' & quandoq; petitur per jus possessionis à seisina propria, & quo casu sequitur dampna cum arrer'; breve quidem tale est. Præcipe

cipe A. quod fac' B. consuetud' & servicia quæ ei facere debet & solet de libero ten' suo quod de eo tenet in N. ut in redditibus, homagiis, releviis, sectis Cur & hujusmodi, Et nisi fecerit, &c. § 2. Impetrato autem brevi non statim scitur utrum petens intentionem suam fundare voluerit super possessione vel super proprietate tantum petendo à seisina alicujus Antecessor'. Tunc sic, Ostendit vobis A. qui præsens est quod B. qui similiter præsens est injustè non facit ei consuetudinem & servicia recta quæ ei facere debet de lib' ten' suo quod de eo tenet in N. & ideò injustè quia ubi tenet de eo medietatem feodi unius militis cum pertinentiis in eâdem villa pro homagio & servicio suo 20 sol. per ann' & unius sectæ ad Cur' suam de N. de tribus septimanis in tres septimanas de quibus Antecessor suus C. nomine vestitus fuit & seisitus de consuetud' & serviciis suis, sicut de hiis quæ de tali ten' debentur in dominico suo ut de feodo & jure capiendo inde explecia, sicut in redditibus, homagiis, releviis, sectis Cur' & aliis modis consuetudinum & serviciorum ad valentiam dimidiæ marcæ & amplius tempore pacis tempore Regis, &c. sicut de feodo & de jure de C. descendit jus & descendere debuit isti A. qui modo petit sicut filio & hæredi sicut de jure, & tunc adjiciat, & quod tale sit jus suum, habet sectam & disrationationem. § 3. Si autem super possessione, tunc sic. Ostendit vobis A. &c. quæ ei facere solet de lib' ten', &c. de quibus idem A. vestitus fuit & seisitus in dominico suo ut de feodo capiendo inde explecia, &c. tempore pacis, &c. usq; ad tempus jam quatuor annorum elapsorum, post quod à servic' faciend' se subtraxit ad dampnum ipsius A. centum solid. & si negaverit hoc injustè quod sectam habet inde sufficientem, &c. § 4. Et si super utraq; proponi debet intentio, tunc fiat mentio in narratione de seisina Antecessor' & de seisina propria simul, sicut ex præmissis apparet.

De Responsion' super eisdem. CAP. 39.

AD primam intentionem sic poterit responderi, defendit vim & injuriam & jus A. & seisinam talis Antecessor' omnino sicut de feodo & jure, & defendet ubi & quando debebit, & dicit quod bene cognoscit tenere de eo dictam terram pro homagio suo & per liberum servicium unius denar' per annum pro omnibus serviciis si residuum servorum & seisinam dicti Antecessor' sui ut de feodo & jure omnino defendit se & ponit inde in Deo & magna assisa quis eorum jus majus habeat an idem B. retinendi dictam terram de prædicto A. pro homagio & servicio unius denarii pro omnibus serviciis sicut recognoscit, an per homagium & servicium 20 solid' per annum & unius sectæ, &c. sicut prædictus A. petit; Et si per duellum defendere elegerit, tunc fiat ut inferius in tractatu de Recto. § 2. Secundæ vero opinioni responderi poterit per abnegationem & terminabitur per Juratam, & si Jurata faciat pro tenente, recuperabit dampna & arreragia; Et ad tertiam narrationem eligere poterit an respondere velit ad jus vel ad seisinam propriam, ut sic terminetur actio secundum naturam recti per duellum, per magnam assisam vel per juratam ratione jur possessorii. § 3. Ad hoc

autem breve locum habent istæ exceptiones, ut si petierit in Hameletto cum sit in villa, vel in pluribus villis cum petere debeat in una villa, vel si petat arrerag' cum non petat de seisina propria, vel si ten' de quo petitur serviciũ sit jus uxoris suæ, & uxor non nominetur in brevi, sed si omnes petentes in communi vero sequantur, vel si petatur judicium de variatione narrationis & brevis de sicut hoc verbum solet vel consuevit propriam supponit seisinam & petens non narrat nisi de seisina Antecessor'. § 4. In casibus istis prædictis cadit breve & peremptoria responsio est deadvocare tenere de querente.
Nota. § 5. Si autem de longinqua & remota seisina peti debeat aliquod ten' tantum dicatur quod ei facere debet & solet ut utrumque jus & possessionis & proprietatis in judicium deducatur, & quo casu nulla dampna recuperabit cum super mero jure suo suam fundaverit intentionem, & quo casu nisi campionem ad manum habuerit per quem offerre poterit sectam & disrationationem super probatione jur' sui & seisinæ sui Antecessor' petens cadet ab actione, dum tamen hoc fuerit ab adversario calumniatum. § 6. Item locum habebunt finis factus, quieta clamatio, & aliæ generales.

Ne Vexes. CAP. 40.

Dirigitur autem breve inhibitionis Reg' patens domino feodi, Ne vexet liberos tenentes suos vel distringat ad faciend' alias consuetudines vel alia servicia quam facere consueverunt, & quo casu si fuerit hæres & si fuerit eis injuriatum per eundem, hoc tunc probato sicut in brevi de recto de terra ducenda erit loquela in Com' donec fuerit terminata nisi prius ad magnam Curiam fuerit translata, in quo brevi sic debet intentio proponi. § 2. Ostendit vobis A. qui præsens est quod B. præsens injustè ab eo exigit consuetudines & servicia quæ ei facere non debet nec solet de libero ten' suo quod de eo tenet in N. & ideò injustè, quia ubi tenet de eo unum mesuagium & unam carucatam terræ cum pertinentiis in eadem villa reddendo inde ei unum denar' per annum pro omni consuetudine, servicio & seculari demanda, idem B. exigit ab eo custodiam, relevium, heriettum, Scutagium, auxilia, sectas ad Cur' suam de N. de tribus septimanis in tres septimanas, amerciamenta per defaltas sectarum & alias consuetudines & alia servicia innumerabilia, & ipsum proinde distringit de die in diem. Ita quod terram suam colere non potest ad dampnum suum, &c. quod si negaverit hoc erit injustè quia sectam habet ad hæc bonam & sufficientem. § 3. Injuriam & vim defendit B. præsens & dampna sua, &c. & de omni den' & ad opposita respondet & dicit quod non injustè sed rectè exigit prædictas consuetudines & prædicta servicia & ideò quia quidam Antecessor ipsius B. nomine C. fuit vestitus & seisitus de cons' & serviciis petitis in dominico suo ut de feodo & jure tempore pacis, &c. capiendo inde explecia, &c. & unde jus descendit de eo C. & descendere debuit isti B. petenti ut filio & hær' ut de feodo & jure, & ex quo proferre poterit sectam & disrationationem vel ponere se in magnam assisam vel in Juratam patriæ, ut si per duellum vel assisam magnam jus suum defendere elegerit sic erit defendens actor quodammodo.

De

De Rationab' Divisis. CAP. 41.

FIT autem quoddam breve remediale super causis de divisis, quod vic' faciat esse rationabiles divisas inter terram B. & C. sicut esse debent & solent cum unus questus fuerit quod alius plus traxerit ad feodum suum quam ad ipsum pertinuerit habend',& quamvis in Com' intentetur, ad magnam Cur transferri poterit, cujus intentio sic habet proponi. § 2. Ostendit vobis A. quod B. injustè non permittit rationabiles fieri divisas inter terras suas quas habent in N. & S. & ideò injustè quia deficut rationabiles divisæ fieri debent inter terras prædictorum A. & B. à quodam tali loco usq; ad talem, idem B. attraxit ei de terra ipsius tantum ultra prædictas divisas, & unde D. antecessor suus fuit vestitus & seisitus de prædictis divisis per bundas & signa inter eos facta, & de prædicta terr cum pertinentiis in dominico suo ut de feodo & de jure tempore pacis, &c. Et unde jus prædictæ terræ per prædictas bundas & divisas descendit de D. & descendere debuit isti A. qui modo petit tanquam filio & hæredi, & quod tale sit jus suum, sectam habet & disrationationem. § 3. Defendi poterit hæc actio per duellum & per magnam assisam vel juratam, & similiter actiones de clamio habendo in alieno fundo. Piscaria in aliena aqua rationabilibus estoveriis in alieno bosco, hauriendo aquam in alieno puteo vel fonte & communia pasturæ & similiter in alieno & hujusmodi, ubi petens nihil clamat in fundo sed tantum in servitut. § 4. Si fundata sit intentio super seisina Antecessorum per hoc verbum debet, & si super seisina propria secundum hanc dictionem solet, tunc terminari poterunt per Juratam & placitari debent per districtiones & attachiamenta sicut actiones personales. Est etiam quædam actio de secta ad alienum molendinum debita & subtracta quæ proponi debet in judicio sicut actiones prædictæ, & eodem modo terminari; Secta tamen voluntaria nulli confert titulum agendi cum secta cessaverit, & eodem modo intententur actiones & terminentur de clamio habendo & consimiles.

LIBER SEXTUS.

De Propinquitate Hæredum. CAP. I.

QUoniam in ante expofitis libris de affifis & jure tractavimus poffefforio, confequenter de ipfo jure petitorio difpiciamus. Eft autem jus publicum & privatum,quod ex naturalibus præceptis aut gentium aut civilibus eft collectum; & quod in jure fcripto Jus appellatur id in lege Angliæ Rectum effe dicitur. § 2. Actio quidem fuper recto ultimum locum fibi vendicat in ordine placitorum à fummo remedio ad inferiorem actionem non habetur ingreffus neque auxilium. § 3. Hæc quidem actio & non alia quis fit hæres propinquior determinat per narrationem defcenfus abfq; duello vel magna affifa inter perfonas ab uno & eodem ftipite clamantes. Hæreditas autem eft in univerfum jus quod defunctus habuit. § 4. Succeffio à qua dicitur qui eft qui fuccedit in univerfum jus quod defunctus habuit. Jus enim hæreditarium quandoq; quafi ponderofum defcendit & quandoq; afcendit, non tamen eadem linea, & fi feis' aliquando exorbitet quod jus merum non ftatim fequatur fed in fine tantum ad proprietatem revertetur fi fit hæres qui petat, vero namque hæredi defcendit jus ubicunque fuerit in utero matris,quamvis folus Deus faciat hæredes. § 5. Liberorum itaq; quidam funt naturales & legitimi, quidam naturales & non legitimi, & quidam nec naturales nec legitimi. § 6. Legitimorum & naturalium quidam funt filii & hæredes utriufque, & quidam quamvis legitimi filii & naturales, nullius tamen hæred', & quidam poffunt effe hæredes & definere, & quidam non. § 7. Item naturalium & legitimorum hæredum quidam funt propinqui & quidam propinquiores, quidam remoti, & quidam remotiores. § 8. Omnes enim filii Ticii quotquot funt in jure poffeffionis paritatem habent, & fic omnes propinqui. § 9. Nam efto quod poftnatus antenatum extra feifinam teneat hæreditatis paternæ, & tempus pacificum feifitus obtineat, antenatus in jure petens poffefforio non recuperabit in jure proprietatis, & fic erit antenatus hæres propinquior. § 10. In proprietate enim pares fore non judicabuntur. § 11. Omnes autem quotquot à communi ftipite primi defcendunt gradatim per lineam rectam in infinitum funt hæredes recti & jufti, & cum in linea recta defuerint, tunc vocandi funt ipfi qui propinqui in linea tranfverfali defcendendo in infinitum, & ultimo cum in linea tranfverfali defectus inveniatur defcendendo, vocandi funt illi qui funt in linea tranfverfali afcendendo. Et quamvis omnes fic in infinitum afcendendo recti funt hæredes & jufti, non tamen omnes vocandi funt fimul ad fucceffionem; Propinquior excludit propinquum, propinquus remotum, remotus remotiorem

orem. Quibus omnibus deficientibus propter defectum vel propter delictum revertitur jus de necessitate ad Dominum feodi, à quo vel cujus Antecessoribus processit cum aliam viam non inveniat, & evanescit homagium. § 12. Plura autem hæredem reddunt hæreditati propinquiorem, utpote sexus, ætas, linea, hæreditas partibilis, pluralitas fœminarum, modus donationis & sanguinis; masculus namq; sexus in actione præferri debet fœmineo, filia autem procreata à prima uxore præferri debet in successione hær̄ cum matre in maritagio concessæ, masculo à secunda uxore, & eodem viro primogenito penitus excluso: filia itaq; in linea recta descendendo inventa, masculum excludet in transversali. § 13. Jus etiam sanguinis fœminam præfert; nam sorore de eodem patre eademq; matre & fratre de alia uxore seisinam eorum fratris defuncti petentibus soror obtinebit. § 14. Quandoq; verò masculinum excludit & fœmininum. Ticius namq; Priscam ducit in uxorem, procreatur filius ab utroque; Decedente Prisca Tedam sibi assumit de qua filium & filiam sibi generat, filius quidem Tedæ perquisitum facit, nullo hærede sibi genito decedit, pro filia Tedæ judicabitur cont̄ masculum petentem de morte fratris quia perquisitum, secus erit de hæreditate descendente de seisisi Ticii in recta linea inferius computando, in quo casu repellenda erit fœmina in jure proprietatis dum masculus apparens inveniatur, ex masculo proveniens. Esto namque quod Ticius duos filios duasq; filias matribus diversis procreaverit, antenatus revera tanquam propinquior patri succedet, postnatusque post eum si hæredes sibi non genuerit, & filiæ repellentur ut remotæ; Sed esto quod eorum alter perquisitum fecerit & sine hærede de se decesserit, vocanda erit soror uterina defuncti, & repellentur frater & soror de alia matre propter jus sanguinis duplicatum ex parte parentum, licet pares sint in jur' possessionis. Refert tamen à quo perquisierit, à fratre suo videlī antenato vel alio ejus Antecessore vel extranea persona. § 15. Cum Ticius tres filias de matre primogenitoque terra sine hærede de se decesserit vivente Ticio, succedat ei jure hæreditario medius, medioque tertius; sed cum hæreditas primogenito per mortem Ticii descenderit paterna statim transfertur jus perquisiti in personam medii, homag' enim perquisitum expellit; secus verò si de extraneo cujus hæres non fuerit perquisitum fecerit. § 16. Sed esto quod à Ticio medio fiat donatio homagio interveniente, quo sine hær' de se relicto decedente, vocatus est antenatus ut hæres, & cum eo remanebit hæreditas donec dominium per paternam mortem sibi descenderit, qui de manibus extranei per ass' mor' ant̄ recuperabit seisinam, postnatus verò nequaquam non sic de manibus fratris postnati; Cui igitur consulitur per breve de recto per quod seisinam recuperabit & cum eo remanebit donec dominium paterna sibi descenderit hæreditate, cum quo deinceps si sit filius vel frater qui petat per breve de recto non poterit remanere perquisitum. Et si frater vel nepos petierit, & antenatus hæredem sibi procreaverit lite pendente, jam cessat jus petentis, & novo competit procreato. Sed si ante procreationem sententialiter rem recuperaverit in perpetuū cum eo remanebit, idemque quod petenti competebat ipso decedente hæredibus petentis competit

in infinitum: qui si absque hærede de se decesserit, tunc antenatus ei succedet. Sed si tertius frater perquisitum fecerit & decesserit nullo hærede de se relicto, succedet ei frater antenatus, medius verò minimè. § 17. Si Ticius plures filias reliquerit de una matre vel diversis genitas, omnes pariter vocandæ sunt ad successionem & ad capacitatem hæreditatis paternæ, & erunt pro uno hærede quamvis animæ diversæ. § 18. Dominus verò capitalis loco hæredis habetur, quoties per defectum vel delictum extinguitur sanguis sui tenentis. § 19. Loco hæredis etiam haberi poterit cui per modum donationis fit reversio cujuscunq; ten̄. § 20. Vel propinquior dici poterit ille ad quem jus proprietatis immediatè post mortem Antec' descendit. § 21. Item propter ætatem, ut si quis plures filios habuerit, jus proprietatis primo descendit ad primogenitum eo quod inventus est primo in rerum natura,& alii remanebunt ei propinqui vel propinquiores secundum ꝙ liberos habuerit vel non habuerit. Si autem in vita patris decesserit antenatus sine hærede de se, frater postnatus locum suum obtinebit, & incipiet esse patri communi hæres propinquior, & alii postnati propinqui, & sic fiet de aliis in infinitum. § 22. Si autem frater antenatus in vita patris communis obierit relicto hærede de se, & nepos vel neptis incipit esse in potestate avi,erit hæres propinquior avo propter jus proprietatis ꝙ ei descendit quamvis gradu remotior, & avunculus vel amita hæres propinquus & non propinquior quamvis gradu propinquior, & undè si avunculus vel amita extr̄ seisinam petat versus nepotem vel neptem quæ fuerit in seisina obstabit ei exceptio proprietatis. Et eodem modo si petat versus extraneas personas,quia nepos vel neptis vel alius majus jus habet. § 23. Si autem avunculus vel amita se posuerit in seisina, tunc cum nepos vel neptis fuerit hæres propinquior in jure proprietatis superstes procedet inter eos breve de consanguinitate, vel de recto secundum ꝙ avunculus vel amita longam vel brevem habuerit seisinam; & ꝙ dicitur de fratre postnato, avunculo & amita hæred' propinquis, observetur de omnibus aliis hæredibus in casu consimili.

De gradibus successionis & parentelæ, & de linea Consanguinitatis. CAP. 2.

COgnationum sive parentelarum aliæ sunt superiores, aliæ inferiores, aliæ collaterales, sive transversales; superiores verò Antec' appellamus atq; parentes, inferiores etiam hæredes dicimus, & collaterales, consanguineos, hæred' & parentes quamvis impropriè,cum hii qui in linea recta propriè cognati sunt. Superior autem cognatio parentum sive Antecessorum qui mortui sunt in linea recta ascendente incipit à primo gradu, videlt̄ à patre vel matre ascendendo usque ad avum, à secundo gradu scilicet ab avo usque ad proavum, à tertio gradu videlt̄ à proavo usque ad abavum, & sic à quarto gradu supra ab abavo usque ad atavum, & sic à quinto gradu supr̄ ab atavo usque ad tritavum qui obtinet in computatione quintum gradum; ulterius autem not fit computatio ascensus, quia talis computatio excederet memorias hominum,& sic revolvendo à tritavo pro patre vel à tritava pro matre

tre fieri poterit descensus juris usque ad trinepotem,& est inferior cognatio, & facienda est computatio liberorum & hæred' recta linea descendentium à primo gradu, scilicet à patre & matre usque ad trinepotem & trineptem, sic à patre vel matre usque ad nepotem vel neptem, & à nepote vel nepte usque ad pronepotem vel proneptem, & sic à gradu in gradum usq; ad trinepotem & inferius si necesse fuerit, in quo casu nullus debet vocari ad successionem in linea transversali descendendo vel ascendendo, masculus vel fœmina, quamdiu aliquis hæres superstes fuerit in linea recta descendente. Sed illis omnino deficientibus in parentela de necessitate revertitur jus proprietatis ad eos qui sunt in linea transversali descendentes, & incipienda erit computatio parentelæ à primo gradu propter omnes gradus & hæredes ad quos jus proprietatis descendit sicut à communi stipite eorum qui utrumque jus habent, videl. possessionem & proprietatem, per omnes gradus & personas illas quas seisiñ sequi debet si potuissent vel tempus quo hæredes esse potuissent expectassent, id est si aliquid ad eos descenderit mortui Antecessor & in quocunque gradu in linea recta descendente hæredes defecerint, & revertetur jus de necessitate ad eos qui sunt in linea transversali & ad fratrem patris vel matris & sic per medium quasi per plures gradus. § 2. Si autem nullus pervenerit hær̃ à primo gradu in linea recta descendente, & frater antenatus obierit in vita patris communis sine hærede, vel si hæredem habuerit & in vita patris defecerit, vel defecerint omnes fratres præmortui, tunc fiat computatio à primo gradu immediatè sicut à communi stipite, à patre scilicet vel matre exeuntibus in seisina usque ad fratrem vel sororem in linea transversali, qui quidem cum seisinam suam obtinuerunt stipitem faciunt & lineam rectam descendendo quatenus ad suos hæredes. § 3. Si autem tempore descensus filius & filia defecerint & hæredes habuerint recta linea descendendo, scilicet nepotes vel neptes, & quidam defecerint & quidam non per omnes gradus & personas per quas jus descendisse debuit si viverent, fiat computatio descensus jur̃ ad illum qui superstes est & petens. § 4. Si autem tales aliquando extiterint & defecerint omnino in tali linea descendente in vita Antecessor̃, tunc quia jus revertitur de necessitate ad alios qui sunt in alia linea transversali fiat computatio parentelæ & descensus à primo gradu & communi stipite usque ad talem per omnes gradus & personas ad quas jus descendit dum viverent vel descendere debuit si expectarent q hæredes essent omissis illis omnibus qui mortui sunt in vita Antec' ac si nunquam essent in rerum natura. Et si ulterius jus ad aliquem descenderet fiat ut dictum est de hær̃ inferioribus linea recta vel transversali venientibus. § 5. Illis autem omnino deficientibus ad quos jus descendit inferius in linea recta descendente & transversali oportebit de necessitate quod jus proprietatis descendat ad parentes vel cognatos qui sunt in linea transversali ascendente sicut ad fr̃em avi, & sic in linea descendente per omnes hæredes suos usque ad illum qui petit, & si omnes tales defecerint tunc ad superiores, videl. ad fratrē proavi & omnes hæredes suos, & sic de gradu in gradum & hærede in hæredem usque ad illum qui petit. § 6. Dividitur quandoque computatio descensus per plures lineas & per plures gradus

propter

propter hæredum pluralitatem quæ cadit in descensum indè licet ubi hæreditas descendit pluribus filiabus quarum omnes sunt cohæredes, participes & capaces; Et ubi dividitur jus proprietatis in personas plures & plura capita & quandoque bifariè, trifariè, quadrifariè, per subdivisiones, & ubi quælibet persona facit sibi stipitem in primo gradu & lineam rectam descendentem, non autem per omnes personas quæ aliquando extiterint hæredes licet propinquiores, facienda est computatio descensus nisi tantum per illos qui expectaverint mortem ant̃ ob quod jus proprietatis ad illos descendit vel saltem ad hæredes à corpore suo venientes, quia si quis plures habuerit filios & filias, & antenatus hæres propinquior in vita patris communis sine hærede de se decesserit, postnatus post eum statim est hæres propinquior, & quo nihil juris descendit fratre antenato dum vixit, ac si nunquam esset in rerum natura, nec fiat mentio de persona sua, sed immediatè fiat computatio descensus ad fratrem postnatum qui expectavit quod jus ei descendit. Idem etiam erit si frater antenatus liberos ex se habuerit, & in vita patris communis omnes decesserint antequam jus ei descenderit; si autem frater antenatus, vel liberi si quos habuerit patrem communem supervixerint, saltem per unam horam, & sic expectaverit descensum jur' ad eos & sic statim obierint, oportebit de necessitate facere mentionem in descensu de persona ipsius ad quem jus descenderit. § 7. Item eodem modo si plures sint personæ & hær̃ ad quos jus descendit gradatim & successivè de singulis oportebit facere mentionem in descensu, sic incipiendo à communi stipite, & undè talis Antec' fuit seisitus in dominico ut de feodo, &c. & de tali descendit hær̃ & descendere debuit tali ut filio & hær̃ de tali usq; ad tale, & sic de hær̃ in hær̃ usq; ad petentem, quod quidem dici non poterit de eo qui sine hær̃ in vita patris decessit, vel si hæredes habuerit, & omnes in vita patris decesserint antequam aliquod jus ei descenderet; Si autem frater antenatus relicto hærede in vita patris decesserit, tunc dicunt quidam quod computatio descensus sic fieri debeat; undè talis Antecessor fuit seisitus, &c. & de tali Antec' descendere debuit jus tali ut filio & hær', sed dici non debuit quod aliquod jus ei descendit, cum non expectaret quod descenderet, & ideò sic facta intentione de eo qui in vita patris sic obiit, dicatur, & quia talis filium non expectavit ut jus ei descenderet à tali Antecessore, descenderit jus tali ut nepoti vel nepti, & sic deinceps descendendo usq; ad nepotem; sed revera sive antenatus moriatur in vita patris vel Antecessor alterius liberos habuerit sive non, semper debet fieri mentio de eo in quolibet descensu post jus quod ei descenderet si mortem Antecessor̃ expectaret. § 8. Item si quid' de gradibus mentionem in successione talis debet ordo conservari. § 9. In primo gradu sedent pater & mater qui faciunt stipitem communem. In secundo verò in linea descendente sunt filius & filia. § 10. In tertio nepos & neptis, & sic deinceps in infinitum, ubi remotioribus propinquiores præferuntur, & illis omnino deficientibus, tunc in secundo gradu in linea transversali sunt patris & matris frater & soror, & hæredes eorum in infinitum descendentes. § 11. Item in linea recta ascendente avus vel proavus in suis gradibus, & sic ulterius secundum quod prædictum est & eorum hæredes à latere

provenientes

provenientes in infinitum. § 12. Item frater patris & ſoror dicuntur patruus & amita, & ſi ab amita procedat filius vel filia dici poterunt quantum, & ſic eorum filii & filiæ, nepos, neptis, & ulterius deſcendendo in infinitum. § 13. Illi verò qui ex patruo procedunt filius & filia patrueles nuncupantur, & ſic deinceps eorum filius & filia in infinitum deſcendendo. § 14. Item in linea recta deſcendente & tranſverſali ex parte filiæ alicujus ſoror filiæ de uno eodemque patre & diverſa matre conſobrina dici poterit & frater ex talibus conſobrinis, & eorum filius & filia, nepos & neptis, & ſic deinceps. § 15. Item ſoror filiæ de una & eadem matre ſed diverſo patre, ſoror uterina & frater uterinus dici poterunt,& ſic eorum filius & filia, & ſic deinceps ut ſupra. § 16. Item ſoror patris dicitur amita, & ſoror matris matertera,& eorum filius & filia inferius, & ſic in infinitum. Ex iſtis omnibus deficientibus ad ſuperiores fiet aſcenſus ſicut ad fratrem avi vel aviæ vel ſororem in linea tranſverſali ſicut ad patruum magnum vel amitam magnam & ad eorum hæredes filium & filiam, & ſic deinceps, & illis omnino deficientibus tunc ad fratrem proavi ex parte patris qui dicitur propatruus magnus vel ejus ſororem quæ dicitur proamita magna, & ſic deinceps ad filios & filias, & eorum nepotes & neptes. § 17. Illis autem deficientibus ex parte patris tunc vocantur fratres abavi vel abaviæ qui dicuntur ab patruis magnis & amita magna & hæred' eorum in infinitum. § 18. Et iſtis deficientibus ex parte patris, fratres atavi & ataviæ qui dicuntur atpatruus magnus & attamita magna & eorum hæredes in infinitum ; quibus deficientibus vocantur ex parte patris frater & ſoror tritavi & tritaviæ qui dicuntur patruus magnus & tritamita magna,& hæredes eorum in infinitum. § 19. Ex altera parte tranſverſali ex parte matris, ut ſi avunculus & matertera & omnes alii inferiores hæredes defecerint, tunc vocentur fratres & ſorores avi vel aviæ ex parte matris,qui dicuntur avunculus magnus & matertera magna & eorum hæredes in infinitum,& illis deficientibus tunc vocantur ex parte matris frater proavi vel ſoror, qui dicuntur proavunculus magnus & promatertera magna & eorum hæredes in infinitum, & ſic gradatim vocandi ſunt abavunculus magnus & trimatertera magna, attavunculus magnus, & atmatertera magna, tritavunculus magnus & trimatertera magna ex parte matris in linea tranſverſali aſcendendo,& hæredes eorum in infinitum. § 20. Et quoto gradu quis diſtet ab alio in linea deſcendente vel aſcendente, & qualiter gradus cognationis computantur in figura, &c.

De Defectibus Cur' Dominorum. C A P. 3.

BRevia quidem de recto in Cur̃ dominorum feodi debent intentari ; transferri tamen poterunt ad Com' per verba in brevi, & niſi feceris,&c. vic' fac' & de Com' ad magnam Cur', non tamen niſi defalta probetur quod Dominus feod' defecerit de recto, quod multipliciter fieri poterit, ut ſi deforcians tenuerit de alio quam de domino in brevi comprehenſo, vel quia ipſe nullam Cur' habet, vel quia Curiam ſuam remiſerit per liter̃ ſuas patentes, vel quia in poteſtate Domini, ut ſi warantus vocetur qui ſit

manens extra districtionem suam, vel si deforcians alibi se essoniaverit de malo lecti quam infra potestatem domini sui, vel si in potestate, quia milites mittere non potuit ad ægrotum essoniatum, vel tenens se ponat in magnam assisam, & plures sunt causæ. De Summonitionibus verò faciend' ad Cur̃ domini capitalis quot esse debent vel quorum sursisæ vel quot essonia fieri, habet quælibet patria suam consuetudinem; sed de visu petendo waranto vocando quandoque exceptionibus, replicationibus, duellis & aliis quæ in Cur' dominorum placitari poterunt, secundum seriem processus in Cur' Regis in Cur' dominorum suorum observetur. § 2. Cum quis igitur senserit dominum suum vel Cur' suam sibi de recto defecisse, tunc ostenso hoc vic', statim præcipiatur ballivo hundr' vel itineranti vel alteri servienti Regis quod assumptis secum liberis & legalibus hominibus de visneto illo ad Cur' illius domini si quam habuerit procedat, vel ad reseantisam suam vel alibi super feodo si Cur' non habuerit neque reseantisam, & ibi accipiat sacramentum à petente se tertia manu tactis sacrosanctis in præsentia Domini si interesse voluerit, quod Cur' Domini sui sibi de recto defecerit, & quod indè certificet vic' ad proximum Com' ad quem diem adjornet petens quod sit tunc ibi jus suum prosecuturus. § 3. Ad quem diem ex testimonio servientis cui dedici non poterit in hac parte præcipietur Hundredar̃ loci quod tenentem summoniri fac' quod sit ad alium Com' petenti responsurus. Ad quem diem si uterque comparuerit procedat loquela, & si alter eorum vel ambo essoniati fuerint dabitur alius dies per suos essoniatores, & si petens defaltam fecerit cadet breve. Si autem ambo defaltam fecerint recompensari poterit defalta cum defalta, ex quo tenens per judicium quietus non resistit. § 4. Petente autem comparente & tenente non præsentibus summonitoribus summonitionem testificantibus, procedatur contra ipsum ad defaltam per captionem terræ in manum Regis vel alio modo secundum locorum consuetudinem, & idem erit si summonitio ab initio facta fuerit per servientem probata defaltã, contra quorum testimonium dedicere non poterit summonitionem per leg' suæ devadiatom. Et iterum defaltam fecerit tenens cum terra capta fuit in mañ Regis judicabitur pro petente, salvo tamen tenenti jure suo cum indè loqui voluerit, & eodem modo nisi terra capta infra xv dies extra mañ Regis replegietur nisi fraus & dolus intervenerit. § 5. Et cum ita fuerit loquela in Com' sive tenens se essoniaverit sive non, capitalis dominus Cur' sua deinceps indè non rehabebit. § 6. Secus erit si dominus ante testimonium defaltæ recti per servientem in com' factum venerit, & docuerit quod petens fraudulenter dedit vic' intelligi quod Cur' sua ei de recto defecerit rehabebit, sed si expectaverit donec testimonium servientis præcesserit beneficio Curiam suam rehabendi deinceps non gaudebit, eo quod per essonium tenentis vel per testimonium servientis de defectu dom' incipit loquela esse in Com', & cum tanto tempore fuerit in Com' quod loquela transferri possit ad magnam Cur' non erit locus repetitioni. Et cum sic fuerit in Com' locum habebunt essonia de malo veniendi & de malo lecti.

De

De Warantiis in Com. CAP. 4.

CUm autem warant̄ vocaverit in Com' ac Com' non habeat poteſtatem ſumm' warant̄, ſuccurritur vocanti per breve per quod Rex præcipiet vic' quod præcipiat tali quod juſtè & ſine dilatione warant̄ tali tant̄ terr̄ cum pertinēn̄ in tali villa quod talis clamat ut jus ſuum,&c. Et niſi fecerit,quod ſit coram Juſticiar' itinerantibus cum in partes illas venerint,& undè ſi in Com' war̄ benè,ſin autem, expectet adventum Juſtic', & cum placitum de warantia cor̄ eis terminetur, remittatur loquela principaliter ad Com' ad terminand' ſi Juſtic' voluerint. Ipſi tamen utrumque poterunt reducere,& terminare actum, ſi loquela interim transferatur ad bancum, ſic evaneſcit adjornamentum uſq; ad iter Juſticiar' & tenens de novo incipiet vocare ad warantum, & ſi warantus fuerit infra ætatem ſic remanebit principale placitum in ſuſpenſo in Com' & ſic placitum de warantia cor' Juſtic' quouſque warantus ætatem habuerit. Si autem tenens per duellum ſe defendere voluerit tunc fiat ut inferius, & cum in magnam aſſiſam ſe poſuerit in Com' detur dies uſque ad alium Com' infra quem tenens perquirat ſibi breve de pace habenda uſq; ad adventum Juſtic' ad omnia placita in Com' illo,quod quidem facere non poterit per interpoſitam perſonam eo quod in propria perſona tenetur jurare qd' tenens eſt,& quod ſe poſuit in Com' in magna aſſiſa, alioquin per defaltam in primo Com' vel ſecundo judicabitur pro petente, & cum tenens breve prædictum in Com' protulerit petens perquirat ſibi breve de ſummonendo magnam aſſiſam cor' Juſtic' prædictis. § 2. Prohibitiones verò quæ brevia ſunt de pace,vic' diriguntur ne teneant placitum vel quod aliis prohibeant ne teneant,& tales prohibitiones in Rotulis Cancellariæ debent irrotulari.

De Tranſlatione loquelæ ad Bancum. CAP. 5.

TRansferri quidem poterit loquela ad petitionem petentis, ſed non tenentis niſi ex cauſa cum plures ſint tenentes, ſed ſi tenens tranſlata loquela ad petitionem ipſius extra Com' defaltam fecerit primo die pro petente judicabitur niſi breve ſuum ad ponend' loquelam ſuam cor' Juſticiar' weyviaverit. § 2. Et ſi petens tranſlata loquela ad petitionem ſuam extra Com' primo die defaltam fecerit & tenens ſe eſſoniaverit ac ejus eſſoniator ſine die receſſerit, quamvis breve originale penes ſe retinuerit, ſi iterum perquirat ſibi breve ad loquelam removendam extra Com' non valebit, eo quod nullum placitum eſt in Com' ſed erit placitum de novo recipiend'; transfertur enim quandoq; loquela ad Cur' magnam ad petitionem petentis, quandoq; de neceſſitate propter privilegium tenentis qualiter habent Templar' & Hoſpitilarii & plures alii qui ex collatione regum ſic ſunt privilegiati quod de aliquo placito non reſpondebunt niſi cor' ipſo Rege vel capitali Juſtic'; verumtamen ſi alibi reſpondere inceperint ex pœnitentia reſilire non poterunt. § 3. Transfertur etiam quandoque de neceſſitate cum Comitatus poteſtatem non habeat terminandi aliquam exceptionem, ut ſi baſtardia objecta fuerit vel hujuſmodi. Et eodem modo propter difficultatem

cultatem judicii, & multis aliis modis, sed loquela de parvo brevi de recto secundum consuetudinem manerii nunquam ad magnam Curiam transfertur. §4. Item transfertur quandoq; extra Com' propter falsum judicium vel fatuū, ut si duellum contra cōmuñ consuetudinem regni fuerit adjudicatum.

De Summonitionibus. CAP. 6.

TRanslata ad magnam Cur' loquela ad petitionem petentis oportet ꝙ summoneatur tenens quod sit ibi ad certum diem petenti responsurus. § 2. Est autem summonitio, postsummonitio & resum', & sunt quædam mandata quæ locum non habent, ut si Rex mandaverit tali quod veniret vel quod esset, vel talem haberet, vel vic' quod aliquem venire faceret, vel attachiaret, vel corpus haberet. § 3. Summonitionum alia generalis, alia specialis; general' summ' est quæ tangit aliquam universitatem, quæ cum per proclamationem facta fuerit in loco publico, dedici non poterit neq; defendi. Specialis est cum quis de aliquo placito speciali summ' sit, & si summ' essoniat̄ fuerit die suæ litis, & dies ille fuerit primus dies itineris, sufficit illud essoñ pro utraq; parte, quamvis non è converso. § 4. Cum quis igitur summ' esse debeat legitimè summonitionem recipere poterit in propria persona ubicunq; inventus fuerit in Com' in quo fuerit res petita, qui quidem si non inveniat̄ sufficit si ad domicilium fiat dum tamen alicui de familia sua sub testimonio fide dignorū manifestè fuerit relicta sibi cum venerit denunciand'. § 5. Et si plura habeat domicilia tunc fiat summ' ad illud in quo magis inhabitaverit. Si autem mansionem non habuerit in Com' sufficit si super terram fiat petitam, vel super feodum si terram non habuerit in Com' sed feodum tant̄. Cum autem sic summ' præventus fuerit quis summ', deinceps extra regñ impunè se non poterit transferre ut per hoc majores habeat dilationes, cum fraus & dolus nemini debent patrocinari. § 6. Nullus summ' potest cui jurisdictio ordinaria per ipsum Reg' non delegatur, nec alius cohertionem Com' habebit, nec contumaciam punire poterit quis nisi ipse cui datur judic' authoritas & non per Judicem delegatum sed per ipsum Reg'; Prætor enim Judic' sibi non poterit subdelegare, quia sententiæ taliū nullius sunt effectus. § 7. Sententia enim à non Judice lata nemini debet nocere. § 8. Cum igitur quis summ' fuerit per Judic' quem sciverit habere jurisdiction', vel per ballivum vel alium war̄ summ' à Judice ordinario vel delagato in man' deferente venire debet vel legitimè se excusare, alioquin pœn' contumaciæ non evadet. Et si constiterit ꝙ non habuerit jurisdictioñ, impunè poterit summ' absentare, si verò dubitetur, venire debet saltem privilegium fori allegatur'. § 9. Nec sufficit ꝙ summ' fiat per unum tm' nisi ab ipso Judice fuerit summ' in Cur'. Necesse est igr̄ ꝙ per duos ad minus fiat qui de die loco & hora ac aliis circūstant̄ valeant legitimè testimonium perhibere cum indè fuerint per Justic' requisiti. § 10. Nec enim tenet̄ quis ubiq; recipere sum' quia non extra Com' in quo fuerit res petita nisi eam receperit in Cur' à prætore. § 11. Nec etiam sufficit quod summonitio fiat ad statim respondend', sed decet quod quilibet habeat tempus 15 dierum ante diem litis, & si summonitus minus spacium habuerit pro illegitima decet reputari, nisi in causis specialibus, ut sunt cau-

sæ mer-

ſæ mercatorum in crucesignatorum, & hujuſmodi quæ inſtantiam deſiderant & celeritatem, & ſicut in itineribus Reg' & Juſtic' & quandoq; majus ſpacium propter peregrinationem & hujuſmodi. § 12. Legitima igitur ſum' continere debet in ſe tempus 15 dierum ad minus, majus enim non nocebit, & ſi minus contineat & ſummonitus non comparuerit, illegitimam ſummonitionem ſibi factam calumniaverit & illegitimitatem probaverit, dabitur alius dies legitimus in Cur' quæ dedici non poterit cont recordum Judicis. Et ſi quis ſummonitione quamvis illegitima eſſoniatus fuerit vel defaltam fecerit vel ſine calumnia in loquela præceſſerit vel diem ceperit amoris, ſummonitionem minus legitimè factam ulterius calumniare non poterit. Si autem ſummonitio omnino dedicta ſit, & petens ſe teneat ad defaltam, vocandi ſunt ſummonitores ut teſtificentur ſummonitionem, & cum diligenter examinati concordes inveniantur ſumm' teſtificantes tunc primò vadiat ſummonitus legem per quam ſe defendat cont ſummonitorum teſtificationem, & non ſolum quod ſummonitus non fuit in propria perſona, ſed quod nulla ſummonitio venit ad ipſum nec ad domum neq; ad familiam per quam inde fuerit præmunitus ante diem litis. § 13. Si autem ſummonitores in probatione ſummonitionis diſcordes inveniantur non habebit ſummonitus neceſſe ulterius defendere ſum', ſed dabitur ei alius dies in Cur' niſi tunc gratis voluerit reſpondere. § 14. Sunt autem quidam caſus in quibus ſumm' dedici non poterunt, ut cum quis ſummonitionem à Judice ſuo receperit in Cur', vel cum ſummonitus ante diem litis Attornatum conſtituerit, quia ante ſummonitionem locum non habebit facere Attornatum. § 15. Ad diem autem legem faciend' poterit uterq; eſſoniari de placito leg' faciend' & recipiendæ. Ad quem ſi legem legitimè compleverit recedat ſine die quietus, alioquin petens ſeiſinam recuperabit. Et eodem modo ſi primo die vel ſecundo defaltam fecerit ſi per Juſtic' recordetur, dum tamen breve fuerit à vic' remiſſum, quia ſine brevi non habebit prætor juriſdictionem, & quo caſu cadet loquela ſi breve fuerit originale, & novo brevi opus erit, & ſi fuerit judiciali, præcipiatur vic' ſicut aliàs, & puniatur vic' quod breve non retornavit. § 16. Cum autem à Judice vel alio ſummonitionem receperit rationabilem & ad diem litis defaltam fecerit offerente ſe liti petente, præcipietur vic' quod capiat rem petitam in man' Regis nomine diſtrictionis, ſi actio fuerit realis, & quod tenenti aſſidat diem certum quod ſit cor' Juſtic' de defalta Regi & de principali placito petenti reſponſurus. § 17. Ad quem diem remittetur ei pœna contumaciæ ſi petens voluerit ſic quod de principali placito ſibi ſtatim reſpondeat, & ſi petens ſe ad defaltam omnino tenuerit, oportebit tenentem docere cauſam ſufficientem ſuæ abſentiæ vel ſeiſinam amittet. § 18. Si autem iterum defaltam fecerit immediatè poſt primam præcipietur vic' quod terram petitam in manum Reg' iterum capiat & diem tenenti præfigat quod ſit cor' Juſticiar' auditurus judicium ſuum. Ad quem ſive venerit ſive non, pro petente judicabitur, & eodem modo quamvis ſe eſſoniaverit, cum eſſonium locum non habeat antequam defalta ſanetur. § 19. Si tenens autem ad diem ſibi datum per eſſoniatorem ſuum ſe eſſoniari fecerit de malo lect', dabitur alius dies petenti licet non te-

nenti,

nenti, & tunc ſtatim mittantur ad eum quatuor milites cor' quibus eſſoniator advocet ſi velit, qui ſi eos adjudicaverit ſtatim detur ei alius dies per prædictos milites ſecundum quod fuerit languor vel malum tranſiens, & ſi tunc fecerit defaltam capiatur terra in manum Regis per magnum Cape; Et ſi ad diem ſibi datum per milites venerit, & ſummonitionem ſibi factam fuiſſe dedixerit & utrumq; eſſoñ & petens ad defaltas ſe tenuerint, tunc examinatis ſummonitoribus ſe defendere poterit per legem ſuam, dolus tamen à parte petentis intervenire poterit, ut ſi fraudulenter fecerit tenentem uno eſſon' vel pluribus eſſoniari, & vic' prece vel precio procuraverit ſummonitiones & captiones falſo teſtificari, & quo caſu ſuccurritur decepto ſic. Inprimis oſtenſa querela doli in Cur' ſtatim præcipiatur vic' quod venire faciat cor' Juſtic' ad certos diem & locum ſummonitores quorum nomina inveniuntur in Retornis vic' indorſata necnon & illos per quorum viſum terra capta fuit in man' Regis,& cum venerint fiat inde diligens examinatio, & cum nulla ſit ſummonitio per examinationem inventa, nulla debet ſequi captio, neque poſſeſſionis amiſſio, & tunc præcipe vic' quod habeat petentem ad certos diem & locum cor' Juſtic' ad audiendum judicium ſuum & conſiderationem Cur' de hoc quod ipſe per malitiam & falſitatem manifeſtam fecit diſſeiſiri talem de tanta terra cum pertinentiis in N. & unde cum prædictus diſſeiſitus nullam haberet ſummonitionem op' ſe idem talis verſus ipſum diſſeiſitum ita quod terra bis capta fuit in man' Regis propter binam defaltam. Et unde idem talis recuperavit ſeiſinam deſicut nullam defaltam facere potuit ſine ſummonitione, & quod catalla ipſius diſſeiſiti in eadem terra tunc inventa eiq; prædicta occaſione ablata ſine dilatione ſibi reddi faciat & reſtitui, & quod habeat tunc ibidem A. & B. per quos prima ſummonitio facta fuit in Cur' teſtificata, & præter illos quatuor per quorum viſum terra illa capta fuit in man' Regis, & per quos captio in Cur' fuit teſtificata, & etiam illos per quos ſecunda ſummonitio & ſecunda captio factæ fuerunt & teſtificatæ ad certificandum Juſticiar' de prædictis ſummonitionibus & captionibus. § 20. Ad quem diem cum venerint diligenter examinentur,& quamvis in nullo inventi fuerint diſcordes adhuc locum habebit defenſio per legem contra utroſq; ſummonitores, & ſi duo primi ſummonitores diſcordes inveniantur vel omnes, retractabitur judicium & reformabitur poſſeſſio primo poſſeſſori. § 21. Et quia vic' eſſe poterit in culpa quandoq; inquirend' eſt an vic' vel ſummonitor in culpa fuerit. Et ſi inveniri poſſit qd' vic' nulli ſummonitionem facere injuxit puniatur pro negligentia niſi excuſationes pro ſe prætenderit rationabiles,ſicut ſunt quia pl' de proſequendo non invenit, vel quia breve adeò tardè venit quod mandatum Regis exequi non potuit,vel quod breve rec' extra Com' ſuum & antequam balliviam ſuam advenit ſupervenit ei mandatum Regis ſpeciale, ita quod oportuit ipſum perſonaliter accedere ad talem locum remotum, & quo caſu ſi dies in brevi contentus præterierit alio brevi opus erit; & eodem modo cum ſummonitio injuncta fuerit ſummonitor' facienda qui nihil inde fecerint habetur contentio quandoq; inter vic' & ſummonitor' ſed niſi in pleno Com' præcept̄ recepe-rint à vic' qui indè certiorari poterit Juſtic' per Record' Com' quod ſummonitionem

nitionem facere eis injunxit per legem inde se poterunt contra vic' acquietare, summoniri autem poterit omnis qui poterit convenire, major & minor, masculis & femina, major tamen per se & minor per tutorem. § 22. In carceribus verò detenti Canonici vel alii religiosi, motibiles, furiosi, & omnino fatui, surdi & muti, & uxores nuptæ per se convenire generaliter non poterunt neq; conveniri, specialiter tamen poterunt quandoq; tamen non ad dampnum suum & ad ipsorum commodum & statuum suorum meliorationem.

De causis Excusationum. CAP. 7.

Legitimè summonitus si non venerit ad diem litis secundùm quod fuerit summonitus puniendus erit nisi excusationes habeat legitimas per quas sua absentia merito debeat excusari. § 2. Causæ quidem excusationum sunt plures, sicut servicium Regis æterni, servicium Regis temporal', adversa valetudo, majoris rei occupatio, vis hostium vel aliorum cui non potest resisti: Servicium Regis æterni, sicut peregrinatio brevis vel longa nulla summonitione præcedente, servicium Regis temporalis sicut cum Rege in exercitu ad patriæ defensionem cum ad hoc teneatur, vidend' tamen erit utrum absens sit qui ex causa necessaria & utili vel ex causa voluntaria. § 3. Si autem ex necessaria causa & utili ut causa rei publicæ, sicut profectus ut dictum est cum Rege in exercitu, adhuc vidend' an per præceptum Regis vel ex propria voluntate ad evitandum dubium eventum placiti quod tenuerit fortè emissurum. § 4. Si autem profectus sit per præceptum Regis cum ad hoc obligatus fuerit ratione ten' sui vel uxoris suæ cum hoc non affectaverit, locum habebit excusatio quamdiu in tali steterit servicio dum tamen ad quemlibet diem sibi datum per esson' suum de servicio Regis miserit essoniatus warantum suum per breve Regis, quod si non habuerit & actio fuerit realis, procedetur ad defaltam cont̃ absentem, & si actio fuerit personalis procedit ad defaltam, & absens nihilominus tenebitur petenti ad suum interesse. § 5. Cum quis tamen per se servicium Regis excusaverit videndum erit an summonitione præventus & copiam habuerit quod Attornatum fecisse potuit, vel si commodè venisse potuit aliquo tempore si voluisset, vel Attornatum fecisse potuit & non fecit non excusabitur; quamvis enim servicium Regis cuilibet ministro proficere debeat, nulli tamen querenti de tali ministro debet esse injuriosum. § 6. Servicia verò Vic', Constabulariorum & hujusmodi ministrorum Regis ipsos non excusat nisi in casibus specialibus ubi præsentia eorum necessaria erit, sicut inopinato incursu hostium vel itinere Justic' vel hujusmodi. § 7. Item excusat absentem adversa valetudo, pœnam namque contumaciæ non patitur quem adversa valetudo defendit, & provenit quandoque talis adversa valetudo ex infirmitate de resceantisa & indè provenit esson' de malo lecti. § 8. Excusatur etiam summonitus propter majoris causæ occupationem, ut si quis implacitatus vel appellatus in Cur' Regis in inferioribus Curiis in eadem causa vocatus merito debet excusari. § 9. Excusat etiam summoniti absentiam saltem usque ad quartum diem litis majoris rei impeditus cui resisti non potest propter casum fortuitum,

tum, ut cum quis inveniendo fuerit versus Cur' captus fuerit ab hostibus & perinde detentus, vel si incidat in latrones, vel propter impedimentum impetus fluminum vel fracturam pontium, vel propter nimiam tempestatem vel defectum navium vel batellorum, ita quod summonitus tempestivè comparere non poterit. § 10. Si autem rarius à domicilio recesserit quam expediret vel citius quam debet, vel si contentionem quæsivit per propriam ebrietatem vel fatuitatem per quam impeditus fuit, vel si sponte in casum fortuitum inciderit, ubi posset causam de facili evitasse, vel cum dixerit ipsum impeditum esse propter pontem solutum vel propter inundationem aquarum vel defectum batellorum, & inquiri possit alios eodem die & eadem horâ transivisse & transfretasse, non debet excusari, sed procedetur cont̃ ipsum ad defaltam, & hoc propriæ negligentiæ poterit imputare, & ideò considerandа sunt in præmissis causa, locus, tempus dies & hora. § 11. Cum quis igitur in præmissis impeditus excusari affectaverit, mittat excusatorem qui dicitur essoniator, qui prætendat excusationem summoniti esse talem quod venire non possit, & nisi tamen primo die litis dominum suum essoniaverit de malo veniendi in secundo die vel ulterius non admittetur. § 12. Et qualitercunq; irrotuletur esson', sub hoc tamen intellectu debet interpretari, talis essoniator talis venit primo die & ostendit quod cum dominus suus A. nomine summonitus fuisset quod esset hic ad hunc diem tali B. de tali placito responsurus, talis infirmitas supervenit postquam fuit inveniendo versus Cur' à domicilio suo proprio vel alieno citra mare vel ultra secundum naturam essonii, quod venire non potest pro lucrari neq; pro perdere, quod quidem offerat se probare vel docere verum quod probatio non incumbit essoniatori sed domino, nec scitur an verus sit nuncius quod summonitus illum advocare voluerit necne; Constituitur quod essoniatores solummodo fidem præbeant quod habebunt warantos suos ad certum diem in Cur' ad warantizandum esson' & ad respondendum querenti; & hoc fuit provisum propter favorem pauperum ne esson' onerarentur canonice fidejussorum ꝙ quidem minimis personis grave fuit & onerosum; Secus quidem erit de majoribus personis, sicuti de illis qui tenent in baronia, de quibus statutum est ꝙ cautionem inveniant fidejussoriam ne judicia sint derisoria. § 13. Ad quem diem nisi essoniatus defaltam sanaverit petens recuperabit; sanare quidem poterit defaltam dupliciter, uno modo parti sic, ut si dominus in propria persona sacramentum præstiterit ipsum in vera impedimenti causa fuisse per talẽm tali die præstito versus talem de tali die essoniatum, & alio modo Cur' sicut dictum est si summonitionem non receperit, & ex utraque parte poterunt hujusmodi defaltæ remitti per sic quod loquela procedat.

De Essoniis de ultra Mare. CAP. 8.

Essoniorum aliud de malo lecti, aliud de malo veniendi, aliud de ultra mare, aliud de citra. Essoniorum quæ de ultra mare aliud de peregrinatione & passagio generali ad terram Jerosolomitanam, & aliud de passagio simplici ad dictam terram, & aliud de peregrinatione & passagio. In essoniis

niis verò de malo veniendi dandæ ſunt induciæ ad minus 15 dierum. Et in eſſon' de ultra mare in paſſagio generali ad terram ſanctam recedent partes ſine die, & ſic remanebit loquela propter favorem ſervicii Regis æterni & peregrinorum & propter privilegium cruce ſignatorum donec de reditu eſſoniati vel morte conſtiterit, niſi antequam iter arripuit ſummonitus fuiſſet & quo caſu faciat Attornatum vel propter ſuas defaltas pro petente judicabitur. § 2. Veruntamen non habebit locum iſtud eſſoñ quia niſi tempore transfretationis alicujus Regis cum in peregrinatione publica & generali. Si quis ergo alio tempore transfretare voluerit hoc inconſultè faciet niſi ex licentia principis profectus fuerit & habita licentia perquirat ſibi breve quod Rex ſuſcepit ipſum in protectionem ſuam omneſque terras, res & poſſeſſiones ſuas, ita quod quietus ſit ab omni querela & placito verſus ipſum extunc movendo per unum annum vel amplius ſecundum quod Regi placuerit, exceptis duntaxat querelis no. diſſ' mortis Anteceſſoris ultimæ præſentationis, Quare impedit, & de dote, unde nihil habet niſi prius in Angl' applicaverit & habita protectione faciat ſibi generalem Attornatum per breve Regis patens, verùm quia quilibet hujuſmodi brevia abſque difficultate impetrare non poterit proviſa fuerunt duo eſſonia, videlicet de ultra mare tantum, & de ultra mare ad terram ſanctam. Primo quidem dantur induciæ 40 dierum & unius fluvii & unius ebbe, & ſi ulterius quæſierit dilationem locum habebit eſſonium de malo veniendi. Secundo autem dantur indiciæ unius anni & unius diei. § 3. Sunt quidam enim qui cum ſciverint brevia ſuper ipſos impetrata extra regnum ſe divertunt ne ſummonitione ſint præventi ut ſic jus petentis per eſſoñ de ultra mare differre poſſint, & unde proviſum eſt quod ſi petens offerat verificare quod tenens fuit in Anglia die ſummonitionis & per tres ſeptimanas ſequentes adjornetur eſſon' & irrotuletur calumnia petentis, & ſi alia die conſtare poſſit Juſtic' per inquiſitionem vel alio modo quod tenens fuit in Anglia die ſummonitionis & per tres ſeptimanas ſequentes, ita quòd potuit rationabiliter præmuniiſſe, vertatur illud eſſon' in defaltam, ſed hoc obſervetur tantummodo coram Juſticiar'. § 4. Eſſonia verò de ultra mare Hiberniæ vel Scotiæ vertenda ſunt in eſſon' de malo veniendi. Et notandum quod nec tenens verſus warantum, nec è converſo, ſi quilibet eorum verſus primum petentem ſe eſſoniabit. § 5. Irrotulatio eſſoniorum talis eſt, A. qui profectus eſt ultra mare ad terram ſanctam in paſſagio generali verſus B. de tali placito per talem, & hoc eſſonium eſt in primo gradu cum locum habere poſſit. § 6. Item A. qui profectus eſt ultra mare ad terram ſanctam verſus B. &c. & hoc eſſonium quoad adjornamentum dicitur eſſe primum,& dicitur eſſe eſſonium de ſimplici paſſagio. § 7. Item B. qui profectus eſt ultra mare verſus C. &c. & hoc eſt in ſecundo gradu & dicitur eſſonium de ultra mare,& unus tenens ambobus poterit gaudere eſſoniis priuſquam applicuerit in regnum, & citra mare locum habere poterit eſſonium de malo veniendi,& quo datur tempus 15 dierum ad minus & eſſonium de malo lecti quod dat ſpacium unius anni in caſu & amplius, & eſſoñ de ſervicio Regis & de malo villæ,& ſic poterit unus pluribus & diverſis gaudere eſſoniis dummodo ordinem

 debitum

debitum observaverit. In ordine namque retrogrado locum non habet essonium, tamen de servicio Regis præcedere poterit alia & subsequi. § 8. Sunt tamen quædam placita in quibus esson' de servicio Regis locum non habebit ut in assisa ultimæ præsentationis, & hoc inducit necessitas pro lapsu temporis, nec etiam in causa dotis unde mulier nihil habet propter favorem viduarum quarum causæ favorabiles esse debent, nec etiam in causis minorum propter eorum favorem, nec etiam in assisa de utrum propter favorem libertatis Ecclesiasticæ, nec etiam in brevibus convictionum propter favorem spoliati, nec etiam in assisa mortis Antecessor̃ vel alia ubi tantum operetur absentia summoniti quantum & præsentia, sicut ubi capi poterunt assisæ per defaltam. § 9. Item nec jacet de jure quamvis aliquando de gr̃a in persona ejus qui non est immediatè cum ipso Rege licet cum aliquo de suis, nec etiam in personis ejus qui affectaverit esse in servicio Regis cum ad hoc non teneatur, nec etiam omni tempore locum habere debeat de jure quamvis de gr̃a, quia non nisi in temporibus in quibus fuerit in expeditione & exercitu cum Rege, nec etiam in personis Attornatorum neque juratorum vel aliorum qui partes non fuerint in judicio sicut quatuor mil' & Recordatorum & hujusmodi.

De Essoniis de malo veniendi. CAP. 9.

EST autem quoddam simplex essonium de malo veniendi quod excusat ad tempus, & quod aliam habet naturam quam alia, & locum habet ubi quis summonitus fuerit legitimè & per viam infirmatus fuerit quod venire non possit, ob quod aliquem destinaverit ad suam absentiam excusandam. § 2. Nec aliis licitum est essoniari nisi illis tantum quibus non prohibetur, minor autem essoniari non poterit de quo constiterit quod minor sit, pro eo quòd essoniatorem suum warantizare non poterit nec servientem suum in warantizando advocare, nec etiam major contra minorem, sed tamen loquelæ in quibus minores respondere tenentur ubi suis debet gaudere dilationibus sicut major solet distingui, an ten' super quo convocatus fuerit minor fuerit feodum militare vel socagium ad hoc quod locum habere debuit essonium, quia de socagio petito per 14 annos habentem & ultra locum habebit esson' tam pro ipso quam cont̃ ipsum & tam in persona minoris quam cont̃ minorem, sed si minor conveniatur ratione juris uxoris suæ plenæ ætatis existent̃, tunc essoniari poterit sicut major, & si jus uxoris suæ ritè defendere voluerit licitum sit uxori per se respondere pro jure suo & ad hoc admittatur. § 3. Item locum non habebit in persona disseisitoris vel redisseisitoris vel district̃ cont̃ vadium & pleg' venientis, nec etiam in persona balliv' disseisitoris in odium spoliationis robberiæ æquipollentis vel quasi, in persona tamen spoliati locum habebit essonium. § 4. Item nec locum habebit in persona ejus qui committitur in ballium, ut respondeat de eo sicut corpus pro corpore, nec etiam in persona ejus de quo præceptum est vic' quod faciat ipsum venire vel quod habeat corpus ejus, nisi præceptum receperit per breve originale, ubi tamen nullũ placitũ nullum sequitur essonium.

§ 5. Item

§ 5. Item nec in persona attornatum habentis nisi ambo fuerint essoniati, nec etiam in persona unius Attornati cum duo fuerint sub disjunctione, nisi ambo fuerint simul essoniati. § 6. Item nec in personis appellatorum, neq; eorum quorum adversarii mortui fuerint vel non prosecuti, & licet non omnes in casu participum sed saltem aliquis, nec etiam in casu ubi breve non congruit petitioni. § 7. Item nec ubi præceptum fuerit quod vic' distringat per terr̄ & catalla, nec etiam ubi dies datus est de die in diem, neque ubi partes consenserint venire sine esson', neq; ubi loquela remanet in suspenso pro defectu juratorum, quia inhibetur quod nulli allocetur essonium postquam descenderit in inquisitionem nisi reo tantum, & hoc non nisi unicum, nec post prece partium, nec ubi attornatus essoniatus visus fuerit in Cur̄ antequam adjornatum fuerit essonium, nec post defaltam jacebit essonium, nec etiam ubi præceptum est vic' quod dicat tali quod sit ibi si sibi viderit expedire. § 8. Si autem tales fuerint tenentes pro indivisio, provisum est quod non essonientur vicissim sed simul ad unicum diem, sicut fuissent unum corpus ratione unitatis juris & hæreditatis de viro & uxore observetur cum simul fuerint convocati, & si unus moriatur lite pendente cadet breve; & si vir & uxor fuerint simul implacitati, vel participes plures, vel plures tenentes in communi vel divisim, oportebit quemlibet essoniatorem habere separabilem; si autem aliquis ex conjunctim nominatis defaltam fecerit hoc erit sibi soli damnosum si amiserit, nec versus participes regressum habebit, defalta tamen uxoris utique erit damnosa, & idem observabitur quoad essonia ubi plures simul petunt quod erga tenentes statutum est observari. § 9. Cum quis autem petens vel tenens attornatum fecerit & ad aliquem diem in persona propria egerit vel responderit, ac diem receperit, non sufficiet ꝙ dominus alio die solus essonietur cum attornatum habeat, nec quod attornatus durante lite donec amoveatur, & quamvis unus attornatus ex pluribus plenam domini sui potestatem habuerit vel quasi excusatio, cum unius non sufficit pro essoniis aliorum quin procedatur ad defaltam ac si omnes defaltam fecissent; oportet igitur quod omnes simul excusent vel nullus pro qua quidem plures sint facti sunt tamen sub disjunctione, ita quod si unus non possit, alius prosequetur. § 10. Cum quis autem duos habuerit attornatos sub disjunctione, ac unus se essoniari fecerit, & alius non, & pars ejus diem receperit versus essoniatorem attornati & recesserit, & alius attornat̄ se liti posuerit, versus adjornatum procedendum erit ad defaltam. Ad evitandum illud discrimen necesse est quod ambo essonientur vel neuter. § 11. Cum quis ergo profectus fuerit in passagio generali ad terr̄ Jerosolomitanam vel in passagio simplici vel simpliciter ultra mare, & attornatum cum fecerit unum vel plures qui decesserint lite pendente, locum habebit essonium de morte Attornatorum, & quo casu remanebit loquela sine die, vel quod resummonebitur quam citius redierit peregrinus. § 12. Et cum quis in dolo in casu præmisso se de morte fecerit essoniari cum vivus sit, statim hoc patefacto resummoneatur loquela ad certum diem, ita quod sit tunc in eodem statu quo fuit die essonii interpositi quandoque remansit sine die, eò quod prædictus talis de falsô esso-

niari fecit de morte qui vivit ut dicitur, ad quem diem pro petente judicabitur, cum de vita constiterit Attornati ubi idem essoniatus accesserit & defaltam sanaverit. § 13. Irrotulatio essonii de malo veniendi talis est. Quod A. versus B. de placito tali per talem, & si plures sint tenentes in communi tanquā unicum jus indivisum, tunc sic. A. versus B. & alios in brevi nominatos de tali placito per talem. Secus erit si jura fuerint diversa quamvis tenuerint in communi, & quo casu oportebit exprimere nomina omnium tenentium sic, A. versus B. C. D. & E. de tali placito per talem & quamvis tenens vocaverit ad warantum oportebit tamen ad al' diem essoniari non obstante præsentia vel essonio waranti. § 14. Campio autem & dominus ejus simul poterunt essoniari vel vicissim post duelli vadiationem.

De Essonio de malo lecti. CAP. 10.

EXcusari etiam poterit non veniens per infirmitatem de reseantisa de qua provenit essonium de malo lecti quod sequitur semper essonium de malo veniendi cum locum habere debeat, nullo essonio alio interjecto, eo q; tale essonium sub hoc intellectu ex hac significatione habet interpretari, q; cum fuit in veniendo à domicilio suo versus Cur' & talis infirmitas eum supervenit quod ad diem suum litis esse non potuit & inde essoniatus fuit alias de malo veniendi, & jam continuata est infirmitas, & in tantum excrevit quod domui suæ redierit, & strato lecto suo semper hactenus in ægritudine decubuit, & ex tali ægritudine non ficta provenit essonium de malo lecti, & inhibitum est ne tale essonium in itineribus Justic' admittatur super lite de ten' in eodem Com' cum per exceptionem petentis constare possit per inquisitionem vel alio modo quod causa essonii non sit vera. § 2. Hoc autem essonium non solum locum habet post essonium prædictum in brevi de recto, sed in omni actione ubi tenens ad defensionem meri juris se acceperit sicut per defensionem in ingressibus, quo jure, de communia pasturæ, & hujusmodi. Et vice versa cum natura brevis de recto mutetur per narrationem usque in aliam naturam, non habebit essonium de malo lecti, eo quod nunquam locum habebit nisi in causa proprietatis, & non in omni casu, quia non nisi inter personas à diversis stipitibus clamantes, quia inter duos per unum descensum clamantes locum non habebit. Præterea in brevi de recto de dote locum non habebit nec duellum nec magna assisa, quia ubicunq; sequi possit duellum & magna assisa, locum habebit essonium de malo lecti, & vice versa ubicunq; esse incipiunt & desierint & desinet illud essonium locum habere. Si autem principaliter locum habet hoc essonium, duellum vel magna assisa in brevi patenti de recto dominus feodi vel ballivi sui de recto & in brevi clauso de recto vocato præcipe in capite, & in brevi de recto de advocatione Ecclesiæ, & in brevi de consuetudinibus, & serviciis, in quo fundatur intentio super debitū, & si in aliis brevibus locum habeant sicut in longinquo ingressu & hujusmodi, & hoc est per accidens. § 3. Essoniari autem poterit per hæc duo essonia prædicta omnis qui ad rei petitæ proprietatem poterit respondere, dum tamen non clamaverit per descensum sui adversarii, & cum minor in proprietate con-

vocetur

vocetur in casibus quibus respondere tenetur, omnia habebit essonia & remedia quæ haberet aliquis major, & si per se respondere non possit vel jurare, poterit tamen per custodem & curatorem, qui si opus fuerit jurare poterunt in animam minoris ad essoniatorem warantizandum. § 4. Hoc autem essonium ostendi debet & priori tertio die exclusivo ante diem datum per essoniatorem sed per duos nuntios missos ad excusationem denunciandam tanquam nuntii vel amici, & non tanquam essoniatores, & ideò diem recipere non poterunt nec affidare; nec sufficit quod semel denuntient excusationem sed oportebit quod quolibet die usque ad quartum & quandoque ulterius ad judicium de defalta prædictam extendant excusationem: sed ultra quartum diem expectare non debent, quibus tunc demum dicatur quod domi revertantur. Si petens vivus fuerit, & nisi fuerit procedetur ad defaltam. § 5. Et quia petens in tali essonio diem certum habebit, non tantum locum habebit essonium de malo lecti unico die sed omnibus diebus petenti statutis, donec alium diem receperit essoniatus ex quatuor mil' sibi mittendis. § 6. Et si quis implacitatus de malo lecti fuerit essoniatus, & ei languor adjudicatus, & interim emerserit novum placitum de quo essoniatus fuerit de malo veniendi & diem per essoniatorem suum receperit, locum tamen non habebit defalta in persona essoniati quamvis essonium suum non venerit warantizare cum non sit in culpa, sed de æquitate omisso juris rigore locum habebit essonium de malo veniendi donec languor præteriit, vel judicabitur quod loquela omnino remaneat interim in suspenso. §. 7. De pluribus participibus tenentibus in Com', & de viro & uxore implacitatis de jure uxoris hoc essonium gaudere poterunt simul, vel aliqui per se, plures tamen non erunt vicissim languores. Et cum unus ex pluribus languorem habuerit extunc cessabunt omnia essonia de malo lecti in toto placitō sive tenentes warantum vocaverint sive non, & dabitur dies languenti per quatuor milites sibi missuros quod compareat à die visus in unum annum & unum diem apud turrim London, & interim cessabit placitum erga alios, & si essonium intervenerit autem languido quamvis de malo lecti pro essonio de malo veniendi reputabitur, dum tamen languor adjudicatus fuerit in persona alterius participis; & si quatuor milites malum transiens in persona primi essoniati adjudicaverint & languorem in alio, suspendetur placitum usque ad finem anni & diei pro adjornamento languidi: & non solùm poterit quis sic semel essoniari sed sæpius post apparitiones & dies legitimè datos, sicut post visum petitum & warantum vocatum, cum nullus languor interveniat essonio de malo veniendi præcedente. § 8. Post essonium autem de malo lecti nunquam jacebit essonium de malo veniendi de tempore præterito, nisi in aliquo casu in quo resummonitio oritur loquelæ sicut post iter Justic'. § 9. Et sicut tenentes essoniari poterunt de malo lecti, ita & waranti cum warantizaverint si languor non præcesserit. Quandoq; autem vertitur breve de recto per narrationem in naturam brevis de transgressu, & tunc amittit essonium de malo lecti, duellum & magnam assisam sicut superius dictum est è converso, sed hoc fieri non poterit nisi partes unanimiter se posuerint in juratam, hoc quidem essonium nunquam

locum

locum habebit in persona petentis nec alicujus attornati nec waranti, donec warantizaverit, nec jacentis in lecto ubi breve regis non currat, nec alicujus non prius essoniati de malo veniendi, sed vertetur in esson̄ de malo veniendi. § 10. Item locum non habebit cum essoniatus jacuerit in villa in qua Cur̄ fuerit cum facere possit attornatum. § 11. Item locum non habebit in brevi de proparte sororum, nec in brevi de quo waranto, nec conventionis, nec quid juris, nec finis facti, nec de ingressu ad terminum, vel cui uxor contradicere non potuit, nec in aliquo ingressu nisi tenens voluerit, nec in assisa ultimæ præsentationis, nec in aliquo brevi de dote, nec in placito de escambio habendo sicut pro Cur̄ capitali vel hujusmodi, nec in quod quis præsentare permittat, nec in brevi de consuetudinibus & serviciis, nec in placito quo jure, nec de disseisinis ante rei petitæ specificationem. § 12. Item non jacet nisi tertio die inclusivo projiciatur ante diem datum essoniato per essonium præcedens de malo veniendi. Cadit etiam breve & essonium non jacet cum petens breve suum in Cur' non habuerit, nec etiam jacet in casu quo languor præcesserit & adjudicatus fuerit, nec in Com' in quo Justic' itineraverint de re in eodem Com' petita, nec etiam jacet in aliquo placito personali, nec in placito deducto ad judicium. § 13. In essonio autem reddendo de malo lecti exigatur omnis particeps illorum quos causa tetigerit, sicut particeps warantus, recognitores, majores, inquisitores, milites electi, & milites de assisa magna, & cum essoniatores tenentis & petens vel ejus attornatus vel essoniator vel alii præsentes fuerint statim reddatur hoc modo dicatur publice essoniatoribus tenentis quod domi eant, & quia non sunt essoniatores sed nuntii ideò diem non recipiunt, & tunc dicatur, & tu petens vel ejus essoniator prosequaris breve de faciend' videre ipsum, & si fuerit malum transiens ad talem terminum vel talem diem, & sic recipiet petens diem certum videlt̄ Com', & tunc veniat & sequatur. § 14. Cum autem redditum fuerit essonium ex malo lecti statim habeat petens vel ejus essoniator breve ad videndum essoniatum utrum infirmitas qua se essoniavit sit languor vel malum transiens. § 15. Non autem omnes essoniatores affidabunt sed illi tantum qui sunt baronibus inferiores, Comites verò, Baron' & Baronissæ non affidabunt sed plegios invenient, ita quod si ad alium diem defaltam fecerint amerciandi sunt plegii pro eo quod non habuerunt, &c. Provisum tamen fuit apud Marleberge q in Comitatibus, hundredis vel Cur̄ Baronum & alibi non compellantur aliqui essoniatores jurare vel affidare pro esson' suis warantizandis, nulli tamen essoniatori conceditur quod diem duorum essoniatorum recipere possit. § 16. Cum autem quis de malo veniendi essoniatus fuerit, & essoniator plegios invenerit de habendo warantum suum ad diem sibi datum producere debet dnm' suum quem essoniavit ad warantizand' essonium suum quod talis pro eo fecit, & nihil aliud est essoniatorem warantizare quam jurare quod ita detentus fuit per ægritudinem in veniendo versus Cur̄ quod venire nôn potuit. § 17. Adjudicatis autem essoniis præcip' vic' quod mittat quatuor milites de Com' suo apud certum locum in quo jacuerit essoniatus ad videndum utrum infirmitas qua se essoniavit de malo lecti versus

verſus talem tenentem de placito terræ vel hujuſmodi ſit languor vel non, & ſi ſit languor, tunc ponent ei diem à die viſus ſui in unum annum & unum diem apud turrim London, quod tunc ſit ibi indè reſponſurus, vel quod ſufficientem pro ſe tunc mittat reſponſalem, & ſi non ſit languor tunc ponant ei diem coram Juſticiar' apud Weſtm' quod ſit ad certum diem ſibi per eos præfixum indè reſponſurus, & quod vic' dicat dictis militibus quod ſint dictis die & loco coram eiſdem Juſtic' ad teſtificand' viſum ſuum, & quem diem ſibi poſuerint, & ſemper mandetur vic' in cujus ballivia eſſoniatus jacuerit, nec ſufficit ſi ſervientes mittat unum vel plures. Et ſi eſſoniatus in loco in eſſonio nominato non inveniatur per milites, vanum erit eſſonium & pro defalta reputabitur. § 18. Videre autem debent milites corpus ægrotantis & diligenter inquirere de qualitate infirmitatis & circumſtantiis, & ſecundum hoc adjudicare malum tranſiens vel languorem, & ſecundum ægritudinem diem dare longum vel brevem; & ſi diem dederint eſſoniato apud turrim London vel apud caſtrum Com' ſi placitum fuerit in Com' ad Conſtabularium ſe debent præſentare cum terminus advenerit, & à Conſtabulario diem recipere comparendi coram Juſtic' de Banco vel in itinere ſi Juſtic' itinerantes præſentes fuerint in illo Com' ſi Juſtic' non fuerint in banco reſidentes; contingere tamen poterit quod eſſoniatus nondum convaluerit, quia languor vertitur fortè in morbum incurabilem, & quo caſu cum comparere non poſſit, mittere debet ſufficientem reſponſalem qui in ſe ſuſcipiat judicium, & ejus reſponſionem oportebit ratam habere. § 19. Si autem vic' fecerit quod ſuum fuerit in hac parte & diem dederit militibus, & ipſi non venerint ad teſtificandum viſum, & vic' retornaverit breve & certificaverit Juſtic' de nominibus militum, tunc præcipiatur vic' quod ponat per vadium & ſalvos pleg' tales milites viſores infirmitatis, quia talis in Cur' Regis coram talibus Juſtic' eſſoniavit ſe de malo lecti verſus talem de placito terræ in talibus villa & Com' quod ſint coram dictis Juſtic' noſtris ad certum diem & locum ad teſtificandum viſum ſuum ac quem diem ægroto poſuerunt, & ad oſtendend' quare non fuerint, &c. Et ſic per diſtrictiones ſicut in actione perſonali donec venerint. § 20. Si petens & tenens comparuerint ad primum diem & milites non venerint, tunc in electione petentis erit vel quod teneat ſe ad defaltam eo quod tenens ſine licentia vel ſine viſu militum vel ſine legitimo viſu, eo q; unus ad minus non fuit miles ſurrexerit, vel quod tenens ad actionem reſpondeat. § 21. Sine licentia enim non poterit quis impunè ſurgere, ſed eſſonium de malo lecti redditum nec dabitur ad hoc licentia, niſi ex cauſa & infra tempus certum & ultra non, niſi de voluntate & conſenſu petentis. Cauſa enim poterit eſſe quod non convaluerit de infirmitate, & nondum viſus eſt, per fraudem & maliciam petentis fortè qui ſupprimit breve vel negligenter proſequitur, vel per negligentiam vic' qui non miſerit milites ſicut ei præceptum fuit, vel pro defectu militum qui viſum facere ſuperſederint, vel ſuperveniente itinere, & in quibus caſibus ſi eſſoniatus convaluerit de infirmitate & non viſus, licentiam habebit ſurgendi in defectum prædictorum, & eodem modo ſi milites certificare Juſticiar' ſuperſederint

per

per negligentiam petentis quamvis visus fuerit non obstante hoc quod dicitur in ipsa petitione licentiæ, quod nondum visus est, non enim multum operatur videre nisi visus fuerit testificatus. Non semper autem danda erit licentia resurgendi, sed tantum ante diem datum apud Castrum, & cum diem talem receperit ægrotus, jam desinit esse loquela in Cur̄ donec per Constabularium reviviscatur. Si autem essoniatus medio tempore surgere affectaverit post adjornamentum anni & diei, oportebit quærere consensum petentis ut ad diem certum procedat loquela. § 22. Ad licentiam autem surgendi petendam debet essoniatus mittere quem voluerit, qui dicat, quod talis se essoniavit de malo lecti, convaluit de infirmitate sua & petit licentiam surgendi, & petitione irrotulata dicat nuntio ꝙ scire faciat essoniato quod statim veniat ad Cur̄, cui dicetur cum venerit, quod talem certum diem observet, & injungitur ei quod sine mora accedat ad Cur' ne petens inveniens eum vagantem ignorans sibi datam esse licentiam ipsum ceperit & in prisona detinuerit, & si fecerit præcipietur vic' quod si talis fecerit ipsum securum, &c. quod summoneat talem quod sit coram Justic' ad certos diem & locum ad respondend' tali quare cont̄ pacem Regis cepit ipsum, & ipsum captum in prisona detineret in domo talis apud N. occasione talis placiti de tanta terra cum pertinen' in tali villa, undè talis essoniavit se de malo lecti versus talem petentem, & undè tales Justic' dederunt ei licentiam surgendi per defaltam ipsius petentis, eo ꝙ ipse visum fieri non fecit ut dicit, & ꝙ interim ipsum talem deliberari faciat si ea occasione & non alia captus fuerit & detentus. § 23. Si autem in Cur̄ liberi hom' denegetur esson' licentia surgendi, vel si petens malitiosè supprimat breve ne essoniatus videatur per milites, tunc mandabit Rex Domino Cur' vel ejus senescallo sic, Ostensum est nobis ex parte A. quod cum B. in Cur̄ tua vel talis Domini tui peteret tantum terræ versus eundem B. extra feodum Domini sui ita quod non potuisti eum facere videri, idem B. sibi perquisivit ut debuit, quod idem A. secundum consuetudinem Regni nostri per quatuor milites videretur, imo malitiosè ipsum detinuit per longum tempus inclusum, & prædictus A. mitteret ad te ad prædictam Cur̄ & peteret licentiam surgendi sibi dari & comparendi in eadem Cur̄ tua, licentiam surgendi denegasti, & quia in denegatione illius licentiæ prædicto A. manifestè injuriatum est ei, in defectu tui licentiam dedimus surgendi ad respondend' prædicto B. de prædicta terra secundum legem & consuetudinem regni nostri, & hoc tibi & præfatæ Cur̄ significamus. Et eodem modo vic' demandetur cum licentiam surgendi alicui denegaverit. § 24. Ad diem autem militibus datum ad testificandum visum de ægroto poterit ægrotus cor' Justic' comparere, & essonium dedicere, sed tunc refert an essonium projectum fuerit ante apparitionem in Cur̄ vel post, quia si ante, tunc defendere poterit summonitionem, & sursisam & utrumque essonium. Et si post, tunc dedicere non poterit contra Record' Cur̄, & quo casu petens obtinebit. § 25. In visu autem militum dedicere poterit essonium, & tunc refert ut prius, & si post apparitionem per testificationem militum procedatur ad defaltam per parvum Cape, si post essonium confiteatur milites malum transiens adjudicaverint, tunc in

præsentia

præsentia petentis si interesse voluerit dabunt ei certum diem quod compareat coram Justic', vel pro se mittat responsalem. § 26. Si autem languorem adjudicaverint tunc detur dies ægroto tantum à die visus in unum annum & unum diem apud castrum, & petens expectet diem sibi per Justic' vel per sectatores datum. Ad quem si venerit & testificaverit visum ritè factum & languorem adjudicatum ad diem datum per milites quamvis milites non venerint ad testificandum quidam vel omnes, idem dies dabitur petenti vel suo essoniatori, vel suo attornato & participibus si qui fuerint per suam testificationem apud eundem locum, quod si non testificaverit, sequantur brevia de judicio donec milites venerint ad testificand'. Si autem participes in testificatione languoris præsentes non fuerint, vel si essoniati fuerint cum essonia non jacuerint, offerente se liti petente procedatur cont̃ eos ad defaltam. § 27. Amittere enim poterunt participes sine participibus per defaltam, licet de re indivisa quamvis sine ipsis non teneantur respondere. § 28. Et essoniatus ad diem sibi datum per milites non venerit & testificaverit diem sibi datum petente se liti offerente, procedendum erit ad defaltam cont̃ essoniatum per parvum cape, eò quod cont̃ Record' militum adjornamentum dedicere non possit sive prius in Cur' comparuerit sive non. § 29. Et si attornatum fecerit cor' militibus non valebit, cum ad hoc non fuerint auctorizati ꝙ attornatum recipere possent. § 30. Languens autem discinctus, discalciatus, sine braccis & nudus in lecto continuè debet custodiri infra languorem, & si quandoque aliquibus induatur vestimentis cameram tamen vel domum in qua visus fuerit exire non debet, quia si petens ipsum vagantem invenerit publicè per Cur' vel rura in conspectu populi, assumpto sibi hundredario vel probis hominibus de visneto cum clamore ipsum extra domum suam licitè poterit arestare, nulla tamen violentia adjecta, quia per violentiam oriri poterit appellum feloniæ & duellum vel jurata, per quam totum negotium poterit terminari. Et cum sic arestatus fuerit essoniatus extra domum suam cum testimonio fide dignorum non erit ulterius tenendus, & tunc ad querelam querentis summoniatur quod sit coram vic' ad audiendum judicium suum de defalta quare surrexit post languorem sibi adjudicatum maturiùs quam debuit, & quo casu sive venerit sive non, pro petente judicabitur, nisi petens per diem amoris vel alio modo defaltæ renunciaverit, vel nisi docere possit ipsum malitiosè à domo sua extractum fuisse. § 31. Contingit etiam quandoque quod languidus ante diem sibi datum per licen' exire poterit post languorem adjudicatum & diem datum & ad partes remotas se diverterit, quo casu præcipietur vic' sic. § 32. Ostensum est nobis ex parte A. quod cum B. in Curia nostra coram, &c. vel in Comitat' tali essoniasset se de malo lecti versus ipsum A. apud N. & ibidem sibi esset languor adjudicatus per quatuor milites ad ipsum videndum transmissos, idem B. infra languorem suum contra regni nostri consuetudinem surrexit, & à domo sua in qua languidus jacuisse debuit exivit & à partibus illis secessit, Et ideo tibi præcipimus ꝙ statim assumptis tecum prædictis quatuor militibus vel duobus ex illis si omnes habere non possis, in propria persona tua accedas ad dictum lo-

cum, & videas si idem languor ei fuit adjudicatus vel non. Et si eum ibi inveneris hoc scir̃ fac' prædictis Justiciar' nostris per literas tuas. § 33. Et si ibi inventus non fuerit, tunc venire fac' prædictos milites qui tecum ibi interfuerunt coram præfatis Justic' nostris die tali ad certificand' inde eosdem, & interim per legales & discretos homines tam ballivos tuos quam alios insidiari fac' eundem B. si redierit vel non, & si redierit & inventus fuerit extra prædictum locum, tunc fac' eum arestari, ita quod habeas corpus ejus cor' præfatis Justic' nostris ad talem Terminum ad respondendum eidem A. quare surrexit, &c. vel ad audiendum Recordum & judicium suum de loquela prædicta.

De Apparitione ad Castrum. CAP. II.

HAbita autem licentia surgendi in fine anni post languorem cum essoniatus de languore convaluerit, tunc refert an plenè convaluerit an ob languorem fuerit & debilitatus, & secundum hoc faciendæ sunt dietæ versus castrum, & tunc à domo sua proficiscatur per rationabiles dietas sine aliqua mora, ita quod veniat ad castrum ultimo die anni naturalis, bona tamen placitand'. § 2. De anno vero bisextili fit tale breve: Rex Justic' suis de banco salutem. Sciatis quod cum in regno nostro de anno & die quo languidus per breve nostrum implacitatis præfigi dies consuevit, qui modo scilicet & à quo die anni præsentis in alium diem suum sequentem debuit annus ille & dies in anno bisextili computari diu extiterit dubitatum. § 3. Nos volentes uniformitatem ubicunq; in regno nostro super hoc observari, & periculum litigantium præcaveri providimus, & de consilio fidelium nostrorum statuimus quod ad delendam super hoc ambiguitatem computetur dies ille & dies excrescens in integritate in unicum annum diem, ita quod propter diem illum non occasionentur aliqui implacitati; Et ideo vobis mandamus quod hoc Statutum coram vobis publicari faciatis & de cætero observari. § 4. Observare igitur debet essoniatus diligenter diem & annum ne maturius vel tardius compareat quam deberet, quia si die non legitimo comparuerit & petens inde judicium petierit testante Constabulario, pro petente judicabitur; Sed si tenens venerit tardius vel maturius quam deberet & petens similiter, ita quod uterq; sit in culpa, tunc fiat hinc & inde compensatio defaltarum. § 5. Paria namq; mutua compensatione tolluntur, & quamvis eorum alter die sibi dato coram Justic' vel in Com' comparuerit, defaltam nihilominus fac' quod nullum habuit diem in Cur' sed ad castrum tantum. § 6. Officium autem Constabularii cum coram eo comparuerit, est, qualiter venerint per Attornatos vel in propriis personis, vel per essoniatores, vel per responsales & nuncios distinctè & apertè irrotulare, & sic fieri debet irrotulatio. Talis qui se essoniavit de malo lecti versus talem petentem in tali Com' de placito terræ venit tali die apud turrim London, & obtulit se versus talem petentem, & petens non venit sed in crastino, & dixit quod ad diem legitimum venit & tenens non potuit judicium de defalta petentis, & quod maturius venit quam debuit, & eodem modo dicere poterit è contra tenens conť petentem quod tardius,

tardius, & quo casu mittantur ambo ad judicium in banco vel in Com' & ibi judicetur defalta; vel si petens se essoniaverit apud Castrum vel ejus Attornatus, vel si tenens responsalem pro se miserit quod venire non potuit pro infirmitate graviori similiter ad Bancum destineretur ejus judicium recepturus. Refert tamen de petente an esson' jacuerit pro eo vel ejus Attornato apud turrim vel in Banco, vel non jacuerit. Et quo casu videndum erit cum visus testificatus fuerit coram Justiciariis an diem habuit per se vel per essoniatorem suum, quia si per essoniatorem locum non habebit, & quamvis apud Turrim se essoniari fecerit petens nihilominus impunè comparere poterit in judicio, & per essoñ factum apud turrim salvabitur tempus medium quousq; in judicio comparuerit. § 7. Si autem tenens responsalem miserit apud Turrim diem pro eo recepturum & in judicio cum comparuerit responsurus, audiatur ejus responsio, & si de ejus responsione judicium sit faciendum sicut de duello vadiando & de magna assisa summonenda vel de aliquo quod fuerit de substantia negotii, & per quod loquela debeat terminari, ponatur judicium illud in respectum quousq; per milites missos ad languidum sciatur an miserit talem pro se responsalem, & si ratam habuerit responsionem quam idem talis pro eo fecit vel non, & quo casu præcipiatur vic' quod mittat quatuor legales milites de Com' suo ad essoniatum ad audiendum de eo si pro se miserit talem responsalem ad respondendum tali de tali ten' & ratam habuerit responsionem suam quam pro eo fecit in eodem placito, & ad audiendum de essoniato si velit eundem responsalem in prædicto placito loco suo attornare ad lucrand' vel perdend', & quod venire fac' cor' Justic' ad certum diem & locum præfatos quatuor milites ad testificandum ea quæ de essoniato audiverint super præmissis. § 8. Et quamvis responsalem pro se miserit ad diem legitimum ad castrum comparere tamen poterit personaliter coram Justiciar' ad diem datum per Constabularium & respondere, & sic salvabitur tempus medium per apparitionem responsalis coram Constabulario.

De Essonio participum. CAP. 12.

CUM autem participes simul se essoniaverint de malo lecti omnibus poterit languor adjudicari vel omnibus surrectio, vel quibusdam surrectio, & quibusdam languor, & si omnibus surrectio tunc accedant omnes & respondeant, & si quis defaltam fecerit procedatur ad defaltam versus absentem, & si omnibus fuerit languor adjudicatus, tunc fiat ut superius dictum est de languore unius, & erunt languores omnium accipiendi pro unico languore propter jus unicum. § 2. Et si in persona unius participum tantum adjudicatus fuerit languor, extunc omnia cessabunt essonia de malo lecti in personis omnium aliorum participum usq; ad finem litis. Et si alii comparuerint alium poterunt diem recipere, & sic de die in diem poterunt comparere, vel post apparitiones essoniari de malo veniendi, donec eis constiterit de surrectione essoniatorum vel de languore, ut si languor adjudicatus fuerit & testificatus fuerit qui tunc diem recipiant, & tunc si diem receperint

coram Justic' in Banco apud Turrim cum essoniato competit eis unum essonium de malo veniendi apud Turrim vel coř Justic' in judicio, & si ibi non venerint nec se essoniaverint esse poterunt in defalta sicut ipse tenens, defaltam autem facere poterunt omnes vel quidam illorum, & poterit unus partem suam amittere per defaltam propter negligentiam suam & alius salvare se à defalta per suam diligentiam, quia res quæ petitur licet cōmunis sed ad actionem patitur & divisionem. § 3. Si quis autem hoc essonio essoniatus fuerit & loquela fuerit in Com' tunc refert an essoniatus fuerit in eodem Com' vel in alio. Si autem in eodem, tunc mittere poterit vic' milites ægroto, & si in alio, tunc mittere non poterit, habet igitur necesse quod perquirat sibi per breve quod essoniatus videatur, & si convaluerit antequam visus testatus fuerit, bene poterit Com' vel Cur' Baroñ essoniato dare licentiam surgendi, quam quidem si Com' essoniato denegaverit, ad querelam ipsius poterit Rex in defectu Com' vel Curiæ Baronum licentiam dare, & quamvis ægrotus ad diem sibi datum per visores non venerit, non statim recurrendum erit ad defaltam, eo quod excusari poterit ejus absentia per casus fortuitos & per legitima impedimenta intervenientia, si probetur alioquin, capiatur terra in manum Regis per parvum Cape, quia diem datū per milites dedicere non poterit. § 4. Eodem modo si quis extra judicium coram Justic' Attornatum fecerit si in judicio non comparuerit, & postea defaltam fecerit, capienda erit terra in manum Regis per parvum Cape ac si in Cur' comparuisset, quia summonitionem defendere non poterit contra Recordum Justiciar' quia eo quod fecit sibi Attornatum concessit per hoc se esse summonitum.

De Essonio de malo Villæ. CAP. 13.

EST etiam inter alia essonia quoddam essonium anomalum eo quod non sequitur regulas aliorum essoniorum, quod dicitur essonium de malo Villæ, & locum habet ubi quis primo die comparuerit in Cur' & se obtulerit & sine responso statim recesserit, si propter infirmitatem supervenientem à loco quo fuerit hospitatus se divertere non possit nec ad Cuř accedere, & quo casu mittere debet ad Cur' duos nuncios & excusatores, qui in curia publicè protestentur quod talis tali infirmitate detentus est in eadem villa vel alia tali, vel pernoctavit quod ad Cur' venire non potest pro lucrari neq; pro perdere, & tunc recedant sine die recipiendo, eo quod propriè non sunt essoniatores, & eodem modo pronuntiare debent secundo die duo alii; & eodem modo tertio die per alios à prioribus diversos, & sic excusabitur à defalta usq; ad quartum diem, & quarto die mittantur ad infirmum quatuor mil' ex officio Justic' si in curia vel in villa inveniatur ad audiendum quem talis loco suo attornaverit ad lucrandum vel perdendum in loquela quæ est inter ipsum & talem petentem. Sufficit tamen si unus vel duo Justiciarii hoc fecerint, & si ægrotum ibidem invenerint tunc capiant ejus Attornatum, & si non inveniatur nec venerit procedatur contra eum ad defaltam. § 2. In Com' autem locum non habebit istud essonium eo quod quartus dies non expectatur ibidem nec mōra Justic' assignatorum coram

ram

ram quibus non expectatur quartus dies, nec in persona alicujus Attornati locum habebit, eo quod Attornatum facere non poterit nisi warantum habuerit à Rege, ac etiam quia salvare non poterit defaltam domini sui de tribus diebus præcedentibus.

De districtionibus realibus pro Defaltis. CAP. 14.

Contumax autem dici poterit sive reus latitet sive non, vel qui ad judicium summonitus sui copiam non fecerit, neque defensus fuerit. Latitare autem est si quis turpiter se occultaverit, Copiam sui non facere est quando reus id agit ne adversarius potestatem sui habeat licet præsens fuerit in Cur', & sive reus contumax fuerit sive non, sufficit ad hoc quod procedatur cont̃ ipsum quod simpliciter absens sit ex quacunq; causa, & unde si primo die, secundo, tertio non venerit, nec quarto, tunc offerente se liti petente quocunque die venerit ante diem, capiatur terra sive alia res petita in manum Regis propter defaltam non venientis, quam quidem captionem modica sequetur pœna vel nulla, & unde si reus tenens infra 15 dies post captionem & illam per plevinam petierit si ad diem datum in Cur̃ defendere se possit de defalta si petens inde judicium petierit reformabitur ei petitio, ut de principali respondeat. § 2. Hæc quidem captio fieri debet per breve de magno Cape in manum nostram per visum legalium hominum de Com' tuo tantam terr' cum pertinentiis in tali villa, vel pasturam ad tot oves, vel advocationem talis Ecclesiæ, vel aliam rem petitam quam A. in cur' nostra coram Justiciar' talibus clamat ut jus suum versus talem pro defectu ipsius talis, & si dos nominata fuerit petita tunc sic, quam A. quæ fuit uxor B. clamat in dotem, vel tertiam partem tantæ terræ cum pertinentiis in N. & sic de al' rebus petitis, & tunc sic, & diem captionis scire fac' dictis Justiciar', & summ' per bonos Summ' prædictum talem quod sit cor̃ præfat Justiciar' inde responsurus & ostensurus quare non fuit coram eisdem Justic' ad talem diem sicut summonitus fuit, vel quare non servavit diem sibi datum per essoniatorem suum, & habeas ibi summonitores & nomina eorum per quos visum feceris, Et hoc bre. § 3. Hæc quidem captio simplex esse debet quia nullus per hoc impediri debet, quin omnium rerum & tenementorum suorum liberam habeat administrationem, sive jus habuerit in eisdem sive non, & unde si tunc temporis contingat Ecclesiam vacare, ad regem non spectabit præsentatio, sed ad districtū. § 4. Capta itaq; re petita in manum Reg' indorsari debet in tergo brevis dies captionis, ut per hoc sciri possit si ad horam extiterit replegiata. Peti enim debet per plevinam infra quindenam postquam capta fuerit in manum Regis. Si enim tardius petatur & petens ipse tenuerit à domino plevinam petend' sic amittere poterit tenens per suam negligentiam, & propriæ poterit imperitiæ imputare quod ad horam rem suam non petiit replegiari, & cū ad horam eam petierit, tunc refert an in propria persona sive per aliū, cū liceat cuilibet de populo eam nomine districti petere per plevinam, ac etiam an à vic' vel Justic' vel de Cancellar̃. Si autem coram Justic', tunc etiam summonitionem dedicere

dicere poterit, & si per alium quam semetipsum fuerit terra replegiata tunc dedicere poterit & defendere per legem suam utramq; summonitionem. § 5. Et si advocatio alicujus Ecclesiæ capi debeat, tunc assumere sibi debet vic' probos & legales homines vicinos & accedere ad ecclesiam de qua fuerit advocatio petita, & ibi publicè protestetur per vic' ostenso præcepto Regis ꝙ caperet & seisiret in manum Regis Ecclesiam illam & jus advocationis quod est in ea. § 6. Prima quidem defalta sanari poterit multipliciter per defensionem summonitionis per legem & impedimenta rationabilia si fuerint probata, ut si quis per vim majòrem detentus fuerit cui resisti non possit, ut si captus fuerit in prisona detentus dum tamen non ob sui culpam, vel si inciderit in latrones qui eum ligaverint, spoliaverint & detinuerint, ita ꝙ venire non potuit neq; mittere, vel per inundationem aquarum & tempestatem, vel si pons solutus fuerit, vel navigium subtractum per fraudem petentis, dum tamen ei objici non possit ꝙ ire potuisset per circuitum, vel ꝙ alii eodem die quo transivisse debuit commodè & absq; difficultate & periculo transiverint; secus erit si cum periculo transiverint, non enim debet quis se periculis & infortuniis gratis subponere vel subjacere. § 7. Post summonitionem autem factam per prædictum breve de magno Cape non sequitur essonium, eo quod prius oportebit sanare defaltam, nec dies rationabiles summonitionis peti poterit nec dilatio 15 dierum concedenda in odium prioris defaltæ. § 8. Ad diem verò summonitionis per breve de captione si tenens venerit, tunc refert an petens se tenere voluerit ad defaltam vel ad capitale placitum. Et si ad defaltam tunc inquirend' est à summonitoribus si summonitio rite facta fuerit, & cum sufficientem summonitionem probaverit, tunc primo vadiare poterit tenens legem & dedicere summonitionem contra testimonium summonitorum, & lege vadiata & pleg' de lege facienda inventis detur al' dies partibus. § 9. Ad quem poterunt partes essoniari de lege facienda & recipienda, & cum demum venerint, & tenens legem suam legitimè fecerit tanquam excusatus à defalta eodem die ad placitum principale respondebit, & si in lege facienda defecerit, amittet seisinam, & erit in misericordia, salvo sibi jure mero cum inde loqui voluerit, & pleg' de lege similiter in misericordia remanebunt. § 10. Si autem tenens ad diem de captione in brevi contentum non venerit, & petens judicium petierit in utraque defalta ulterius excusari non poterit, & ideo petat actor judicium sic; A. qui præsens est petit versus B. tantam terram cum pertinentiis in tali villa ut jus suum, & B. non venit, & summonitus fuit aliàs & summonitio testata & non dedicta, & ita quod terra capta fuit in manum Regis per defaltam quam idem B. fecit tali die, & ipse iterum summonitus fuit quod esset ad hunc diem & non venit, & mandatum fuit vic' quod mandaret diem captionis, & ille mandavit quod summonitus fuit, & terram non petiit per plevinam, & quo casu considerandum erit quod actor recuperet seisinam rei petitæ, & tenens in misericordia, & præcipietur vic' quod ipse petenti de prædicta terra cum pertinentiis sine dilatione plenam seisinam habere faciat. § 11. Et cum tenens per defaltam amiserit & recuperare voluerit, tunc refert de

brevi

brevi per quod deducta fuerit loquela, an super ipso jure deducta fuerit de recto vel per breve de possessione. Si autem per breve de recto post duellum vadiatum vel post milites electos per magnam assisam, tunc recuperare non poterit, & si ante duellum vadiatum vel milites electos, recuperabit per breve de recto. Et si super possessione extiterit loquela in qua tenens per defaltam amiserit, recuperare poterit secundum hæc Statuta. Statut.
§ 12. Cum temporibus retroactis quis amisisset terram suam per defaltam, non habuit aliud recuperare quam per breve de recto, quod eis competere non potuit qui de mero jure loqui non poterunt, veluti tenentes ad terminum vitæ, vel in liberum maritagium, vel per feodum talliatum, in quibus casibus salvatur reversio; Provisum est quod defalta talium de cætero non sit eis ita præjudicialis quin statum suum si jus habeant per aliud breve recuperare possint quam per breve de recto; & quia tales rem in judicio sine hæredibus vel hiis ad quos spectat reversio deducere non possunt, Provisum est quod warantum ac si tenentes essent ut placitum procedat inter warantum & seisitum secundum tenorem brevis quod tenens prius impetravit, & sic ex tribus actionibus pervenietur ad unum judicium; & si actio tenentis fuerit per breve de recto jungatur duellum vel magna assisa inter warantum & tenentem qui loco actoris erit, & licet jungi non possit per verba consueta, jungatur tamen, quia cum tenens in hoc quod ostendit jus suum quod ei competit per breve quod prius impetravit, sic loco actoris benè poterit warantus defendere jus tenentis qui loco petentis habetur, & seisinam Antecessor̄ sui, & defendere per corpus liberi hominis sui vel ponere se in magnam assisam & petere recognitionem fieri utrum ipse majus jus habeat in ten' an prædictus talis: vel alio modo poterit jungi magna assisa sic, talis warantus defendit jus, &c. Et recognoscit seisinam Antecessor' sui, & ponit se in magnam assisam, & petit recognitionem fieri utrum ipse majus jus habeat in prædicto ten', ut in illo de quo feoffavit talem, vel quod talis remisit & quietum clamavit, &c. an prædictus talis. § 13. Item habere poterit tenens remedium si fraus vel dolus petentis intervenerit, ut si nulla facta fuerit omnino tenenti summonitio quamvis fieri mentitur, & quo detecto quicquid actum fuerit revocabitur non obstante priori judicio seisinæ petenti faciendæ per defaltam. § 14. Recuperare etiam poterit in casu cum Rege peregrè profectus fuerit nulla summonitione præventus, sed per quale breve vidend' quia Justic' non sunt in culpa, nec etiam petens, cum hoc factum sit per imperitiam summonitorum qui testati sunt legitimam fecisse summonitionem & revera per as' no. diss' quamvis cum judicio, quia injuste eo quod judicium injustum, & undè cum petens qui recuperaverit respondendo ad assisam vocaverit Cur' Regis ad warantum, pro eo tamen quod Cur' fuit decepta per summonitionem illegitimam revocabitur judiciū. § 15. Defaltæ autem Juratorum sanari possunt cum non deliquerint, ut si diem habeant veniendi cor̄ Rege ubicunque fuerit in Anglia, & eundem diem habuerint comparendi cor̄ Justic' de banco vel assignatis, vel in Com', vel in Cur' Baronum vel alibi coram Rege comparuerint, eorum absentia salvari poterit per mandatum Justic' à pari ad parem sicut à socio ad socium & à superiori

superiori ad inferiorem per tantum tempus quantum in Cur' ſteterint, & ſimiliter per tempus tantum acceſſus verſus Cur̃ & receſſus, per mandatum autem inferioris Judicis ad ſuperiorem indempnes ſalvari non poterunt. § 16. Item ſalvari poterunt defaltæ tenentium multipliciter, ut cum quis legitimè ſummonitus taliter impediatur quod venire non poterit nec mittere, nec aliter ſibi providere, ſicut per impriſonamentum, vel cum effectus ſit non ſanæ mentis ut ſummonitioni conſentire non poſſit, vel cum tali ægritudine detentus ſit cum diſcretionem non habuerit nec cogitare poſſit niſi de dolore & pœna, vel cum per ſervitium reg' impediatur quo minus venire non poſſit, dum tamen fraudulenter pro dolo ſui adverſarii hoc non affectaverit, ut ſi tale ſervicium ſibi procuraverit ob timorem placiti, vel cum quis ſummonitus fuerit venire coram non ſuo Judice, & eodem modo ſi procedat judicium offerente ſe liti falſo procuratore. § 17. Et in quibus caſibus judicium nullum, controverſia nulla. § 18. Si autem poſt defaltam capiatur dies amoris prece partium, vel transferatur loquela ab uno Judice ad alium, per hoc renunciatur defaltæ, & ſi hoc fiat ſimpliciter ſine proteſtatione ad defaltam ulterius non habebit regreſſum per officium Judicis tñ cum hoc fuerit vel per voluntatem Regis, vel propter aliquam neceſſitatem, vel forte ad tenentis procurationem, aliud erit; Expedit igitur cum dies amoris capi debeat quod petens intentionem faciat de defalta, ita quod ſub tali capiatur proteſtatione, quod ſi amor ſe non capiat quod ſalvus ſit ei regreſſus ad defaltam placito in eodem ſtatu durante in quo fuit die amoris conceſſo. Si autem talis non fiat proteſtatio & dies amoris effectum non habeat; ſi tenens ad alium diem defaltam fecerit, vix illum ſanare poterit. § 19. Cum autem unus petens plures implacitaverit tenentes in communi, ac unus eorum defaltas fecerit & alius eſſoniatus fuerit & tertius comparuerit, nullus tamen ſine alio reſpondebit, dabitur igitur alius dies ei qui præſens eſt & eſſoniato, & cont̃ contumacem procedetur ad defaltam ſecundum portionem ipſum contingentem; & cum plures petierint ac unus eorum defaltam fecerit, dabitur alius dies præſentibus, & præcipietur vicecomiti quod ſummoniri faciat abſentem quod ſit ad diem participibus datum ad ſequendum cum eis de tali placito de tanto terræ cum pertinentiis in N. ſi voluerit, & undè tenens dicit quod non vult præſentibus reſpondere ſine prædicto abſente, qui ſi ad prædictum diem non venerit nihilominus procedat præſentibus de paribus ſuis ſi voluerit. § 20. Si autem vir implacitatus cum uxor in defenſione legis defecerit uterque amittet niſi uxor ad defenſionem ſui juris ſe in Cur' obtulerit, ſed cum petentes fuerint ſecus erit quia tunc erit defalta unius utrique dampnoſa. § 21. Magnum Cape vero locum habet in omni caſu quo quis ſummonitionem ſibi impoſitam dedicere poterit & defendere per legem ſuam, ſicut antequam quis comparuerit in Cur̃ in principio litis. Si autem loquela à Com' transferatur ad magnam Cur̃ quamvis tenens in Com' ſe prius poſuerit in magnam aſſiſam, ita quod quatuor milites ſummoniti ſint ad eligendum xii. ac ipſe poſt ſummonitionem ſibi factam per pone in Cur' Reg' defaltam fecerit, adhuc locum habebit magnum Cape, & ideo quia licet diu placitaſ-

ſet

ſet in Com' per breve de recto, quæ eſt una Curia, nunquam tamen comparuerit in Cur' Regis, quæ eſt alia Curia, & ideo defendere poterit ſummonitionem & ſurſiſam & diem datum contra Recordum Comitatus per legem. § 22. Item locum habet in Comitatu cum defaltam fecerit tenens ad diem ſibi datum per Ballivum Regis in probatione defaltæ juris in Cur' Baronum vel alterius, quia quamvis teſtata ſummonitione per ſervicium Regis, poterit tamen tenens illam defendere per legem. § 23. Item locum habet in defaltam factam poſt reſummonitionem cum loquela in banco propter iter Juſtic' vel alia de cauſa poſita fuerit ſine die. Defendi enim poterit reſummonitio per legem ex quo tenens in Cur' diem non habuit, quod non eſt in caſu objectionis baſtardiæ, ut ſi cui objiciatur baſtardia, per quod tranſmittatur ad Cur' Chriſtianitatis ad inquirendum de legitimitate vel baſtardia, ac facta inquiſitione & ad Cur remiſſa & partibus reſummonitis, ſi tenens non venerit ad audiendum judicium ſuum, ſtatim capiatur terra in manum Regis per parvum Cape, & tenens iterum ſummoniatur ad audiend' judicium ſuum, & poterit eſſe ratio diverſitatis quod ex quo quis ſe probaverit legitimum vel adverſarium ſuum baſtardum, nihil ſupereſt faciend' niſi tantum judicium, quod non eſt in aliis caſibus. § 24. Parvum Cape etiam locum habet cum quis in judicio ſemel comparuerit & diem in Cur' habuerit, ita quod diem & ſummonitionem dedicere non poterit neque defendere per legem, & eodem modo ſi attornatum fecerit in loquela vel quid tale fecerit per quod præſumi poſſit ipſum fuiſſe ſummonitum. § 25. Item locum habet ubi quis defaltam fecerit in placito poſtquam in Cur' comparuerit ſive unus implacitatus fuerit ſive plures, in hac tamen diſtinctione, quod ſi plures implacitati fuerint cohæredes vel alii participes qui tenuerint in communi ſi omnes ſimul defaltam fecerint poſtquam omnes in judicio comparuerunt ſimul vel viciſſim, omnes amittent per parvum Cape. § 26. Si autem unus vel plures ipſorum eſſoniati fuerint primo die ſummonitionis, & quidam defaltam fecerint, & quidam comparuerint, capiatur in manum Regis de terra quam tenuerint in communi pro defalta abſentium per magnum Cape ſecundum portionem quemlibet abſentem contingentem, & præſentibus dabitur alius dies; Ad quem ſi non venerint, locum habebit captio terræ eorum in manum Regis per parvum Cape pro rata portione ſua, & non totius terræ, eo quod terra partibilis eſt, & recipere poterit diviſionem, quod non eſt de terra habita inter virum & uxorem ſuam, nihil enim habet uxor quod non ſit viri defalta cum uxore & de uxoria utrique erit dampnoſa, & primo per magnum Cape, ſecundo per parvum: Primam tamen ſummonitionem poterit uxor defendere per legem ſuam ſicut & vir. Nota. § 27. Forma brevis talis eſt. Rex vic' ſalutem. Cape in manum noſtram tantam terram vel advocationem talis Eccleſiæ vel paſturam ad tot oves cum pertinentiis in N. quam A. in Cur noſtra coram, &c. clamat ut jus ſuum verſus B. pro defectu ipſius B. vel ſic, quod clamat ut jus ſuum verſus B. & C. uxorem ſuam pro defectu ipſius C. Et ſi tres ſint participes tunc dicatur ſic, tertiam partem quam talis clamat, &c. & ſi dos petatur tunc ſic, tertiam partem tantæ terræ cum pertinentiis in N. quam C.

 quæ

quæ fuit uxor B. clamat in dotem suam versus D. pro defectu ipsius D. Et tunc dicatur, Et summone per bonos summ' prædictum D. quod sit, &c. ad talem diem auditurus indè judicium suum, & habeas ibi summonitor, &c. Ad quem diem si non venerit, expectato quarto die litis offerente se liti petente considerabitur ꝙ A. recuperet seisinam rei petitæ, & D. in misericordia, & eodem modo si tenens summonitus primo die venerit, & excusationem pro se non habuerit, per quam defaltam salvare poterit nec warantum, & si tenens die judicii reddendi comparuerit, & petens non, quamvis tenens summonitus sit per parvum Cape ad audiendum judicium suum & erit processus inanis. Si autem ambo defaltam fecerint, tunc facta compensatione defaltæ ad defaltam petens ad alium diem quando voluerit per defaltam tenentis obtinebit. § 28. Et sciend' quod in omni actione ubi concurrunt districtiones ad utrumlibet, sicut in rem & in personam, districtio illa facienda est quæ magis ligat.

De Defaltis in Actione Simplici. CAP. 15.

CUm autem duæ actiones sub uno brevi comprehendantur quarum una in personam & alia in rem, ut si quis summoneatur quod sit ad ostendendum quo waranto tenuerit talem terram, & postea adjungat, quam Rex clamat escaetam suam, vel de antiquo dominico suo, cum hic duæ concurrant districtiones, illa tenenda est quæ mag' ligat. Si autem in diversis brevibus de qualibet istarum fieret mentio per se, & si in brevi Quo waranto fieret defalta procedetur ad attachiamentum personale, & in alio brevi ad captionem terræ. Si quis igitur impetravit breve de Quo waranto vel quo jure quis terram tenuerit sine adjectione alia, nihil poterit petens consequi per talem actionem, quia si warantum non habuerit tenens neque jus aliquod, nihil consequi poterit petens per tale breve, quia quamvis probato quod tenens nihil jur habeat, non tamen probatur per hoc quod petens jus habeat, & antequam petens sibi aliquid per judicium adquirat alia actione opus erit, & quamvis in causale sit cogi possessorem titulum suæ possessionis dicere per breve de Quo jure vel Quo waranto, valet tamen ad hoc quod petens scire possit utrum tenens teneatur pro hærede vel pro possessore, ut per hoc sciat qua actione valeat experiri pro hærede. Aliter autem possidet qui putat se esse hæredem quod pro possessore vero qui nullo jure rem hæreditariam sciens ad se non pertinere, possidet.

De Narratione. CAP. 16.

POst essonia & dilationes vel ad primum diem summonitionis per bre de recto in judicio comparentibus tam petente quam tenente, petens actionem qua agere velit & intentionem suam proponere debet coram Justic' ut per hoc spem futuræ litis demonstraret, & audito brevi de recto secundum quod fuerit clausum vel apertum, dicat sic petens vel ejus advocatus in præsentia Justic' pro tribunali residentium & partis. § 2. Hoc ostendit vobis

vobis A. quod B. injustè ei deforciat tantum terræ cum pertinentiis in tali loco, ideò injustè quia quidam Antecessor suus C. nomine fuit indè seisitus & vestitus in dominico suo ut de feodo & de jure tempore talis Regis consanguinei vel avi patris Regis nunc, capiendo indè explecia ad valentiam dimidiæ marcæ vel amplius, sicut in bladis, pratis, redditibus & aliis exitibus terræ sicut de feodo & jure de prædicto C. descendit jus illius terræ & descendere debuit cuidam D. ut filio & hæredi, & de prædicto D. isti A. qui nunc petit ut filio & hæredi; & quod tale sit jus suum offert disrationare per corpus talis liberi hominis sui, vel alio modo sicut Cur' consideraverit. § 3. Et quia omnes actiones infra certum tempus habent limitari, constitutum est quod in brevi de recto non narretur de longiori seisina quam de tempore Reg', & cum mentio fiat de tempore indebito quandoque per errorem, si ipse petens narraverit intentionem suam mutare poterit & errorem revocare, & loqui de tempore alterius Regis usque ad litis contestationem sicut quousq; præcisè responsum fuerit intentioni querentis, ita quod tenens se posuerit in magnam ass' vel possessionem suam obtulerit defendere per duellum, ulterius verò minimè, & eodem modo mutari poterit intentio super quantitatem expleciarum. § 4. Si autem aliquis prædictorum articulorum in narratione proposita omittatur, narratioq; à petente advocetur, ita quod error non possit revocari, & tenens judicium petierit de omissione, petens clamans jus suum pro se & hæredibus suis imperpetuum amittet.

De Narratione Participum. CAP. 17.

FIt etiam quandoque narratio descensus ab Antecessore usque ad petentem per tales personas & plures gradus, & ad plures personas quæ sunt quasi hæres unus sicut ad plures filias & earum hæredes sunt,, sic à tali Antecessore descendit jus illius terræ tali filio & hæredi, & de tali duabus filiabus suis vel pluribus, sicut B. primogenitæ & C. postnatæ, & quo casu fiat divisio descensus in narratione pro virili portione quæ singulas earum contingit, ita quod narratio descensus prosequatur lineam singularum sic, Et de prædicta C. descendit jus medietatis illius duabus filiabus ipsius talis scil. E. & F. & tunc sic; Et de prædicta E. tali, ut filio & hæredi, & de prædicta F. tali, ut filio & hæredi, & sic per divisionem in infinitum poterit devenire de hærede in hæredem usque ad minimam partem unius unciæ si per uncias hæreditas divideretur; Et tunc fiat reversio ad aliam medietatem, & reincipiatur narratio descensus sic; Et de alia prædicta tali descendit jus alterius medietatis tali ut filio & hæredi vel talibus ut filiabus & hæredibus, ita quod fiat subdivisione ut supra, de gradu in gradum & persona in personam usque ad illos qui petunt; vel sic, Et undè talis Antecessor fuit seisitus, &c. ut supra, & quia talis obiit sine hærede de se, descendit jus illius terræ tribus sororibus suis, scil. A. B. & C. vel filiis, sicut in tenura de Gavelkinde, vel alibi, ubi terra partibilis est ratione vel ratione plurium personarum quæ sunt quasi unus hæres, & fiat divisio ut superius. § 2. Fit etiam quandoque narratio descensus à linea recta descendente usque ad lineam transversalem & ad unum

gradum vel ad plures secundum quod jus descensus recipit divisionem vel non recipit, & sicut aliquando dividitur jus successionis ad plures personas quæ succedunt, ita conjungi poterunt plura jura successionis per mortem earundem personarum ratione quarum facta fuerit divisio in unum jus & in unicam personam hæredem per jus accrescendi, quia cohæredes & participes mortui sunt sine hærede de se. § 3. Et cum narratio descensus & linea recta fieri debeat usque ad lineam transversalem tunc sic,& à tali Antecessore descendit jus illius terræ tali ut filio & hæredi,& quia idem talis obiit sine hærede de se, revertebatur jus illius terræ tali ut avunculo vel amitæ vel materteræ & hæredi, vel proavunculo vel proamitæ vel promaterteræ & hæredi, vel pluribus amitis vel materteris, & de talibus facta divisione juris usque ad suos hæredes & hæredes hæredum per divisiones, vel sine,& quo casu si unus ex pluribus participibus per se petat solus sine aliis, & objiciatur ei quod participes habeat ex eodem stipite venientes,& petens dicat quod tales nihil possunt clamare per descensum illum, summoniatur nihilominus ad ostendendum quid jur clamat in terra petita; & hoc idem observetur ubique,ubi præsumi poterit quod quis jus habeat in re petita qui non nominatur. § 4. Si autem antenatus in vita patris moriatur filio hærede relicto, vel filii cum sint in potestate avi, statim mortuo avo descendit eis jus in narratione cum descensus de filio præmortuo oportebit facere mentionem. Nulli enim hæredi descendit jus aliquod ab Antecessore, nisi post mortem Antecessoris,& tunc sic; de tali Antecessore descendit jus & descendere debuit tali nepoti vel nepti, vel tali fratri si hæredes de corpore defecerint, & undè oportebit facere mentionem de gradu vacuo per mortem filii, ut fiat saltus gradu prætermisso, & tunc sic, & undè de tali Antecessore descendere debuit jus tali ut filio & hæredi,& de tali ei qui petit ut nepoti vel nepti & hæredi,quia si aliter esset & ille qui in vita patris moriretur feloniam fecerit ipso in descensu non computato sic posset hæreditas & jus successionis immediatè descendere nepotibus ab alio non obstante felonia patris,quod esset inconveniens. Si autem primogenitus in vita patris moriatur nullo hærede de corpore suo relicto sed fratribus,non oportet de fratre antenato in vita patris mortuo facere mentionem in narratione descensus,licet ei jus descendere deberet, tum quia fratres superstites sunt adeo propinqui hæredis in gradu quoad seisinam sicut ille fuit qui mortuus est cum etiam quia postgenitus eorum superstes statim post mortem præmortui incipit esse loco ipsius hæres propinquior patri communi, & undè quamvis primogenitus præmortuus feloniam faceret hoc non noceret fratribus superstitibus cum non essent ipsius hæredes dum pater viveret, nec ejus hæredes esse possunt cum esse desierit in vita patris communis & antequam aliquid jus ei descenderet, quod talis non solum forisfecit quicquid habuerit tempore feloniæ perpetratæ si fuerit de felonia convictus, verumetiam quicquid accidere poterit hæred' suis tunc existentibus & futuris, & omnibus qui possunt esse hæredes sui, & non solum forisfacit hæreditatem sed perquisitum, quia si frater mortuus perquisitum fecerit, illud forisfacit hæredibus propinquis & remotis.

De

De Narratione Abbatum. CAP. 18.

SI Abbas vel Prior vel alii viri religiosi terram petant (advocationem vel quid tale) nomine Ecclesiæ suæ de seisina prædecessorum suorum dicendo, & undè talis Abbas prædecessor fuit seisitus in dominico suo, &c. non fiat narratio de Abbate in Abbatem vel Priore in Priorem, nec de Abbatibus vel Prioribus mediis fiat mentio, quia in collegiis & capitulis semper manet idem corpus quamvis omnes successivè moriantur, sicut dici poterit de gregibus ovium ubi semper idem grex quamvis oves successivè decedant; nec succedit aliquis eorum alteri jure successionis, ita quod jus descendat hæreditariè ab uno usque ad alium, quia jus semper pertinet ad Ecclesiam, & Ecclesia manet semper secundum quod in feoffamentis Religiosorum manifestè videtur; facta est namq; donatio primò & principaliter Deo & Ecclesiæ tali, secundarióque Monachis vel Canonicis ibidem Deo servientibus, & undè fundata intentione fiat irrotulatio in hunc modum. Talis Abbas vel Prior vel hujusmodi petit versus talem tantam terram, &c. vel talem advocationem ut jus Ecclesiæ suæ,& undè talis Abbas prædecessor suus fuit seisitus in Dominico suo ut de feodo & de jure tempore pacis, &c. Ita quod præsentavit ad Ecclesiam talem N. Clericum suum, qui ad præsentationem suam fuit admissus ad eandem Ecclesiam,& indè cepit explicia ad valentiam quinque solidorum & amplius, sicut in decimis, oblationibus & aliis obventionibus, & quod tale sit jus suum & Ecclesiæ suæ offert,&c. Ita q͂ nulla fiat mentio de aliquo descensu, neq; de Abbatibus neq; de Prioribus mediis cum non sint hær̃, nec aliquod jus descendat personis eorum,sicut esset de jure descendente hæreditariè ad hæredes: & idem erit observandum in personatibus & præbendis, si persona vel Canonicus placitaverit per breve de recto,& tunc sic; Peto tantum terræ, &c. ut jus Ecclesiæ meæ vel præbendæ, & undè talis persona vel Canonicus prædecessor meus fuit seisitus in Dominico,&c. ut de jure Ecclesiæ suæ vel præbendæ.

De Narratione versus plures. CAP. 19.

SI quis autem petere voluerit seisinam Antecessoris sui per breve de recto in casu quo terra vel aliud datum fuerit pluribus simul,tunc sic; Et undè A.B.C.D. fuerunt seisiti in dominico,&c. & quia tales mortui fuerunt sine hærede de se, accreverunt eorum partes superstitibus, ita q͂ jus illius terr̃ descendit hæredibus eorum talibus superstitibus, & quia unus eorum scil. talis obiit sine hærede de se, descendit jus illius terræ tali, & de tali illi qui nunc petit,& quod tale sit jus suum offert,&c. Si autem petatur de seisina viri & uxoris quibus terra data est in maritagium vel alio modo, tunc sic, Et undè A. & B. uxor ejus fuerunt seisiti in Dominico suo ut de feodo & jure & ut de maritagio ipsius B. tempore pacis,&c. & de prædictis A. & B. descendit jus illius terræ tali ut filio & hæredi.

De

De Erroribus Narrationis. CAP. 20.

ET nisi de omnibus fiat mentio cadet actio, & similiter si incipiatur narratio ab eo qui nunquam fuit indè in seisina dum tamen à petente non sit dedictum, & eodem modo si erratum fuerit in persona ejus de cujus seisina petitur, ut cum quis petierit de seisina matris, ubi petere deberet de seisina patris, vel è converso; & idem erit si erratum sit in nominibus propriis, ut si Antecessor vocetur uno nomine cum nominandus esset alio, & idem dici poterit de omnibus aliis nominandis in descensu, & idem erit si aliquis omittatur qui deberet nominari, vel si aliquis gradus prætermittatur, idemque erit si erratum fuerit in re petita, ut si una res petatur pro alia, & etiam si quis omiserit aliquem in narratione descensus qui plus juris habuerit vel tantundem quantum habet ille qui petit, & etiam si petatur de seisina alicujus per descensum qui villanus fuit, & si replicetur ipsum esse liberum procedat magna assisa inter petentem & tenentem.

De Visu. CAP. 21.

SI autem visus quandoque fit parti aliquando Juratori & aliquando in Inquisitionibus de rebus undè habetur contentio inter partes, ac etiam de loco & facto sicut in transgressionibus. § 2. De visu verò in actionibus realibus petito statutum est, quod non concedatur in dilationem querentium nisi in casibus valdè necessariis, quia in casibus quibus quis per defaltam amiserit ac breve iterum suscitaverit super eodem, vel cum quis per aliquam dilatoriam exceptionem cassaverit breve post visum terræ, veluti per non tenuram, vel per errorem aliquem vel vicium in brevi inventum, vel malè nominando ingressum vel casibus consimilibus, non erit visus necessarius nec ideò concedendus, dum tamen visus prius fuerat petitus & concessus, nec etiam actionem dotis, cum dos petatur in ten' quod vir uxoris gratis alienaverit tenenti vel ejus Antecessori; Tenens enim ignorare non debet quod ten' vir uxoris alienavit sibi vel Antecessori suo, quamvis vir seisitus non obierit; Nec etiam in brevibus per quæ ten' petuntur ratione dimissionis quam petens vel ejus Antecessor fecit tenenti & non Antecessori, sicut quod ei dimisit dum fuit infra ætatem, non compos mentis, in prisona, vel hujusmodi. Præterea nec in brevibus de custod', de conservic' nec de proparte sororum, quia si plures petant nulla scire potest per se quæ pars ei accidere debet ad partem, & eodem modo cum manerium petatur sine pertinentiis, vel medietas manerii quod non fuit divisum. § 3. Ignorari enim poterit quæ medietas pertinet ad petentem, secus verò si cum pertinentiis, quia petenti medietatem alicujus manerii cum sit indivisum cum pertinentiis vel sine, non denegabitur visus si de toto petat illum ad similitudinem dotis, denegabitur etiam visus ut intrusori cum res specificata fuerit in quam se intrusit sine pertinentiis, præcipuè si recens fuerit intrusio sicut unius añi vel minoris temporis. § 4. Denegabit etiam visus in petitione dotis

dotis nominatæ ſine pertinentiis, quod ſecus erit ſi cum pertinentiis, petens enim talis oſtendere poterit pertinentias de quibus tenens nullam partem advocaret. § 5. Denegabitur etiam viſus in petitione dotis propter incertitudinem, ſicut in caſu quo mulier tertiam partem alicujus rei petierit cum nullam partem certam petierit, ſecus erit cum viſus petatur de toto unde petitur tertia pars. § 6. Denegabitur etiam viſus petenti cum mulier reſponderit quod non petit niſi tertiam partem de eo unde vir ſuus obiit ſeiſitus ut de feodo, & tenens totum teneat & vir recenter obierit,cum ſufficiant pro viſu hæc verba brevis, Unde vir ſuus obiit ſeiſitus. § 7. Denegabitur etiam viſus mulieri per hæredem implacitatæ de admenſuratione dotis,quia ipſa totum tenet de quo petitur admenſuratio, niſi ipſa aliud teñ teneat in eadem villa. § 8. Item non jacet in caſu quo quis petierit quicquid quis tenuit in tali villa ultra 10 libratas, quia probato totali ſufficit pro viſu ejus partis pro extenſione præambula. Secus vero erit in caſu quo petitur viſus de totali. § 9. Plures etiam eſſe poſſunt tenentes ſucceſſivè quorum nullus viſum habebit niſi unus,ut ecce. A. petit verſus B.& B. petenti viſus conceditur ut rem petierit ut jus ſuum,& nulli alii concedetur quamvis war̃ vocaverit & ille aliũ war̃ uſq; ad 10.& ſi B. war̃ vocaverit ante viſum petitum, waranto viſum petenti denegabitur viſus ; ſcit enim warantus aut ſcire debet quam terram teñ de eo tenuerit & de qua terra recepit homagium & ſervicium illius qui eum warantum vocavit, quæ & qualis ſit terra de qua vocatus eſt ad warantum. Tenetur ergo warantus ad cartam ſuam vel ſui Anteceſſor in qua terra petita ſpecificatur reſpondere etiam in caſu licet tenens cartam nullam haberet; & quod de uno dicitur, id de pluribus warantis intelligatur quorum nullus viſum habebit donec proventum fuerit ad duellum vadiari. § 10. Item nec jacet viſus poſtquam terra ſemel capta eſt in manum Regis per defaltam, plevina enim ſufficit pro viſu. § 11. Item denegatur viſus, ut ſi ſemel concedatur, & antequam viſum habuerit ad diem ſuum ſe fecerit tenens eſſoniari cum calumniari deberet quod viſum non habuit, ſecundum quod ſit in caſu quo quis eſſoniari fecerit cum illegitimam ſummonitionem calumniare deberet. § 12. In corporalibus quoq; ſicut in juribus paſcendi, eundi & hujuſmodi ſufficit viſus corporum locorum & fundorum quibus inſunt, licet ipſa jura videri non poſſunt, & eodem modo fiat viſus de injuriis. § 13. In brevi etiam de vaſto non concedatur viſus parti de qua queritur ; Sufficit enim ſi fiat viſus inquiſitoribus. § 14. Denegatur etiam viſus in actione perſonali, & ſi cuſtodia vel maritagium alicujus petatur non eſt neceſſe quantitatem hæreditatis deſignare; Secus erit cum cuſtodia certæ quantitatis terræ petatur. § 15. Cum autem jus advocationis alicujus Eccleſiæ petatur, & plures ſunt Eccleſiæ conſtructæ ſub nomine unius Sancti, tunc oportet deſignare ex loco in qua Eccleſia ſit illud jus quod petitur, ſic, Peto advocationem Eccleſiæ talis ſitæ in tali vico verſus orientem, vel verſus occidentem. § 16. Et ſciendum quod relatio pertinentiarum ſi advocatio petatur cum pertinen' non ſit ad ipſum jus, imò ad Eccleſiam ſecundum quod lignis conſtruitur & lapidibus, & ideo ratione pertinentiarum non oportebit concedere viſum,

ſufficit

sufficit enim pro visu solo petitio bene distincta, nec obstat quod dicitur in brevi ultimæ præsentationis quod Juratores videant Ecclesiam ad quam fit præsentatio, quia hic agitur de jure advocationis & non de corpore Ecclesiæ, & ibi è converso. § 17. Conceditur quidem visus de omnibus terris petitis per breve de recto patens vel per alia brevia clausa, in quibus perveniri poterit ad duellum vel ad magnam assisam, excepto casu visus habiti in brevi declinato per vicium vel defaltam. § 18. Jacet etiam in petitione rei corporalis quæ aliter designari non potest, ut si aliqua res corporalis petatur sine pertinentiis, quia per hoc scire poterit tenens sufficienter an tale corpus teneat vel non, vel ejus partem. § 19. Jacet etiam in placito quo waranto ubi actio datur tam in rem quam in personam ratione pertinentiarum, sicut fieri solet & escaetis Regis de terris Normannorum. § 20. Jacet etiam de teñ unde aliquis redditus pervenit, si redditus petatur per medium tenentis, alioquin non jacet cum redditus non sit liberum tenementum nisi ex teñ proveniat ut de Camera & hujusmodi. § 21. Jacet etiam de teñ in quo petitur communia, nisi visus aliter designari possit qua ille qui convenitur teñ habere poterit in eadem villa in quo petens nullam communiam clamare poterit. § 22. Jacet etiam visus in secta petita si summonitus plura ten' habeat in una villa ut sciri possit ratione cujus tenementi secta petatur, vel cum plures petierit sectas cum non debeatur nisi una. § 23. Jacet etiam visus in juribus quandoque, ut si res vel loca quibus jura insunt designari non possunt per quod in sui æquipollet sicut in communia pasturæ & hujusmodi.

De brevibus Visuum. CAP. 22.

CUM autem visus non possit denegari tunc irrotulata visus petitionē statim præcipiatur vic' quod sine dilatione faciat tali tenenti habere visum de tanta terra cum pertinentiis, in tali villa, quam talis petens clamat ut jus suum versus prædictum tenentem, & quod dicat quatuor militibus ex illis qui visui illi interfuerunt, quod sint, &c. ad certum diem ad testificand' visum illum, & quod habeat ibi nomina militum & breve quod habere faciat tenenti visum de ten' unde petens petit 10 solidat̄ redditus in N. quem redditum clamat ut jus suum versus, &c. vel sic, visum de tanta terra cum pertinentiis in N. unde C. quæ fuit uxor B. nominatim dotata fuit; vel sic, de tanta terra quam A. quæ fuit uxor B. clamat in dotem versus eum, & hoc est quando mulier petit aliquam tertiam partem separatam & divisam; vel sic, visum de tanta terra cum pertinentiis unde A. quæ fuit uxor C. clamat tertiam partem in dotem suam versus eum, & hoc cum mulier clamaverit tertiam partem indeterminatam alicujus totius; vel sic, Visum de tanta pastura in N. quam B. clamat ut pertinentem ad liberum ten' suum in eadem villa vel in alia versus eundem A. & unde B. summonitus est in eadem Cur', &c. ad ostendendum quo jure idem B. clamat communiam in terram ipsius A. nec aliquod servicium ei facit quare ibi communiam habere debeat; vel sic, visum de communia pasturæ in tali villa quam B. in Cur̄, &c. clamat versus

versus eundem A. ut pertinentem ad liberum ten' suum in eadem villa vel in alia, & unde idem A. dicit quod prædictus B. nullam communiam habere debet, eò quod idem B. nullam communiam habet in terra ipsius A. nec idem A. ei servicium,&c. vel sic, visum de tanta terra cum pertinentiis in N. & unde idem talis summonitus est ad ostendendum quo waranto tenet tantam terram cum pertinentiis in N. quam Rex in Cur' sua clamat versus eam ut Escaetam suam de terris Normannorum. § 2. Ad quem diem post visum concessum & habitum reincipiant partes si voluerint essonia sua, & si visus testatus fuit per quatuor milites quibus præceptum fuit visui illi interesse, ipsorum stabitur Recordo, & si visus testatus non fuerit, & ten' ad diem suum venerit & docere possit quod visum nondum habuerit, alium diem habebit nisi petens sub periculo loci pertiti docere poterit contrarium. § 3. In visu autem faciendo debet petens designare rem petitam omnibus modis quibus poterit coram convocatis tam in corpore rei quam in ejus pertinentiis, & de re certa certum reddatur judicium. § 4. Petere enim debet rem & pertinentias per certas metas & divisas, ut per hoc perpendi possit an tenens totum teneat, vel partem, vel nihil. § 5. Si autem manerium integrè petatur cum pertinentiis & sit aliquis qui aliquam terram tenuerit infra procinctum manerii de qua tenens nihil habuerit in dominico nec in servicio, non propter hoc cadet, dum tamen fiat protestatio à petente quod nihil inde clamaverit. § 6. Et cum inter partes oriatur contentio quod tenens imposuerit petenti quod plus posuit in visu suo vel minus quam in brevi originali contineatur super periculo loci pertiti, fiat inquisitio de veritate inde scienda: Et tunc præcipietur Vic' quod venire faciat coram, &c. ad certum diem A. B. C. & D. qui visui nuper facto inter talem & talem de tanta terra cum pertinentiis in N. & cum illis tot & tales probos & legales homines de visneto de N. ad certificand' Justiciar' quid & quantum terræ præfatus talis posuit in visu suo, & unde dicit quod idem A. non posuit in visu tantum terræ, & præfatus B. dicit quod tantum, ita inde se certificent quod præfatos Justiciar' ad eundem diem plenius inde certificare possint, & quod habeat, &c.

De Warantiis. CAP. 23.

CUM autem tutius sit tenenti vocare warantum quam in persona propria subire defensionem cum ex persona sua propria ad actionem omnino elidendam vel ad tempus differendam statim vocet, si warantum habeat per auxilium Cur' vel sine, quia si quis extra potestatem Regis vocaverit, frustra vocat, & nisi vocatum duxerit per se cum Regia potestas sibi prodesse non possit in hac parte petens obtinebit. § 2. Warantizare verò nihil aliud est quam tenentem vocantem defendere in sua seisina vel possessione erga petentem. Nec obstat quod dici poterit de waranto vocante, qui quidem licet non sit tenens, defensor est tamen tenentis, quia quamvis warantizaverit non tamen propter hoc transfert seisinam ad ipsum nec aliud nisi onus defensionis rei petitæ, & cum defensio semel ad warantum

translata fuerit postmodo res inde non poterit à tenente, sed non procedet sub nomine waranti nec cum warantus warantizaverit rem warantizatam reddere poterit petenti invito tenente sine judicio. Defendere enim non est reddere, & si redderet, faceret disseisinam tenenti manifestam, & si judicium intervenerit, tunc ritè transfertur seisina rei petitæ ad petentem sine disseisina, & tenens de re waranti escambium habebit ad valentiam. § 3. Vocare autem poterit omnes ad warantum cui non prohibetur, illi videlicet qui rem aliquam habuerit corporalem ex quocunq; justo titulo, ex causa donationis, promissionis vel emptionis vel hujusmodi cum carta vel homagio, nisi specialiter excipiatur warantizatio & escambium, in quo casu vincit conventio legem; & sicut fit warantia de corporalibus, ita etiam de juribus, sicut de custodiis, maritagiis & hujusmodi. § 4. Prohibetur autem warantia in actionibus pœnalibus ubi quis convincendus fuerit ex delicto vel injuria propria & ubi fuerit pœna corporalis infligenda, cum pœna suos teneat auctores & non al'. Contingit tamen quandoque quod quibusdam subvenitur provocatione ad warantum in personalibus actionibus per devolutionem alicujus rei mobilis de manu ad manum, cum seisitus nihil deliquerit. § 5. Minor autem ad warantiam vocatus ante plenam ætatem suam non respondebit, excepta duntaxat causâ dotis, ubi ætas non est expectanda propter favorem viduarum inconsultarum. § 6. Non solum quidem vocandi sunt donatores, verumetiam eorum hæredes propinqui & remoti nisi specialiter excipiantur, & non solum hæredes verumetiam capitales domini qui loco hæredum succedunt propter defectum vel propter delictum in omnibus escaetis, & maximè si dominus capitalis & primus feoffator homagium & servicium ceperit assignati ad quod compelli poterit cum acciderit escaeta per breve quod recipiat homagium suum. § 7. De libertatibus cum quis vocatus fuerit ad warantum difficile est terminare, eo quòd libertates nostræ sunt regales, & ad coronam & dignitatem Regis pertinent, & præcipuè quia minor poterit inde vocare, tam ille qui tenet ad vitam quam ille qui in feodo, & eodem modo ille qui tenet ad terminum annorum quamvis ratio se habeat in contrarium. § 8. Maritus etiam quandoque vocare poterit uxorem & sine auxilio curiæ, ut si uxor ten' petitum dederit viro suo ante matrimonium & cum uxor warantizaverit & vir amiserit seisinam, uxor tenebitur ad escambium, sed si vir uxori, & uxor implacitetur per se, non magis sine viro respondebit quam de alia hæreditate sua, ipsum tamen vocare poterit ad warantum, quæ si amiserit, escambium de terra viri habebit. § 9. Si vir & uxor simul petunt, ac uxor loco suo virum suum posuerit, ac tenens postea uxorem vocaverit ad warantum, non sufficit primus Attorn' respondere pro uxore, oportebit enim uxor comparere vel alium Attornatum vel ipsum virum iterum facere in placito warantiæ, vel pro petente judicabitur per defaltam uxoris; placitum enim principale & placitum warantiæ diversa sunt, in quibus diversis attornatus oportebit negotiari. § 10. Cont̃ minorem verò oportet ostendere instrumentum, ut cartam, confirmationem, quietam clamantiam vel factum per quod præsumi possit quod minor teneatur ad warantiam sive præsens fuerit sive absens.

absens. Sunt autem nonnulli lites protrahere nitentes minores falsò vocant ad warantos, de quibus provisum est; Quod si petens replicando offerat verificare quod vocatus nec aliquis Antecessor vocati nunquam seisinam habuit de re petita feodum nec servicium per manum tenentis vel alicujus Antecessoris ejus à tempore ejus ex cujus seisina petit usque ad tempus impetrationis brevis & placiti moti per quod potuit verificare tenentem vel Antecessores ejus inde feoffatos fuisse, admittatur verificatio illa si tenens hoc voluerit expectare, alioquin ulterius respondere compellatur: Salvis petentibus talibus replicationibus quales versus principalem tenentem obtinerent; Et si tenens cartam habuerit alicujus extraneæ personæ qui se ad warantiam obligaverit, vel per Antecessorem obligatus fuerit qui gratis warantizare voluerit, tunc competit tenenti remedium per breve de warantia cartæ, sed propterea non capiat placitum jam motum dilationem. § 11. Et si is qui ad warantiam tenetur warantizare falsò contradixerit, provisum est quod sicut tenens amitteret ten' si vocasset ad warantum & warantus se posset devolvere de warantia, eodem modo amittat warantus warantizare dedicens si convincatur quod warantizare debeat, & si petat indè inquisitionem non concedatur breve de judicio petenti, &c. ad festinand' inquisitionem. § 12. Cum autem tenens ad warantum cartas ostenderit & instrumenta, tunc videndum erit an pater vel alius Antecessor minor, si servicium petatur illo die quo vivus fuerit & mortuus seisitus fuit de servicio illo, & quo casu statim warantizare tenetur, loquela tamen principalis inter petentem & minorem qui warantizavit tenenti usque ad ætatem waranti remanebit sine die. § 13. Si autem seisitus non fuit anno & die quo vivus & mortuus, &c. minor infra ætatem ad warantiam non respondebit, neque ad placitum principale. § 14. In casu tamen poterit minor vocari ad warantum & summoniri sine cartæ ostensione, sicut de feoffamento proprio, & quo casu in utroque placito respondebit, & unde cum minor sic vocatus fuerit ad warantum inquirendum est utrum tenementum ratione cujus vocatus est sit hæreditas sua descendens vel perquisitum à minore,& quod dicitur de servicio dici poterit de homagio. § 15. Per homagium autem captum obligatus est dominus ad warantiam, & si dicat quod sine carta warantizare non debet responderi poterit à tenente sic, Tu teneris terram petitam warantizare quia sum inde homo tuus & tu homagium meum inde cepisti & in seisina es de servicio meo, & pater meus & Antecessores patris mei fuerunt indè homines Antecessorum tuorum, Et quod ita sit proferat sectam sufficientem & vivam vocem, vel aliquem qui paratus sit hoc disrationare per corpus suum si opus fuerit, & si ille qui vocatus est hoc dedicere non possit, etiam sine carta warantizabit nisi conditio ipsum impediverit quod homagium captum fuerit salvo jure cujuslibet in suo casu, & si omnino dedicatur homagium tunc incumbit probatio tenenti, & cum probaverit quod ipse talis homagium suum ceperit vel Antecessorum suorum ratione tenementi petiti per judicium warantizabit. § 16. Obligatur etiam quis ad warantiam per Chirographum & finem factum, & secundum hoc fiat judicium de warantizatione. § 17. Obligari etiam poterit

terit ten', ut si quis ita dicat in carta donationis, quod ipse & hæredes sui warantizabunt donationem suam ex tali certo ten' quod tenet ad quemcunque postmodum pervenerit, & quia res cum onere transit, tenebitur quilibet possessor extunc ad warantiam quamvis propter defectum ad manum capitalis domini deveniat ut escaeta. § 18. Poterit etiam Rex inter alios obligari, vocari tamen non potest de recto, nec summoniri, & quo casu dicendum est quod sine Rege respondere non poterit, eo quod cartam suam habet de confirmatione vel de donatione, & si amitteret, Rex ei teneretur per cartam illam ad escambium; Et nisi Rex teneatur ad escambium provisum est quod prætextu talium cartarum prolatarum in judicio non supersedeant Justic' ad procedend'. § 19. Waranti autem propriis nominibus debent vocari, quia si error intervenerit nominis vel personæ, tenens de facili possit amittere. § 20. In dubio tamen vocari poterit warantus multis modis, sicut sub disjunctione, puta, Voco talem vel talem quicunq; eorum hæres fuerit talis, & si hæres in utero fuerit, ac mulier petierit mitti in possessione nomine ventris, tunc dicatur, Voco talem proprio nomine. qui apparens est, vel illum qui in utero est, nisi ad monstrum declinaverit, vel in utero mortuus fuerit; & sic semper exprimenda est causa quæ incertitudinem inducit vel ambiguitatem, sicut illum vel istum quicunq; istorum obtinuerit,,sicut inter avunculum & nepotem legitimum & bastardum & hujusmodi. Sufficit enim si tantum faciat quantum facere potest, cum uterq; se gerat pro hærede. § 21. Cum autem sit aliquis hæreditatem petens dicens se esse hæredem,& mulier aliqua quæ consimiliter petat nomine ventris mitti in seisinam, vel cum plures se faciunt hæredes, nec constare possit quis eorum sit hæres rectior vel propinquior propter dubium eventum, nec aliquis teneatur warantizare ante hæreditatis aditionem, suspendenda est warantia quousq; indè certitudo habeatur, & donec constiterit de veritate; & ecce exemplum. Esto quod quis implacitatus de duabus partibus alicujus manerii & mulier de tertia parte quam tenuerit nomine dotis, & unde idem talis est warantus de dote sua, ac pendente placito ille warantus feloniam faciat & utlagetur antequam dotata eum vocaverit ad warantum duabus partibus in manu Regis existentibus ratione termini sui, & contentio oriatur inter duos dominos de escaeta, nec sciri possit quis eorum debeat obtinere, loquela mulieris respectuabitur sine die vel ad diem diffusum in suspenso, quousq; habeatur indè certitudo. § 22. Et cum in vocando plures erratum fuerit in nomine unius vel plurium, tenend' est ac si erratum fuerit in nominibus omnium cum sint quasi unum corpus unicum jus habentes, sicut videri poterit de pluribus tenentibus vel pluribus petentibus. Cum autem quis vocatus fuerit ad warantum qui fuerit sub potestate vocantis, licet auxilium petierit auxilium non habebit, quem quidem si non produxerit de facili amittere poterit, & similiter de waranto in potestate Regis non existente. § 23. Si autem warantus manens fuerit in libertate ubi breve Regis non currat mandetur domino libertatis quod warantum distringat, quod si non fecerit distringatur ipse per terras suas extra libertatem existentes quod warantum producat, quem si non habuerit tunc non obstante

stante

ſtante libertate apponat Rex manum ſuam in defectu ipſius Domini,ita quod jus non deficiat.

De brevibus judicialibus Warantiæ. CAP. 24.

CUM autem warantus ſine auxilio produci non poſſit, fiat breve de ſummonendo warantum in hac forma. Rex vic' ſalutem. Summone per bonos Sum' A. quod ſit coram, &c. tali die ad warantizandum B. tantum terræ cum pertinentiis in N. quod C. in eadem Curia noſtra coram, &c. clamat ut jus ſuum verſus prædictum B. & undè idem B. in eadem, &c. vocavit ipſum A. ad warant̃ verſus prædictum C. & habeas ibi Sum' & hoc br̃e &c. vel ſic; ad warantizand' B. cuſtodiam terræ quæ fuit C. quam in Cur̃ noſtra,&c. clamat verſus eundem B. ratione filii & hæredis ipſius C. quem habet in cuſtodia ſua de dono talis, ut dicit; & undè idem B. vocat ipſum A. ad warantum verſus ipſum B. & habeas, &c. vel ſic, ad warantizand' B. tantum terræ cum, &c. Et unde idem B. ſummonitus fuit in Cur' noſtra cor̃ &c. ad reſpondendum quo waranto tenet tantam terram vel quid tale quod nos clamamus ut jus noſtrum vel eſcaetam vel hujuſmodi: vel ſic; Sum', &c. A. cuſtodem B. filii & hæredis C. & D. cuſtodes terræ ejuſdem hæredis quod ſint cor̃, &c. & ibi habeant hæredem prædictum ad warantizand' tantum terræ cum pertinentiis in N. quam B. in curia noſtra, &c. clamat ut jus ſuum vel in dotem verſus eundem B. & undè idem A. in eadem cur̃ noſtra, &c. vocavit prædictum hæredem ad warant̃ verſus eum: vel ſic; Sum',&c. A. quod ſit,&c. ad audiendum conſiderationem Cur̃ noſtræ de warantia tantæ terræ cum pertinentiis in N. quam B. in Cur' noſtra,&c. clamat ut jus ſuũ verſus C. vel ſic; Ad warantizand' B. ſimul cum C. filio & hær̃ talis mulieris tantam terram cum pertinentiis in N. quam A. in eadem Cur̃,&c. undè idem C. dicit quod nihil tenet de hæreditate talis matris ſuæ, nec ad warantiam illam reſpondere poteſt ſine præjudicio A. qui hæreditatem illam tenet ad vitam ſuam per legem Angliæ.

De Defaltis in Warantiis. CAP. 25.

AD diem autem legitimæ ſummonitionis quindecim dierum poterit quilibet eorum eſſoniari, petens ſcil. & tenens, & warantus ſimul & viciſſim, ita quod quilibet eorum unicum habeat eſſonium, & ſi petens defaltam fecerit offerente ſe liti tenente recedat tenens quietus de brevi illo, & ſi tenens fecerit defaltam capiatur terra in manum Regis, & ſi warantus præſentibus petente & tenente, capiatur ad valentiam de terra waranti per tale breve. § 2. Cape in manum noſtram per viſum legalium hominum de Com' tuo de terra talis in balliva tua per defaltam ipſius A. ad valentiam tantæ terræ cum pertinentiis in tali villa quam B. in Cur' noſtra coram, &c. clamat ut jus ſuum verſus C. & undè idem C. in Cur' noſtra vocavit ad warantum eundem B. verſus eundem A. & diem captionis, &c. & ſum', &c. & idem dies detur petenti & tenenti ſi fuerint præſentes perſonaliter

naliter vel per Attornatos vel essoniatores. § 3. Si autem warantus terram non habuerit in Com' in quo terra petitur sed in alio, nec constare possit vic' quantum terræ capere debeat in manum Regis in suo Com' per defaltam waranti quia nescit de valore terræ petitæ in alio Com', tunc fiat extentio per tale Breve. § 4. Præcipimus tibi quod assumptis tecum 12 tam militibus quam aliis liberis & legalibus hominibus & discretis de visneto tali in propria persona tua accedas ad talem locum & per eorum Sacramentum extendi facias & apreciari tantum terræ in tali villa, &c. vel sic, Præcipimus tibi quod per Sacramentum proborum & legalium hominum de Com' tuo extendi fac' & appreciari tantum terræ cum pertinentiis in tali villa quam talis in Curia nostra clamat, &c. & undè idem talis vocavit ad warantum talem, &c. & extentionem illam & appreciationem scir' fac' Justiciar' nostris, &c. tali die vel sine dilatione distinctè & apertè per literas tuas sigillatas, & per duos legales & discretos homines ex illis per quos extentio facta fuerit vel illa appreciatio, &c. & habeas, &c. Et cùm per extentionem constiterit de valore, tunc primo præcipiatur vic' in cujus balliva warantus terram habuerit quod capiat in manum Regis ad valentiam, per tale breve. § 5. Cape in manum nostram per visum, &c. de terra talis ad valentiam centum solidatorum terræ pro una carucata terræ cum pertinentiis in N. in tali Com', quam talis in Cur' nostra, &c. clamat ut jus suum versus talem, & undè idem talis vocavit, &c. § 6. Extentio quidem advocationis Ecclesiæ taliter fieri debet ut in participationibus faciendis inter cohær', & facta sic extentione, tunc sic, Cape in manum nostram per visum, &c. de terra talis participis in balliva tua quæ sit de hæreditate ejus cum fortè aliam terram habuerit simul cum hæreditate sicut nomine dotis pro defectu ipsius mulieris ad valentiam viginti solidatorum redditus cum pertinentiis pro advocatione talis Ecclesiæ quam in Cur' nostra clamat, &c. ut jus suum versus B. & undè idem B. in eadem Cur' vocavit ipsum ad warantum versus prædictum A. & diem, &c. § 7. Et quandoque sine inquisitione tali facienda æstimatur terra petita secundum solam assignationem petentis, & capiatur in alio Com' ad valentiam, & si tenens retinuerit, non erit ulterius necesse procedere, & si amiserit, tunc procedatur ad veram extentionem, prius enim non erit necesse. § 8. Cum autem mulier dotem petierit vel aliud ut jus suum versus aliquem qui minorem vocaverit ad warantum, si minor defaltam fecerit, ubicunque terra fuerit, habita tamen extentione ut prædictum est, tunc sic, Cape in manum nostram, &c. de terr' talis filii & hæredis talis qui est infra ætatem & in custodia talis pro defectu ipsius Custodis ad valentiam tantæ terræ cum pertinentiis; vel sic. § 9. Tertiæ partis tantæ terræ cum pertinentiis in tali villa, quam tertiam talis quæ fuit uxor talis in Cur' nostra, &c. vocavit eundem talem versus eam ad warantum qui est infra ætatem & diem, &c. § 10. Si quis autem vocatus ad warantum non habens de hæreditate materna sine pastro non potens respondere sive uterque eorum defaltam fecerit, sive eorum alter, capiatur de hæreditate materna ad valentiam terræ petitæ per tale breve. § 11. Rex vic' Salutem. Cape in manum nostram, &c. de terra quam A.

tenet

tenet ad vitam suam per legem Angliæ, & quæ est de hæreditate B. filii & hæredis talis matris, & ad ipsum reverti debet post mortem prædicti A. ad valentiam tantæ terræ cum pertinentiis in tali villa, quam C. in Cur' nostra, &c. clamat ut jus suum versus D. & undè idem D. in eadem Cur' nostra, &c. vocavit indè ad warantum prædictum A. simul cum prædicto B. versus eundem C. eo quod idem B. dicebat quod nihil tenuit de hæreditate prædictæ matris suæ, sed prædictus A. per legem Angliæ sine quo de prædicta warantia non potuit respondere, & diem, &c. Si autem ambo defaltam fecissent locum haberet parvum Cape. § 12. Quod autem de uno waranto dicitur dici poterit de pluribus, si plures defaltam fecerint, secundum quod terras habuerint in uno Com' vel diversis, & si in diversis Com' tunc sic sum', &c. A. quod sit coram, &c. ad warantizand' B. simul cum C. tantam terram cum pertinentiis in tali villa; & sic de pluribus, & si omnes defaltam fecerint capiatur de terra summonitorum ad valentiam secundum quod tenuerint pro diviso vel pro indiviso, & facta extentione secundum quod fuerint omnes in uno Com' aut in diversis. § 13. Si autem unicus ex pluribus warantis defaltam fecerit ante apparitionem & alii comparuerint, absentia unius non erit aliis dampnosa, quod non est in viro & uxore. Sed pro defectu absentis capiatur de terra ipsius in manum Regis ad valentiam pro ea parte quæ eum contingit de warantia facienda, facta tamen prius extentione quantum terra petita valeat per annum, & fiat tale breve vic'. Cape in manum nostram, &c. undè talis in eadem Cur, &c. vocavit talem ad warantum versus talem petentem cum A. B. C. cohæredibus & participibus suis, & si talis ad secundum diem non venerit, terram suam in manus Regis captam per judicium amittet. § 14. Cum autem warantus ad secundam summonitionem post captionem non venerit offerente se liti petente contra tenentem & tenens versus warantum, recuperabit petens versus tenentem & tenens versus warantum escambium ad valentiam per tale breve. Scias quod A. in Curia nostra coram, &c. recuperavit seisinam suam versus B. pro defectu ipsius B. de tanta terra cum pertinentiis in tali villa, & ideo tibi præcipimus quod eidem A. de prædicta terra cum pertinentiis sine dilatione plenariam seisinam haberi fac', & fiat aliud breve tenenti de escambio habendo facta prius extentione. Si warantus terram non habuerit in eodem Com', tunc sic. Scias quod cum A. in Cur' nostra, &c. peterit versus B. tantam terram cum pertinentiis in tali villa ut jus suum, idem B. venit in eadem Cur', &c. vocavit ad warantum C. qui cum summonitus esset fecit defaltam in eadem Cur, per quam idem A. seisinam suam recuperavit de prædicta terra versus eundem B. Et ideo tibi præcipimus quod de terra ipsius C. in Com' tuo propinquiore tali terræ ipsius B. eidem B. escambium ad valentiam sine dilatione haberi fac'. § 15. Cum autem plures sint waranti vocati & quidam illorum defaltam fecerint & quidam non, tunc sic, Scias quod cum A. in Cur' nostra, &c. & vocavit indè ad warantum C. & D. quod cum summoniti essent in eadem Cur nostra, &c. idem C. defaltam fecit versus eundem B. ita quod prædictus B. cor' præfat' Justiciar' nostris recuperavit seisinam suam versus eundem C. per defaltam

tam ipsius C. de medietate tantæ terræ cum pertinentiis, & ideo tibi præcipimus quod de terra ipsius C. in Com' tuo propinquiore terræ ipsius B. escambium ad valentiam prædictæ medietatis eidem B. sine dilatione haberi facias. § 16. Si autem contingat quod warantus post summonitionem vel essonium pro se projectum cum tenens se essoniaverit comparuerit & postea desaltam fecerit, statim capiatur de terra sua ad valentiam per parvum Cape in manum Regis pro defalta quam fecit post apparentiam suam, per tale breve. Cape in manum nostram de terra C. in ballivia tua pro defectu ipsius C. ad valentiam tantæ terræ cum pertinentiis in tali villa, quam A. in Cur' nostra, &c. clamavit ut jus suum versus B. & undè idem B. in eâdem Cur' nostra vocavit ipsum C. ad warantum versus prædictum A. & summone, &c. prædictum C. quod sit,&c. ad talem diem auditurus indè judicium suum,& habeas,&c. ad quem diem si non venerit amittet ad valentiam terræ petitæ per defaltam versus D. qui tenet, & A. recuperabit versus B. terram petitam, & tunc fiat utrique eorundem. § 17. De viro autem & uxore simul vocatis erit defalta unius utrique damnosa, & capietur terra ad valentiam ac si ambo defaltam fecerint per magnum Cape vel per parvum,secundum quod defalta facta fuerit antequam comparuerint vel post. § 18. Cum autem warantus summonitus defaltam fecerit nec habeat excusationem per quam illam sanare poterit,tunc fiat tale breve. Scias quod cum A. in Cur' nostra,&c. peteret versus B. tantam terram, &c. ut jus suum, vel ut dotem suam vel aliud, secundum formam brevis originalis idem B. venit in eadem Cur' coram, &c. & vocavit indè ad warantum C. & qui similiter venit in eadem Cur',&c. & idem B. terram illam warant̃,& postea in Cur' nostr̃ terram illam amisit per defaltam quam fecit in eâdem Cur' nostra versus eundem A. & ideo tibi præcipimus quod eidem A. de prædicta terrę cum pertinentiis sine dilatione plenariam seisinam haberi fac', & de terra ipsius C. in ballivia tua haberi fac' eidem B. escambium ad valentiam prædictæ terræ per visum legalium hominum. § 19. Et in fine notand' quod si quis implacitatus per breve de recto seisinam suam amittat per defaltam, seisinam suam in posterum recuperabit nisi majus jus habuerit in terra amissa ille qui recuperaverit quam ille qui amisit, quia si minus nunquam recuperabit sicut esse poterit inter fratrem antenatum & postnatum, si postnatus per defaltam amitteret. § 20. Si autem tenens defaltam fecerit cum petens præsens sit & warantus illis se liti offerentibus, si warantus nondum warantizaverit, statim recedet quietus de warantia, & terra petita capiatur in manum Regis per parvum Cape, & tenens summoneatur quod sit ad alium diem auditurus indè judicium suum, ad quem diem si non venerit vel cum venerit & non possit sanare defaltam, amittet seisinam suam eo quod non est secutus versus warantum suum quem vocavit.

De Warantis Warantorum. CAP. 26.

CUM autem warantus in judicio venerit præsente tenente, & warantus defensionem susceperit pro suo tenente, & warantizaverit, tunc proposita

posita intentione petentis versus ipsum warantum statim respondeat warantus defensioni & defendat vim petentis per duellum vel magnam assisam, vel aliter secundùm quod sibi viderit expedire, nisi warantum habeat defensorem qui ipsum defendere debeat, quem statim vocet, & undè cum plures vocati fuerunt de waranto in warantum & ultimus per defaltam amiserit vel per judicium, ipse tenebitur escambium facere, & sic de manu in manum usque ad tenentem cui primo fuit warantizatum. § 2. Forma brevis talis est. Scias quod cum A. in Curia nostra, &c. peteret versus B. tantum terræ, &c. ut jus suum, idem B. venit in eadem Cur̄, &c. & vocavit indè ad warantum C. qui venit in eadem Cur' & eidem B. terram illam war̄ & vocavit indè ad war̄ D. qui postea in eadem Curia ei war̄, & terr̄ illam per defaltam amisit vel judicium versus præd' A. & ideo tibi præcipimus ꝙ eidem A. de præd' terr̄ cum pertinentiis in N. plenar̄ seisinam & de terra ipsius D. in ballivia tua eidem C. escambium ad valentiam terræ præd' & illud idem escambium per manus ipsius C. prædicto B. sine dilatione haberi fac'. Et si plures sint ibi waranti vocati quam duo, tunc dicatur & de terra ipsius C. in Balliva tua eidem D. escambium ad valentiam prædictæ terræ, & illud idem escambium eidem D. sine dilatione habere fac'. § 3. Et si E. ultimus warantus warantizaverit & nihil habeat undè facere possit escambium & D. sufficienter habeat, & omnes alii usque ad B. qui warantum vocavit, & iniquum esset quod B. esset sine escambio, ex equitate permissibile est quod de terra ipsius D. fiat escambium ipsi B. & quod D. expectet tempora meliora versus ipsum E. & tunc dicetur in brevi, & quia idem E. nihil habet undè escambium facere possit ipsi D. Ideo de terra ipsius D. in balliva tua eidem C. escambium ad valenc' prædictæ terræ sine dilatione habere fac' donec eidem C. aliquid habeat undè escambium facere possit, & illud idem escambium habere fac' prædicto B. & sic fieri debet pluribus warantis ab ultimo usque ad primum, & idem fiat si ultimus warantus escambium facere non possit ad plenum quod illud quod defuerit suppleatur de terris aliorum qui sunt medii de waranto in warantum ordine tamen servato ab ultimo ad primum. § 4. Cum autem unus ex pluribus feoffatus fuerit & ex pluribus qui diversis fuerint temporibus feoffati vocatus fuerit ad warantum, & cum defendere non possit amiserit & omnibus teneatur ad escambium, si omnibus satisfacere non possit de escambio, semper erit conditio ipsius melior qui primò fuit feoffatus, ut ipse escambium suum prædeducat in quantum possit, & alii tempora meliora expectabunt, & sic habeant omnes secundum prioritatem feoffamenti privilegium & beneficium quoad escambium habendum, dum tamen omnes simul in unico die ipsum vocaverint ad warantum, & de omnibus redditum sit judicium uno & eodem die de warantia, & omnes simul cum implacitati fuerint unum warantum vocaverint. § 5. Et si warantus cum warantizaverit & amiserit nihil habeat undè escambium facere possit nec ten' ad warantiam obligatum alienaverit, non propter hoc erit de escambio faciendo absolvendus, imò quod fac' escambium si quid ad ipsum postmodum descenderit de hæreditate paterna vel materna, vel alterius Antecessoris ratione cujus vocatus fuerit ad warantum;

& si ratione proprii facti, tunc de quacunque terra in manum ipsius postmodo venerit.

De Obligatis ad Warantiam. CAP. 27.

AD omnes autem cartas de simplici donatione competit tenenti warantizatio & tenentur donatores & eorum hæredes & Domini capitales loco eorum succedentes propter defectum vel propter delictum ad warantiam, si hora congrua & modo debito cum persecutione competenti vocati fuerint ad warantum, nisi contraria specialitas exprimatur quod donator ad warantiam non teneatur neq; ad escambium, & generaliter in omni instrumento in quo continetur obligatio warantiæ tenetur persona obligata & quandoque ten', dum tamen res contentiosa à seisina processerit obligatoris. § 2. Valet etiam carta donationis quantum ad warantiam quamvis clausulam non contineat warantiæ, ut si homagium & servicium exprimatur, quamvis donatarius homagium & servicium dño feodi ratione tenementi ad hoc obligati, & quamvis exprimatur homagium in Carta, non tamen homagium facere oportebit nisi dño capitali nisi in socag' feodis. § 3. Item sufficit ad warantiam finis factus in Cur̃ Regis licet clausula warantiæ non exprimatur neq; homag', dum tamen non excipiatur. § 4. Est etiam casus specialis ubi quis tenetur ad warantiam & ad escamb' quamvis alius fuerit in seisina de homag' & servic' tenentis sui sicut capitalis dñs donatoris, ubi videlt̃ tenens cum dño suo homag' suũ obtulerit & serviciũ & dñs suus ea recusaverit absq; justa causa, statim poterit tenens accapitare dño donatoris impunè & facere ei homag' & servic' pro defectu dñi sui, & idem dñs suus nihilominus tenebitur ad warantiam.

De Warantia ratione homagii. CAP. 28.

ITem tenetur dominus ad warantiam ratione homagii tant̃ licet nullũ servicium à tenente suo receperit, ut cum quis districtus fuerit pro servicio quod capitali domino debetur, si medius totum servicium percipit à tenente & totum propriæ infundit bursæ & ipsum tenentem erga capitalem dominũ non acquietat, extunc pro defectu domini sui cum testimonio proborũ hominum poterit tenens domino capitali accapitare de servicio suo, & dominus nihilominus ad warantiam tenebitur pro homagio, ꝙ nondum extinguitur servicium quantum ad ipsum medium cui debetur homagium. § 2. Item tenetur dominus ad warantiam ratione homagii quamvis nulla carta intervenerit nec aliquod instrumentum, sicut de terris quibus tenens & sui Antecessor' vel Prædecessores in seisina extiterint à tempore Regis Richardi & ultra sicut à Conquestu Angliæ. § 3. Rex enim ad warantiam factorum Regum ante conquestum non tenetur, eo quod non fuerint ejus Antecessores, sed donationes proprias & Antecessorum suorum tenetur warantizare in quantum licitè poterit absque præjudicio juris Coronæ suæ vel alias satisfacere. § 4. Et nota quod cum quis feoffatus fuerit sibi & contineatur in clausula warantiæ quod donator warantizabit donum donatario & hæredibus suis & eorum assignatis,

ſignatis, & res data poſtmodum ad manus alicujus aſſignati pervenerit qui indè implacitatus fuerit, licebit donatario vocare quemcunque voluerit vel donatorem ſuum vel donatorem ſui donatoris vel eorum hæredes propter modum donationis.

De Exceptionibus. CAP. 29.

COmparentibus in judicio petente, tenente & waranto & breve de ſummonitione waranti retornato ſuſpendatur placitum principale donec placitum warantiæ terminetur. § 2. Audito itaque brevi excipere poterit warantus contra breve de warantia multipliciter, ut ſi error intervenerit in nominibus perſonarum vel villarum ad breve de warantia proſternend', viſum quidem ſi petit non habebit. § 3. Scit enim aut ſcire debet quam terram debet tenenti ſuo warantizare quod ſufficit pro viſu, & ideo ſtatim inquirat warantus à tenente an aliquid habeat per quod teneatur ad warantiam, ut ſi cartam vel aliquod inſtrumentum habeat illud oſtendat,& ſi dicat quod inſtrumenta habet ea tamen ante tempus habere non poterit, dabitur ei dilatio legitima ad exhibend' ea, & ſi dicat quod combuſta ſunt vel alio caſu deperdita caſum probet, & ſi nihil habuerit cum inſtructus venire debet ad intentionem ſuam probandam, non eſt ulterius tempus indulgend'. § 4. Cum autem tenens inſtrumenta exhibuerit & rationem oſtenderit quare warantus warantizare debeat, excipi poterit multipliciter contra cartam, ut ſi viciosa ſit ratione raſuræ vel ſigilli, & undè unum per aſpectum & aliud per collationem probari poterit ſigillorum, vel quod confecta fuerit dum donator non fuerit compos mentis ſuæ nec bonæ memoriæ, vel infra ætatem, quæ probari poterunt per teſtes vel per patriam, vel dicere poterit quod donum de quo ſit mentio in carta inſufficiens fuit, quod donatarius qui cartam profert vel ejus Anteceſſor cui donum fieri debuit nunquam habuit de terra data in vita donatoris niſi poſt mortem ejus per intruſionem, per quod ille qui vocatus eſt illam intendit petere in dominico de ſeiſina Anteceſſoris ſui qui indè obiit ſeiſitus ut de feodo ; & ſi donatio ab initio invalida fuit propter non ſeiſinam poterit tamen poſtmodum convaleſcere ex facto hæredis, ut ſi donatarius quocunq; modo in ſeiſina fuerit cum jus ad hæredem deſcenderit cognoſcat hæres cartam patris ſui & homagium donatarii ceperit vel donum patris confirmaverit, terram illam petere non poterit in dominico, & illam warantizare tenetur cont̃ alios. §. 5. Item excipere poterit quod Anteceſſor nunquam fuit in ſeiſina de eadem terra extra quam donationem facere potuit, & ſic eſt carta inſufficiens quod non eſt niſi veſtimentum donationis cum donatio nulla fuit, & quod carta quandoq; viciosa eſſe poterit & donum ſufficiens,& quandoq; è converſo, & quandoq; utrumq; vicioſum,non ſufficit unum dedicere niſi utrumque defendatur, & cum habebit tenens neceſſe utrumq; probare propter copulativam interjectionem & undè ſi in probatione unius deficiat perinde hab' ac ſi in probatione defecerit utriuſq;, veruntam' quicunq; doñ cognoverit warañt tenetur quamvis carta fuerit viciosa vel falſa, quia donum valere poteſt

etiamsi carta non intervenerit. § 5. Item dicere poterit excipiendo, quod ipse tenens non est feoffatus neque suus hæres qui feoffavit, & cum in carta donationis non fiat mentio nisi de feoffata & ejus hæredibus si feoffatus vel ejus hær̄ alios feoffaverit ipse talibus immediatè warantizare non tenetur, & tamen dicere poterit quod non tenetur warantizare nisi certis hæredibus & coartatis in carta donationis comprehensis, & tenens non est in carta comprehensus quia hæres remotus, & si vocatus fuit ratione homagii absque carta, responderi poterit quod homagium captum fuit conditionaliter ut salvo jure cujuslibet, & si ista exceptio rite objecta fuerit & vera in suo casu non tenebitur, sed si dn̄s hæreditatem alicujus in manum suam ceperit post mortem tenentis sui postea aliquem indè feoffaverit per homagium & servicium salvo jure cujuslibet; si hæres postmodum petierit hæreditatem suam, & tenens vocaverit dominum ad warantum ratione homagii, si dn̄s dicat quod warantizare non tenetur, eo quod homag' suum cepit salvo jure cujuslibet, tunc inquiratur à domino si hæredem scivit vel non; Si autem dicat quod hæredem scivit, tenetur, & si nullum scivit hæredem frustra dictum fuit salvo jure cujuslibet. Relinquitur igitur quod omnibus modis warantizare tenetur donum suum extraneæ personæ factum quod tunc est inter duos fratres in casu vel inter propinquum hæredem & remotum. § 6. Item dicere poterit quod non tenetur eo quod tenens aliàs in judicio cognovit, quod non tenuit de vocato nisi ad vitam sui Antecessoris. § 7. Item dicere poterit quod non tenetur quia ipse vocatus in donatione excipitur, & si feoffaverit cum fuerit recens, tunc compellatur tenens ostendere cartam si vocatus hoc petierit, alioquin respondeat petenti, & si dicat quod nulla carta intervenerit nisi homag' tantum, vel si cartam habuerit & hanc aliquo casu amisit, tunc ad inquisitionem erit recurrend'. In quibus casibus bonæ sunt cartæ chirographatæ. § 8. Item dicere poterit quod non tenetur eo quod tenens aliàs in judicio cognovit quod non tenuit de eo nisi ad voluntatem vocati, licet postea tenere clamaverit in feodo nisi recens factum super hoc ostendere possit. § 9. Vel si tenens cognovit in judicio quod tenuit in proparte cum tali tanquam hæreditatem descendentem, sed postea vocaverit indè ad warantum ratione feoffamenti eidem indè facti vocatus non tenebitur; sed si primo confitetur quod teneret sicut feoffatus & non ut hæres & sic contra breve & postea variaverit confitendo se esse hæredem, talis variatio admitti poterit quia non cadit in judicium petentis. § 10. Nec etiam tenetur quis ad warantiam de injuria tenentis sui, vel si A. feoffavit B. de aliquo tenemento, & idem B. decedat C. hærede suo infra ætatem existente, si B. ratione custodiæ tenem' illud ceperit in manum suam & tenuerit ultra ætatem C. hæredis donec idem hæres hæreditatem suam per ass' mor' an̄t petierit, B. vocet ad warantum, A. non tenebitur quia si warantizaret & heres seisinam suam recuperaverit, idem A. ten' ad escambium, quod esse non debet. § 11. Esto etiam ꝙ A. feoffaverit B. & B. relicto hær̄ infra ætatem moriatur, & cum A. ceperit in man̄ suam hær̄ ratione Custodiæ & indè feoffaverit C. qui indè seisitus moriatur relicto hærede infra ætatem; & cum iterum idem A. ter̄ illam in man' suam ratione custodiæ

ceperit,

ceperit,& uterq; hæres aſſ' mor' ant proferat ſuper ipſum A. de incombramento ſuo proprio warantum vocare non poterit, ſed aſſiſa ultimi feoffati procedat ſuper ipſum A. & cum hæres C. recuperaverit, tunc cadet alia aſſiſa & reincipiet ſuper hæredem C. ut ipſe vocet A. ad warantum, & cum hæres B. recuperaverit verſus hæred' C. idem hæres habebit ad valentiam de terra A. & quod dicitur de uno feoffato dici poterit de pluribus & hæredibus eorum in infinitum.

De Suſpenſionibus. CAP. 30.

SUſpenditur quandoq; warantia ad tempus propter minorem ætatem, & quandoque propter mortem waranti vocati, & quandoq; propter caſum forinſecum ſupervenientem, & non punitur ſed durat actio principalis cum partes ſuperſtites extiterint; ſed ſi aliqua partium vel ambæ moriantur ſic cadit cauſa principalis, & per conſequens placitum de warantia quod eſt incidens principali propter minorem ætatem: ut ecce, ſi pater vel mater vel alius Anteceſſor de aliquo tenemento obierit ſeiſitus ut de feodo, & hæredem unum vel plures infra ætatem reliquerit, licet idem hæres in jure poſſeſſorio petere poterit in jure petitorio ante plenam ætatem viginti unius anni petere non poterit nec reſpondere, & cum warantia propter minorem ætatem ſuſpendatur, interim merito ſuſpendendum eſt placitum principale. § 2. Fallit tamen quandoq; qui hæres ad finem factum in Cur' Regis ſemper tenebitur reſpondere cujuſcunque fuerit ætatis & ad proprium factum, & etiam cum Anteceſſor minoris non obierit ſeiſitus ut de feodo de re de qua vocatus eſt, nec in dominico nec in ſervicio, ſed forte ad terminum annorum, vel ad vitam, vel ut in vadio vel in cuſtodia vel hujuſmodi. § 3. Propter finem factum, ut ſi A. petiit verſus B. & B. vocet indè ad warantum C. & C. nolit reſpondere indè infra ætatem, quia Anteceſſor ſuus obiit indè ſeiſitus ut de feodo, ſi B. proferat indè Chirographum inter ipſum & prædictum C. factum, vel inter eorum Anteceſſores, idem C. quamvis infra ætatem reſpondebit vel pro petente judicabitur. Et cum C. ſic warantizaverit ipſi B. expectabitur & ætas ſua verſus ipſum A. de placito principali, & ſic expectabitur diverſis tamen reſpectibus. § 4. Item cum minor teneatur de aliquo tenem' reſpondere, de quo pater vel mater vel alius Anteceſſor obiit ſeiſitus ut de feodo in dominico vel ſervicio ante plenam ætatem præterquam ad finem vel ad vicioſum ingreſſum per diſſeiſinam Anteceſſor' recenter ante mortem ſuam factam, vel ad proprium factum à contrario ſenſu reſpondere debet tam ad warantiam quam ad principale placitum de omnibus de quibus Anteceſſor ejus non obiit ſeiſitus ut de feodo nec ſervicio neque in dominico, & unde ſive per breve de recto ſint placita ſive aſſ' mor' ant' & alia hujuſmodi, in quibus oſtendi poſſit quod Anteceſſor minoris vocati non obiit ſeiſitus de re petita ut de feodo nec in dominico nec in ſervicio ad warantiam reſpondere tenebitur, & poſt warantiam ad placitum principale non obſtante minoris ætate. § 5. Suſpenditur etiam quandoque per

per mortem waranti ut si quis vocatus obierit antequam warantizaverit vel post dum tamen ante judicium, & loquelam terminatam inter ipsum & principalem petentem, & quo casu sive hæred' ejus infra ætatem fuerit sive non, propter hoc cadet loquela, nec ex toto erit recipienda, & maximè cum warantizaverit, in se defensionem suscepit, & per hoc quasi tenens factus est adhuc duret fundamentum scilicet petens & tenens qui sunt quasi parietes quibus deficientibus deficit & tectum; Sed de novo vocetur hæres waranti qui obiit. Et quod dicitur de hærede in omni successore observetur, & sic non peribit lis quamvis pereat constantia litis. § 6. Cum autem plures waranti quasi unus hæres existens simul vocentur ad warantum, tunc refert utrum partitio facta sit inter eos vel non, quia si non, omnes simul vocandi sunt & nominandi quasi unum corpus, & nullus sine alio respondebit. Si autem partita fuerit, tunc refert utrum feoffamentum de quo unus vocatus est ad warantum, factum sit à participe post partitionem vel ante à communi Antecessore omnium. Si autem tantum à participe sine aliis vocetur solus & respondeat de proprio facto. § 7. Si à communi Antecessore tunc omnes vocentur, nec expedit tantum unum vocare sed omnes, licet unus possit respondere, quia sine participibus ad warantiam se respondere non debere, ut alii summonirentur ad warantizandum cum eo. § 8. Si autem unus vel plures moriantur qui hæredes habuerint de corporibus suis, summoniantur hæredes ut superius. Si autem alios non habuerint nisi cohæredes quibus non descendit jus defunctorum per jus accrescendi, iniquum esset & onerosum si pro parte vel illa quæ eis de novo accreverit essent omnes de novo summoniendi essoniis & dilationibus suis præhabitis non allocatis, cum lites potius restringendæ sunt quam laxandæ. § 9. Non erit ergo summonitio de novo reincipienda, sed teneat processus secundum quod inceptus est. § 10. Si vir & uxor vocati fuerint ad warantum qui warantizaverint & ulterius ad warantum vocaverint aliquem, & pendente placito warantiæ moriatur vir, oportebit uxorem de novo vocare per se, cum conjuncta non sit, & per novum breve oportet warantum iterum summoniri nisi warantus hoc voluerit, & si vocatus moriatur ante diem suum tunc vocandus erit hæred' ejus, & si warantus cum vocatus fuerit warantizaverit & amiserit sed escambium non fecerit in vita sua, hæres ejus sine alio brevi tenebitur ad escambium. § 11. De pluribus autem participibus & cohæredibus vocatis pro uno hærede successivè refert quis prius decesserit vel ultimo vocatus, & tunc erit placitum war' reincipiend' in persona hær' & nova summonitione dum judicium in principali non sit redd'. § 12. Si autem judicium sit redditum, tunc erit executio judicii facienda de terra hæredis quoad escambium absq; nova summonitione vel novo brevi. Si autem primo vocatus vel medii vocati pendente placito warantiæ inter ultimos warantos, & aliquis ipsorum amiserit, fiat escambium hæredi ipsius ultimi waranti, & illud idem tenenti si superstes fuerit, & si non, tunc cadet loquela principalis, & erit de novo reincipienda. Si autem medii waranti vocati decesserint, pendente placito warantiæ inter ultimos warantos non est multum curandum quia eorum

eorum hæredes non adversantur in lucro neque in dampno quoad escambium, ex quo ultimus vocatus non respondebit ad warantiam, sed hæres mortui qui vocavit & qui aliis werantizaret si plenæ ætatis fuerit summoniatur ad warantizand' in statu quo pater fuit; Et si hæres fuerit infra ætatem oportebit ætatem expectare. § 13. Si autem plures fuerint vocati qui sunt quasi unus hæres de feoffamento Antecessor' eorum quorum unus fuerit infra ætatem fuissent cum districtione supradicta, suspenditur etiam warantia propter dubium eventum de waranto, ut si duo se gerant pro hæredibus de quibus ante judicium constare non possit quis eorum sit hæres legitimus; Item si mulier habens in utero partum de quo non possit constare utrum nascatur vivus vel mortuus, vel cum nascatur utrum sit homo vel declinet ad monstrum. § 14. Item pro appello capitalis criminis, ut si quis vocatus appellatus fuerit de vita & membris, suspendetur warantia donec constiterit utrum se defendere possit de crimine necne; Non enim magis tenetur ad warantiam pendente accusatione respondere quàm ad placitum principale, quia subsequente condemnatione omnia ab ipso facta post feloniam perpetratam sunt irritanda & revocanda, & generatio sua post feloniam procreata exhæredanda. § 15. Suspenditur etiam donec constiterit ad quem terra sua debeat reverti si sine hærede obierit cum talis esse debeat loco hæredis, & si talis fortè condemnatus fuerit pendente warantia, tunc reincipiatur loquela in eodem statu quo fuit quando ten' primò warantum vocavit cum constiterit cujus escaeta esse debeat hæreditas talis. § 16. Vidend' est autem utrum warantus qui obiit tenuit in feodo, vel ad vitam tantum. Si autem in feodo, fiat ut superius. Si ad vitam vel in vadio vel donec & proprietarius implacitaverit, tunc non cadet breve nec loquela principalis, sed placitum de warantia tantum, quod in personis hæredum reincipere non potest, sed procedat placitum principale ac si tenens ab initio warantum non vocasset. § 17. Sed esto quod ille qui vocatus est ad warantum non tenuit rem petitam nisi ad vitam suam tantum, & antequam warantizaverit moriatur, & terra reverti debeat ad dominum proprietatis qui petit, non propter hoc cadet breve principale nec warantia, sed remanet placitum warantiæ in persona hæredis, si ille qui ad vitam suam tenuerit feoffaverit in feodo, & si ad vitam suam cadet warantia, & tenebit placitum principale. Si autem ad vitam tenentis, tenebit warantia. § 18. Cum autem warantus de warantia se devolvere nequeat quo minus warantizet vel si gratis hoc fecerit, tunc reincipiet petens placitum principale versus warantum eodem modo sicut versus tenentem proposuit, sic dicendo, quod injustè per suam warantiam deforciat quasi esset tenens, cum revera non sit nisi defensor tenentis, quia terra vel res de qua agitur est jus suum tenentem proposuit, & durante hoc litigio de warantia cessabit contentio versus tenentem & alios warantos medios donec constiterit quid actum erit inter petentem & ultimum warantum. § 19. Cum autem ille qui ultimò warantizavit warantum ulterius vocare noluerit vel non possit, tunc aut statim defendat jus ipsius petentis & seisinam & don' per duellum, ponat se in magnam assisam vel

vel rem petitam reddat petenti cum voluntate tenentis nisi exceptiones habeat cont petentem quas proponat: Sunt tamen quædam exceptiones tenenti & waranto communes, & sunt utriq; speciales. § 20. Competunt quidem waranto hujusmodi exceptiones, Finis factus, remissio & quieta clamatio petentis vel ejus Antecessoris, felonia cum condemnatione, judicium Cur' Regis, & plures esse possunt exceptiones waranto competentes quæ principali tenenti non competunt. § 21. Si autem dicat quòd tenens tantam terram quanta petita est non valebit vocato, quia non tenebitur ad majus escambium quam in carta donationis continebitur vel pro quanta recepit homag', nec ad majus escambium tenebitur principali tenenti quam ipse tenens tenuerit quando warantus per judicium amiserit, licet talis exceptio competiisset ab initio ipsi tenenti contra petentem. § 22. Et cum warantus tenentem suum legitimè defenderit retinebit tenens seisinam suam & petens in misericordia Reg' remanebit pro falso clamore, quem si defendere nequeat amittet tenens rem petitam, & warantus tenebitur ei ad escambium quatenus habuit de hæreditate ejus ratione cujus vocatus fuerit ad warantum. § 23. Et quamvis quis ad escambium & ad warantiam teneatur, de omni tamen ten' non fit warantia, sicut de Serjantiis Regis quæ dividi non debent, nec de aliis tenem' quæ de Rege tenentur in Capite. Non autem tenetur quis factum patris vel matris vel alterius Antecessor' ejus cujus hæres fuerit warantizare, vel escambium facere de suo perquisito. § 24. Item nec de hæreditate matris warantizare debet quis vel escambium facere de hæreditate patris, nec è converso, nisi in casu; Si autem de escambio fieri debet extentio æstimari debet res amissa in eodem statu in quo fuit quando primo data fuit, quia melioratio amissoris sui post feoffamentum ampla construxerunt ædificia, sicut castra, parcos, vivaria vel hujusmodi. Et si plures sint waranti qui amiserint quilibet contribuat ad escambium pro portione virili, & fiat extentio & escambium per hoc breve. § 25. Scias quod cum A. in Curia nostra, &c. peteret versus B. tantam terram, &c. idem B. venit in eadem Cur' & vocavit indè ad warantum C. qui venit in eadem Curia, &c. warantizavit ei, & postea per judicium ejusdem Curiæ nostræ terram illam amisit versus prædict' A. quæ quidem terra per rationabilem extentionem inde factam per præceptum nostrum in Com' tali, videlicet per annum tantum, & ideo tibi præcipimus quod de terra ipsius C. in Com' tuo eidem B. in escambium prædictæ terræ tantum terræ per visum legalium hominum de Comitatu tuo per rationabilem extentionem sine dilatione habere facias & assignari, & quid, & ubi per quas particulas terram illam ei assignaveris sciri fac' præfat Justiciar', &c. per literas tuas sigillatas & per duos, &c.

De Vocatis extra Regnum. CAP. 31.

SI tenens vocaverit ad warantum talem qui ſit manens extra regnum Angliæ & nihil in regno habuerit per quod diſtringi poſſit, tunc refert utrum omnino extra dominium Regis vel in dominio, ſi autem extra ſicut in alieno regno non valebit vocanti auxilium Cur' petend', ſed oportebit talem ducere, alioquin pro petente judicabitur; Et eodem modo de hiis qui fuerint ſub poteſtate vocantis ſi alioquin vocaverit. Si autem extra regnum, non tamen in alieno regno, ſicut in Hibernia ubi brevia Regis currunt, expedit vocare per auxilium Curiæ, & quo caſu ſuſpendetur placitum principale quouſq; in Hibernia diſcuſſum fuerit de placito warantiæ, & niſi tenens placitum warantiæ ſequatur, amittet per defaltam, & fit tale breve. § 2. Rex dilecto & fideli ſuo tali Juſtic' Hiberñ ſalutem. Sciat quod cum A. in Cur' noſtra coř, &c. peteret verſus B. tantam terram cum pertinentiis, &c. ut jus ſuum, idem B. venit in eadem Cur', &c. & dixit quod terram illam tenet de dono C. vel alicujus Anteceſſor' ejus cujus hæř ipſe C. eſt per cartam ſuam quam ibi oſtendit, & vocavit indè ad warantum prædictum C. verſus eundem A. per auxilium Cur' noſtræ; & quia idem C. manens eſt in Hibernia ſub poteſtate noſtra, & nullam terram habet in Anglia ubi ſummoniri poſſit vel diſtringi, Vobis mandamus quod ſummoniri faciať coram nobis prædictum C. certis die & loco ad warantizand' prædicto B. prædictam terram, vel ad oſtendendum quare warantizare non debeat Recordum illius loquelæ ſecundum quod coram vobis fuerit deducta præfatis Juſticiar' noſtris ſine dilatione ſciri faciať remittentes hoc breve; & ſi prædictus C. warantizare debeat detis eis diem coram Juſtic' noſtris ad audiendum judicium & recordum ſuum de prædicta warantia, & ad reſpond' eidem A. in placito principali; & ſi C. in Angliam venerit nec tenentem ſuum defenderit verſus A. A. recuperabit terram petitam verſus B. & B. de terra ipſius C. in Hibernia habebit ad valentiam. Sed ſi C. tenentem defenderit verſus A. B. tenebit in pace & C. quietus erit de eſcambio Hiberniæ quod immediatè ſummoniri fac' vocatum quod ſit ad certum diem apud Weſtm' vel alibi in Angl' ad warantizand', &c.

De Warantiis proprietariorum. CAP. 32.

POterit etiam quis intrare in warantiam ad proprii juris tuitionem, etſi non vocetur, ut ſi quis tenuerit ad vitam ſuam vel donec & ſe in fraudem permiſerit implacitari ab aliquo, & cum poſt ſi dominum proprietatis indè vocare ad warantum ſubticuerit proponens gratis amittere per defaltam vel alio modo in exhæredationem proprietarii; melius namque eſt in tempore occurrere quam poſt cauſam vulneratam remedium quærere; Hujuſmodi igitur tenentes cum implacitati fuerint de hujuſmodi teñ vel illis annexis, vocare debent proprietarios quodammodo ad warantum, & ſi warantus vocatus defaltam faciat, petens rem petitam recuperabit & te-

nens escambium; & si warantus venerit & tenens non, tunc amittet tenens & escambium non habebit.

De fide Cartarum. CAP. 33.

CUM autem vocatus concedere velit de warantia & vocatus cartam proferat pro se in judicio, & cont̄ ipsum excipiatur quod minus sufficiens sit vel falsa, oportebit vocantem docere illam esse sufficientem & veram, ut si signum contradicatur & per hoc defendatur donum, oportebit vocantem dicere donum ritè esse factum & cartam esse validam & inde se ponere super testes in carta nominatos & super patriam,& tunc fiat inde inquisitio per tale breve. Rex vic' salutem. Summone, &c. A. B. &c. testes nominatos in carta quam D. in curia nostra coram, &c. protulit sub nomine E. de tanta terra cum pertinentiis in N. & præterea tot & tales tam milites quam liberos & legales homines de visneto tali quod sint cor̄, &c. ad recognosc' super Sacramentum suum si prædictus E. terram illam dedit prædicto D. & cartam suam ei inde fecit & homagium suum inde receperit & inde in seisinam posuit ipsum D. sicut idem D. dicit vel non sicut prædictus C. dicit, quia tam prædictus D. quam idem C. inter quos, &c. posuerunt se in juratam illam & ita se interim certific' & præfatos Justic' nostros ad præfatum terminum plenius inde certior̄ possunt, & habeas ibi nomina militum & hoc breve. § 2. Si autem testes fuerint in diversis Comitatibus manentes tunc sic, ad recognoscend', &c. simul cum D.E. & F. & aliis testibus nominatis in eadem Carta, & simul cum 10 vel 12 liberis, &c. de tali alio Comitatu, de pluribus autem Comitatibus si testes & milites sint evocandi. Si autem vocatus dicat quod carta sibi nocere non debeat quia facta fuit dum donator fuit impotens sui vel non sanæ mentis vel postquam memoriam amiserit in infirmitate qua obiit, vel dum fuit infra ætatem vel in vinculis detentus per vim & metum fuit excoriatus & ubi ipse vocatus reclamavit cum potuit, vel quia per dolum advenit, ut si cartam de feoffamento sigillatam cum scriptum de termino annorum sigillare crediderit, vel ut si carta fieri debuit ad vitam, illam fecit fieri in feodo & hujusmodi, dum tamen nihil sit quod imperitiæ vel negligentiæ suæ possit imputari ut sigillum suum Senescallo tradiderit vel uxori quod cautiùs debuit custodivisse, & in quibus casibus oportebit vocantem docere contrariũ,& tunc fiant Inquisitiones per talia brevia. § 3. Rex vic' salutem. Summone,&c. A. B. C. testes nominatos,&c. & præter illos 9. tam milites quam alios, &c. ad recognoscendum, &c. si prædictus C. in ligia potestate sua & dum fuit compos sui bonæ & sanæ memoriæ dedit prædicto B. tantam terram cum pertinentiis in N. & cartam suam ei inde fecit,vel non; & unde E. filius & hæres prædicti C. versus quem prædictus D. in Cur̄ nostra & cum clamans prædictam terram dicit quod prædictus talis pater suus vel alius Antecessor nunquam dedit prædictam terram prædicto B. & si hoc unquam fecit fuit hoc in infirmitate in qua idem talis Antecessor obiit, & postquam memoriam amisit, vel dum fuit non sanæ mentis & compos sui, vel dum fuit infra ætatem in custodia ipsius Antecessor' ut idem C. dicit quia prædictus,

prædictus, &c. Et quandoq; ſit inquiſitio tantum per teſtes & quandoque per alios, tunc ſic, & interim terram illam viderint, vel ſic, ad recognoſcendum,&c. ſi prædictus C. bona voluntate & ſponte dedit ipſi D. terram illam vel illam advocationem vel quid tale, ſicut idem D. dicit, & ſi hoc fecit coactus & per metum tunc diligenter inquiras qualem metum vel qualem coactionem idem D. ad hoc adhibuit, & inquiſitionem, &c. vel ſic, ad recognoſcend', &c. ſi A. pater B. dedit C. tantam terram cum pertinentiis in N. & eum indè in ſeiſinam poſuit, & per donum illud fuit indè in ſeiſina in vita ipſius A. per tantum tempus, & ſi idem C. poſtea dimiſit terram illam prædicto A. patri ipſius B. ad firmam vel ad terminum vitæ, vel ſi idem A. ſemper fuit inde in ſeiſina & obiit indè ſeiſitus ut de feodo abſque aliqua ſeiſina quam idem C. inde haberet in vita ipſius A. vel non, quia tam prædictus, &c. § 4. Et ſi quis unicam rem dederit duobus & contentio habeatur de prioritate quis eorum priorem habuerit ſeiſinam, vel ſi quis advocationem alicujus Eccleſiæ dederit alicui, & poſt donationem illam dicat donator ſe præſentaſſe ad Eccleſiam, & donatarius quod non, tunc fiat inquiſitio tam de prioritate doni quam de præſentatione per hoc breve. Precipimus tibi quod venire fac' coram, &c. 12. tam milites quam alios liberos & legales homines de viſneto tali per quos rei veritas, &c. ad recognoſcend', &c. ſi A. pater B. poſtquam dederit C. advocationem talis Eccleſiæ & poſtquam cartam ſuam quam indè habet ei fecit præſentavit D. ad eandem Eccleſiam ita quod ad præſentationem ſuam fuit admiſſus, & qui ultimo obiit perſona in eadem Eccleſia vel non, quia tam, &c. Et ſimiliter ad recognoſcend', &c. ſimul cum D. E. &c. teſtibus nominatis in carta quam prædictus A. &c. fecit tali de eadem advocatione, utrum videlicet prædictus A. prius dedit advocationem illam predicto tali vel tali, & interim Eccleſiam illam videant & ſe ita certificent quod præfatos Juſticiarios noſtros, &c. § 5. Si autem fieri debeat inquiſitio per teſtes & per patriam, tunc ſic. Præcipimus tibi quod venire fac' coram, &c. A. & B. teſtes nominatos in carta quam C. fecit D. de advocatione talis Eccleſiæ ad recognoſcend', &c. ſimul cum 12 tam militibus, &c. & ſimul cum E. F. & G. teſtibus nominatis in carta quam idem C. fecit E. de eadem advocatione utrum prædictus C. prius dedit advocationem illam prædicto D. & cartam ſuam ei indè fecit, vel prædicto E. interim, &c.

De Probatione Cartarum. C A P. 34.

CUM autem teſtes & recognitores in Cur' comparuerint & facto ſacramento dicant ſe interfuiſſe ubi donatio facta fuit, & in eorum præſentia carta donationis lecta & audita & homagium captum & ſeiſina donatario legitimè facta, & cum debita ſolemnitate, valida erit carta & donatio legitima; Si autem de auditu tantum loquatur quod audiverunt dici quod carta facta fuit & homagium captum ſed nullus eorum pr... ſeiſ aderat cum præſentes fuerint ubi ſeiſina facta fuit donatario per ...attor- natum qui literas patentes ſuper hoc oſtenderit quamvis nullam cartam

ita quod inductus fuit in vacuam possessionem, valebit donatio si seisina bene fuerit continuata & homag' captum, sed si de seisina nihil sciverint probetur carta legitima, sed donatio invalida quia nihil probant de traditione seisinæ: Et vice versa fieri poterit si seisinam probaverit legitimam quod donatio erit valida, licet de homagio facto vel de carta nihil probaverit, ut si testes & Juratores dicant quod cartam illam nunquam prius viderunt nec unquam audita fuit in Com' neque in hundredo, licet dicant quod rogati fuerint quod essent testes tamen non valebit carta; Et idem erit si dicant se nunquam interfuisse confectioni cartæ neque recitationi, quod multum cartæ deroget & ejus fidei. § 2. Item si omnes Testes dicant vel saltem omnes præter unum vel duo se nihil scire de carta, ac unus vel duo dicant similiter sed quod interfuerunt ubi confirmatio facta fuit, adhuc non probatur per hoc carta, licet donatio ratificetur. Si testes dicant quod præsentes fuerunt in confectione notæ in quam consentierunt donator & donatarius, licet præsentes non fuerint in appositione sigilli sufficit tamen ad cartæ probationem. § 3. Si autem nullus testis apparuerit cum omnes sint mortui vel extra regnum, super fide cartæ erit ad patriam de necessitate recurrend'. § 4. Et si testes appareant & dicant se de carta nihil scire, vel si dubiè responderint, ac lator cartæ suspectus habeatur quod cartam adquisierit per dolum dum fuit Camerarius donatoris, vel per fraudem uxoris, vel sit alia vehemens præsumptio quæ fac' cont̃ ipsum, non valebit carta neque donatio propter præsumptionem, & maximè quia nihil probant. § 5. Probari etiam poterit carta alio modo quam per testes & per patriam, sicut per collationem sigillorum, ut si conferantur alia sigilla quæ alias in judicio prolata fuerint vel probata, & si modis omnibus conveniant & per omnia ita quod in eis nulla appareat differentia, hoc erit sufficiens ad cartam dedictam probandam, nisi rasura in loco suspecto inventa illam impediat, sicut in narratione facti proprii nominibus, locis, numeris, & hujusmodi, quod non est in narratione jurium. Jura autem ubique scribi possunt quia non narrantur per rasuram neque mutantur. Apparere autem debet omnis carta in prima sui figura absque omni vituperatione, rasura vel cancellatura, calumniosam vero scripturam in judicio proferre non convenit; sunt tamen quædam in scriptis quæ levem inducunt præsumptionem, & hujusmodi levia vicia vinci poterunt per veram testium probationem & per patriam, ut si in scriptura inveniatur diversitas calami vel atramenti vel manus, & nisi aliquod sigillum prius fuerit in judicio prolatum & à donatore recognitum vel à proferente probatum, non erit hujusmodi sigillis ad collationem prolatis aliquatenus fides adhibenda, quia omnia esse poterunt adulterina.

De Warantia Cartæ. CAP. 35.

EST & aliud genus warantiæ quod dicitur warantia cartæ, ubi quis de facto & feoffamento suo proprio vel Antecessorum suorum tenetur alium defendere & acquietare in seisina sua secundum modum sui feoffamenti quotiescunque ab aliis vexatus fuerit vel districtus ad indebita facienda, & quo casu succurritur querenti per tale breve. § 2. Rex vic' salutem. Præcipe A. quod juste, &c. warantizet B. tantum terræ cum pertinentiis in N. quod tenet & de eo tenere clamat & undè cartam suam habet ut dicit, & undè habet cartam talis patris vel matris, fratris vel sororis, avunculi vel amitæ, avi vel aviæ, proavi vel proaviæ talis quamvis ipse qui queritur sit hæres valdè remotus, & tunc dicatur, Cujus hæres ipse est ut dicit & nisi fecerit, &c. summ', &c. § 3. Ad diem verò summonitionis locum habebit essonium, & si non venerit neque essoniatus fuerit attachietur per vad' & pleg'; & ulterius observetur ordo attachiamentorum sicut in actionibus personalibus Civilibus donec comparuerint. § 4. Cum autem in judicio venerit respondere poterit excipiendo contra cartam quod warantizare non debeat secundum formam brevis, quia querens terram non tenet de qua petit warantiam, vel quia cartam non ostendit neque aliud quare summonitus warantizare debeat, vel quia ipse querens non est hæres ipsius sub cujus nomine petitur warantia. § 5. Si autem summonitus querentem conť tenorem cartæ suæ vexaverit exigendo alia servicia vel plura quam ei facere obligatur, quamvis quidam dicant ꝙ locum habet breve de recto de consuetudinibus & serviciis, tutius tamen conqueri per breve de warantia cartæ ad evitandum periculum & discrimen duelli & magnæ assisæ, quia ambigua sunt fata causarum; Quicunque autem tenentem suum contra alios defendere tenetur, ipse illum contra cartam & factum suum gravare non debet; Tenetur enim quilibet tenentem suum defendere, non autem destruere, quia quod quis ex officio aliis prohibere necesse habet id in persona propria committere non debet.

De Exceptionibus. CAP. 36.

EXceptiones autem loco actionum sunt, nam qui excipit agere videtur quantum ad onus probationis; Non igitur valet exceptio nisi probata dum tamen ab agente condicať. § 2. In respectu verò actionum dicuntur exceptiones, una namque aliam impugnat, quia sicut actores suis armantur actionibus, ita rei è contra suis muniuntur exceptionibus. Exceptio autem est actionis illisio, per quam actio perimitur vel differtur. § 3. Exceptionum quædam sunt dilatoriæ, & quædam peremptoriæ jurisdictionis & dilatoriæ actionis, & quædam dilatoriæ brevis & peremptoriæ actionis. § 4. Item exceptionum quædam sunt generales ad omnes actiones & quædam speciales. Generales verò sunt quæ generaliter se habent ad omnia placita, sicut exceptiones contra jurisdictionem, conť personam agentis, contra breve de tempore de erroribus, & quæ sunt dilatoriæ actionis & quasi

extra

extra actionem, quæ actiones non perimunt sed ad tempus differunt. § 5. Sunt autem quædam exceptiones in initio litis proponendæ & in præparatoriis judiciorum & ante visum ad perimendum judicium ne procedat, sicut sunt exceptiones contra jurisdictionem & personas judicantium, sicut dici poterit hiis quibus deficit authoritas judicandi, & exceptiones quæ competunt contra personas petentium, & cont̄ brevia de quibus tenens post visum petitum non audietur, quia per petitionem visus renunciavit tacitè beneficiis hujusmodi exceptionum. § 6. Sunt etiam quædam quæ visum sequuntur, sicut exceptio non tenuræ totius rei petitæ vel partis; & eodem modo de pertinentiis competit etiam exceptio erroris loci post visum, & istæ procedunt lites contestationum. § 7. Et quamvis visus non petatur per ordinem tamen debent exceptiones proponi. Erit igitur à digniori incipiend' sicut à jurisdictione judicantis & persona Judicis cum ipse sit pars principalis judicii. Secundo contra personam petentis, & etiam cont̄ ipsum tenentem ex persona sua propria & postea contra breve, & tunc ad non tenuram, vel ad errorem loci, ex ultimo ad actionem. § 8. Et sunt duæ exceptiones quæ omni tempore proponi possunt etiam post judicium, sicut Judicis non sui & falsi Attornati, cum quibus nullum ratificatur judicium, controversio nulla, & sicut necesse est actionem proponere & probare, ut prima facie justa videatur, ita oportebit exceptione, ut per hoc sciri possit an pertineat ad excipientem exceptio, sicut ad agentem pertinet actio, quia cum aliquando contra actionem pertineat exceptio, non tamen semper ad omnes pertinent ut illam proponant. § 9. Contra exceptiones verò licet ab initio competentes videantur subveniri tamen poterit quandoque petentibus ope replicationis, ut si quis petat excipere poterit tenens de pacto interveniente ne petat, contra quem replicari poterit à petente de pacto posterius interposito quod petit, & quo casu primum pactum eliditur per posterius, non quidem ipso jure sed ope replicationis. § 10. Replicatio quidem est exceptio quæ competit actori contra exceptionem rei, & contra replicationem datur triplicatio reo, & iterum quadruplicatio petenti; Replicatio verò ideo objicitur ut exceptionem impugnet, vel sic. § 11. Exceptio actorem excludit replicando vero reum, & cont̄ replicationem datur duplicatio, & cont̄ ipsam rursum triplicatio, & sic deinceps in infinitum. § 12. Exceptiones vero perpetuæ sunt quamvis de temporalibus actionibus descendant, quia non erit in voluntate tenentis quando velit excipere, licet in voluntate actoris sit quando velit agere, & sicut actor una actione debet experiri saltem illa durante, sic oportet tenentem unica exceptione dum tamen peremptoria, quod de dilatoriis non est tenendum, quia si liceret pluribus uti exceptionibus peremptoriis simul & semel sicut fieri poterit in dilatoriis sic sequeretur quod si in probatione unius deficeret ad aliam probandam possit habere recursum, quod non est permissibile non magis quam aliquem se defendere duobus baculis in duello cum unus tantum sufficere debeat. Probari autem poterit exceptio quandoque per instrumenta & quandoque per patriam.

De

De Exceptione cont' Jurisdictionem. CAP. 37.

JUrisdictio autem nihil aliud est quam auctoritatem habere dicendi jus vel judicandi inter partes de actionibus personarum vel rerum secundum quod in judicio fuerint deductæ authoritate ordinaria vel delegata. § 2. Est etiam jurisdictio quædam ordinaria & quædam delegata, & undè si quis summoniatur coram aliquo Judice Ecclesiastico vel seculari forum rei consequi debet & cum ubique parere, judicem tamen habere debet illum apud quem reus domicilium habuerit, quia actori forum rei sequi debet sicut ratione criminis conveniendus est quis ubi crimen commiserit, & similiter de injuriis personalibus Civilibus, subjacere enim debet juri ubi deliquerit, sicut de Infongenthef manifestè apparet; Et eodem modo in contractibus; conveniendus enim est contrahens ubi contraxerit. Ex præmissis igitur relinquitur quod si quis utlagatus fuerit in Com' in quo non deliquit, ipso jure adnullanda erit utlagaria. Sententia autem à non suo Judice lata nemini debet nocere. § 3. Cum autem diversi sint Judices æstimare debet quilibet an sua sit jurisdictio ne falcem proponat in messem alienam. Judex autem secularis de rebus spiritualibus cognoscere non debet. Decimæ autem in quantum decimæ & res testatæ in possessione testatoris tempore obitus sui existentes & catalla data ob causam matrimonii & plura alia in foro Ecclesiastico debent intentari; Poterit tamen cognitio eorum per contractus ad forum seculare devolvi, ut si decimæ vendantur per venditionem jam translata est spiritualitas in temporalitatem, & quo casu, locum habebit prohibitio Regis ad inhibend' Judicibus Ecclesiasticis ne in cognitionem hujusmodi catallorum procedant, & ut fraus fiat inhibitioni inhibitum est per Statutum Hospitalariis & Templariis ne trahant aliquem in placitum coram custodibus privilegiorum suorum de aliquo cujus cognitio spectat ad forum Regiæ potestatis, quod si faciat primo restitutis damnis parti gravatæ graviter per ipsum Regem puniatur. Inhibetur etiam conservatoribus eorundem privilegiorum ne ad instantiam Hospitalariorum vel Templariorum vel aliorum privilegiatorum citationes fieri concedant priusquam exprimantur super quibus fieri debeat citatio. Et si hujusmodi conservatores viderint quod citatio de aliquo petatur cujus cognitio ad forum spectaverit seculare, tunc eas concedere non præsumant, & si fecerint pœnam subscriptam incurrent; Et quia subpriores, sacristæ, præcentores, celerarii & hujusmodi religiosi amotibiles facti sunt custodes hujusmodi privilegiorum & nihil habent undè læsis aut Regiæ satisfacere possint dignitati cum prohibitioni, Reg' non inclinaverint, inhibitum est eorum Abbatibus, Prioribus, subprioribus & aliis eorum Rectoribus & superioribus hujusmodi obedientiariorum ne permittant hujusmodi obedientiarios suos assumere sibi hujusmodi Jurisdictiones Regiæ potestati præjudiciales, quia si permiserint pœnam ipsorum delinquentium subibunt acsi ipsi superiores de præsumptione illa convincerentur. § 4. Prohibitionem Reg' sancitum est locum habere ne judicium procedat in foro Ecclesiastico quandoque ratione, rei quandoque

doque ratione personarum, ut si laicus laicum implacitaverit coram aliquo Judice Ecclesiastico de aliquo laico feodo vel de aliquo quod ad hoc pertinuerit. § 5. Nullum enim privilegium jurisdictionem regiam in hac parte mutare poterit, similiter nec fidei interpositio neque Sacramentum præstitum, neque partium spontanea renunciatio; Et hoc idem dici poterit de catallis & debitis quæ non sunt de testamento vel matrimonio & eorum sequela. Et eodem modo de injuriis personalibus tam in actionibus criminalibus quam civilibus, dum tamen civiliter agatur; & si criminaliter agatur versus clericum quamvis clericus respondere noluerit in foro seculari, Judex tamen Ecclesiasticus cognitionem habere non poterit nec regiam auferre jurisdictionem, licet habere debeat Judicii executionem. § 6. In causa enim sanguinis non poterit Ecclesiasticus Judex cognoscere neque judicare neq; irregularitatem committere, & quamvis neminem valeat morti condemnare, degradare tamen poterit crimine convictos vel perpetua carceris inclusione custodire. § 7. In causis verò Testamentariis vel matrimonialibus non habebit locum regia prohibitio, & eodem modo in lite suscepta de rebus defuncti specialiter non dispositis, quamvis dispositio earum arbitrio relinquatur Executorum. § 8. Et si terr̄ vel aliud in foro petatur Ecclesiastico & regia prohibitio intervenerit ne procedatur ibidem & Judex procedere timuerit an res de qua agitur merè spiritualis sit necne, tutum est Judici supersedere litemque suspendere donec discussum fuerit à Justic' locum Regis tenentibus utrum licitè procedere valeat in causa necne; qui si in causa illicita præsumptuosè processerit & indè convincatur, damna querenti restituere condemnabitur adhibita taxatione Justic' & gaolæ committetur donec pro voluntate Regis ab inde redimatur. § 9. Item frustra agit qui judicium prosequi nequit cum effectu. § 10. Judicia autem rata debent permanere & firma consistere & usque ad condignam satisfactionem inviolabiliter observari, ideoque in præmissis semper videndum est an Justic' efficax facere debeat judicium. § 11. Si autem deligatus sit & warantum non habuerit ab ordinario, quod coram eo actum fuerit nullius erit momenti quasi coram Judice non suo, quamvis tales adire debent summoniti, non est tamen eis parendum cum warantum non habuerint, nec etiam si warantum ostenderint ab ordinario non processum. § 12. Nec etiam ei parendum est ubi translata fuerit jurisdictio & cognitio ad alium, quia si quis diversis temporibus duos dederit Judices posteriorem dando videtur prohibuisse priori. § 13. Item nec est Judici parendum cum jurisdictionem extendat ultra fines mandati, ut si prætextu unius placiti cognoscere velit de aliis ad quæ non extenditur sua jurisdictio. § 14. Nec etiam ei qui jurisdictionem post judicium semel redditum prætextu primi waranti voluerit continuare, cum lata sententia sit ejus jurisdictio respirata, & cum semel officio tali functus fuerit. § 15. Item quandoque parend' est Judici ratione loci privilegiati, sicut de Civibus London vel Baronibus quinque portuum & hujusmodi qui extra loca privilegiata per regias concessiones super nullo intrinseco contractu debent conveniri; Persona autem Judicis ex sola suspicione recusari poterit, suspicio tamen multis con-

surgit

ſurgit ex cauſis, ut ſi Juſticiar' ſit conſanguineus petens homo ſubditus pasens affinis familiares vel commeſſalis ſit rei, vel narrator ſuus extiterit in cauſa illa & hujuſmodi, vel ſi actorem pulſaverit vel moleſtaverit vel convitia dixerit, quia ſubdelegatus ſi advocatum moleſtaverit contumeliis, pulſatione vel convitiis privandus eſt cingulo ſpoliandus quia patrimonio vel ultima animadverſione puniendus; Tutius eſt igitur ut ſuſpecti Judices amoveantur & eis ſubſtituantur non ſuſpecti, quia melius eſt in tempore occurrere, quàm poſt cauſam vulneratam remedium querere, & valdè meticuloſum eſt ſub Judice litigare qui damnificare nititur litigantem, quia triſtiſſimum fortè ſortiri poſſit eventum.

De Exceptionibus contra perſonam querentis in generali. CAP. 38.

CONſirmata ſiquidem Judicis juriſdictione conſequenter proponantur exceptiones ſi quæ fuerint contra perſonam ipſius petentis per quas repelli debeat ab agendo omnino vel non niſi poſt tempus omnino, ut ſi petens ſervus fuerit ipſius tenentis, vel ſi fuerit baſtardus, vel unquam ſeculo mortuus ſicut per habitum profeſſionis, vel ſi ſit à natura fatuus, vel ſi furioſus vel ſurdus & mutus, vel leproſus & à communione gentium ſeparatus, vel quia non competit ei actio cum ſit amotibilis religioſus, vel propter impedimentum feloniæ propriæ vel alicujus Anteceſſoris cujus hæres fuerit niſi poſt tempus ut ſi minor petierit in cauſa proprietatis & hoc propter defectum ſcientiæ cum non multum diſtet ab amente, vel propter dubium rei eventum, ut ſi quis in ſtatu dubiæ dignitatis aut corporis, & quo caſu remaneat placitum in ſuſpenſo donec de certitudine fortunæ conſtiterit cum ambigua ſint fata cauſarum corporis, ut ſi quis appellatus fuerit criminaliter de vita & membris, civiles cauſæ ipſum tangentes interim ſuſpendi debent donec ſe defenderit in criminali dignitatis; ut ſi Abbas, Prior vel alius à dignitate depoſitus ad tuitionem ſtatus ſui ad ſuperiorem appellaverit. § 2. Item ſuſpendatur actio per exceptionem excommunicationis, ut ſi tenens docuerit per literas Ordinarii ipſum petentem excommunicatum eſſe donec de abſolutione docuerit, quia ſi repellendus eſt à gentium communione corpore leproſus, ſic & anima leproſus cujus omnia facta illegitima fortè cenſentur. § 3. Competit etiam tenenti exceptio contra petentem cum ſolus petat quod cum alio petere deberet, ſicut unus vel una cohæredum, vel vir ſive uxor de re uxoria. § 4. Item ex omiſſione ſuperioris, ſicut de religioſis amotibilibus qui reſpondere non poterunt ſine Abbate vel Priore ſuo, nec Canonici ſine Decano, neque Rectores ſine Epiſcopo & patrono, nec fratres alicujus domus ſine Curatore, nec ſanctæ moniales quandoque nec ſorores ſine ſuis Curatoribus. § 5. Item competunt tenenti plures exceptiones ex perſona ſua propria ut inferiùs apparebit.

De Bastardiis. CAP. 39.

DIctum est superius de exceptionibus quæ competunt tenentibus contra personas petentium in generali, consequenter eas specialius volumus declarare. Competit autem exceptio tenenti contra petentem ex persona ipsius petentis peremptoria ut ab actione imperpetuum excludatur, eo quod nihil juris habeat cum sit bastardus. § 2. Præponi quidem solet bastardia aliquando cum adjectione causæ quare bastardus, & aliquando sine. Sed quia in tali responsione Episcoporum inveniebatur multotiens obscuritas & incertitudo propter causam non adjectam, provisum fuit quod in casu objectionis bastardiæ præcisè exprimeretur causa, vel pro indefenso haberetur exceptor. § 3. Causæ quidem sunt plures, ut si pater petentis nunquam desponsavit matrem ejus, vel si matrimonium inter partem & matrem ejus contractum fuit illegitimum, quia aliam uxorem habuit legitimam tempore contractus secundæ superstitem; Et in istis duobus casibus non habet Judex secularis cognitionem, quia ad ipsum non pertinet discussio utrum fuit ibi matrimonium vel non, nec quæ mulier fuit uxor sua legitima & quæ non. § 4. Sunt etiam aliæ causæ bastardiæ quarum cognitio ad curiam Christianitatis non est demandanda, ut si tenens excipiendo dicat petentem nihil juris habere quia bastardus pro eo quod natus fuit antequam pater suus matrem suam desponsavit, vel si dicat quod bastardus sit quia ab alio quàm à viro matris suæ progenitus; & si petens dicat contrarium licite poterit Justic' per patriam indè inquirere veritatem si partes ad hoc mutuum præbuerint consensum, quod si tenens voluerit indefensus impunè debet remanere, & si petens ad hoc assensum præbere voluerit, deneganda erit ei actio, & similiter si dicat quod legitimus sit, & hoc paratus sit probare quando & ubi debet, nisi tenentem contradicat expresse dicendo quod natus fuit in sponsalibus, & nihil pertinet ad Ordinarium de prioritate vel posterioritate inquirere nativitatis, non magis quam de temporis præscriptione si indè habeatur contentio. Sed ad Judicem secularem pertinet indè cognitio adeo licitè sicut inquirere poterit de dote mulieris utrum dotata fuerit ad ostium Ecclesiæ necne, & utrum sponsalia publica fuerint vel clandestina. Hæc quidem constitutio provisa fuit pro contrarietate legum & Canonum, quia quicunque nati sunt ante matrimonium, dum tamen matrimonium consequatur inter patrem & matrem, quoad gradus promotionis ad Ecclesiasticam dignitatem secundùm Canonem legitimi reputantur, quoad successionem verò in bona paterna secundum consuetudinem Angliæ illegitimi & bastardi. § 5. Provisum fuit etiam quod si causa bastardiæ opponatur nullam de hac dictione bastardiæ mentionem faciendo quod oppositio pro nulla habeatur; Et similiter si petens ad Cur' Christianitatis destinatus Cur' Reg' certificaverit generaliter super legitimitate & non super causa specialiter, quod extunc pro obscura Ordinarii responsione liceat Justiciar' Regis indè inquirere veritatem. § 6. Non autem omni competit exceptionem opponere bastardiæ vero cum hæredi competat

contra

contra eum qui se facit hæredem cum revera non sit, sive petens sit qui opponit sive tenens, & etiam illi, qui loco fuerit hæredis, & sicut dominus capitalis cum fuerit in possessione hæreditatis tanquam de escaeta sua pro defectu hæredis tenentis sui cum non sit qui petat nisi bastardus tantum, secus erit cum plures petierint, quia tunc pertinet ad dominum talis exceptio, quia quamvis competat contra hæredem non tamen ad dominum capitalem, & si dominus aliquem semel cognoverit ad hæredem, & terram ei reddiderit tanquam hæredi quamvis minimam partem & quamvis hæres revera non fuerit quia bastardus, ex pœnitentia tamen resilire non poterit quo minus totam recuperet hæreditatem, quia si postmodum voluerit, bastardiam objicere non audietur. § 7. Si autem uterque tam petens quam tenens bastardus fuerit, & petens bastardiam objecerit tenenti; si tenens replicando dixerit petentem esse bastardum, oportet petentem docere se esse legitimum, vel nihil capiet, quia melior est conditio possidentis: Et nota quod ad ipsum qui est extra seisinam in omni casu oportet probare bastardiam vel legitimationem, quia cum tenens objecerit exceptionem bastardiæ contra petentem, petens artatur ad probationem legitimationis, & quamvis tenens ad probationem bastardiæ processerit excipiendo, oportebit tamen petentem docere se esse legitimum replicando, vel cadet à causa, & cum tenente remanebit possessio. Si autem è converso à petente quod ipse est in seisina sicut hæres legitimus, oportebit tenentem replicare quod bastardus, & sic replicando probare bastardiam. Relinquitur igitur quod semper incumbit probatio ipsi petenti, quia tenens nunquam sequeretur probationem. § 8. Si autem contra minorem objiciatur bastardia & ipse in seisina fuerit, non procedet inquisitio super bastardia ante ætatem in foro Ecclesiastico, cum exceptio bastardiæ utrumque jus determinet. § 9. Et cum cognitio & inquisitio per objectionem merè pertineat ad diocesanum mandetur Ordinario quod inquisita veritate in Cur' Christianitatis certificet indè Justiciar', & interim remanebit loquela in Cur Reg' sine die, donec inquisitio retornetur. § 10. Judex verò Ecclesiasticus cum regium mandatum susceperit convocatis partibus si interesse voluerint, fiat diligens inquisitio per formam brevis si matrimonium sit vel non, & si matrimonium sit sed illegitimum, inquirend' est de legitimitate matrimonii & proprietate, & facta sic indè inquisitione statim remittatur Regi vel ejus Justiciar', & quia remissa inquisitione nihil superest nisi reddere judicium, non habebit locum post inquisitionem remissam visus terræ. Facta igitur inquisitione sicut dictum est ad Cur' Regis remissa, statim resummoneatur loquela quæ prius sopita est per tale breve. § 11. Rex vic' salutem. Summ',&c. per bonos, &c. B. tenentem quod sit, &c. auditurus Recordum & judicium suum de loquela quæ fuit in eadem Cur nostra inter A. petentem & B. tenentem de tanta terra cum pertinentiis in N. quam idem A. clamat in eadem Cur' nostra ut jus suum versus eundem B. & undè idem B. dixit quod prædictus A. nullum jus habuit in terra illa quia bastardus est, & ideò bastardus quia pater suus nunquam desponsavit matrem suam, vel alia tali de causa, & undè inquisitio bastardiæ transmissa fuit ad Curiam Christianitatis faciend'

Nota.

ciend' & habeas, &c. § 12. Ad quem diem uterque poterit essoniari, & si tenens defaltam fecerit & legitimè summonitus fuerit, capiatur terra in manum Regis per defaltam per parvum Cape, & summoniatur iterum quod sit ad alium diem auditurus judicium suum, &c. & sive venerit sive non, judicabitur pro petente sive inquisitio fecerit pro ipso sive contra ipsum. § 13. Cum autem quis legitimitatem suam sic in foro probaverit Ecclesiastico & antequam ad Cur' Regis redierit decesserit, & talis hæredem habuerit de corpore suo legitimè procreatum, talis habendus est pro legitimo, & aliis præferendus in hæreditatem, & ex tali inquisitione erit judicium reddend' pro hær defuncti quod pro ipso reddetur si vixisset. § 14. Si autem post mortem alicujus opponatur bastardia, non allocabitur; cum defunctus ad talem exceptionem respondere non poterit. § 15. Inquiri tamen poterit per patriam utrum talis fuit necne, secundum quod inquiri poterit utrum talis tenuerit liberè vel in villenagio, licet de statu talis inquiri non possit post mortem.

De petente fatuo, surdo, leproso, & furioso. CAP. 40.

COmpetit etiam tenenti exceptio ex persona petentis si fuerit furiosus vel non sanæ mentis, ita quod discernere nesciat, vel quod omnino nullam habeat discretionem; tales enim non multùm distant à brutis quæ sensu carent & ratione, nec valere debet quod cum talibus agatur durante furore; possunt tamen quidam dilucidis gaudere intervallis, & quod actum fuerit cum illis tali tempore ratum erit; Secus erit de hiis qui furorem habuerint perpetuum, quia in ipso furore adquirere non poterunt sicuti nec aliqui qui consentire nequeunt, & multo fortius nec alienare, neque aliud facere quod ad status sui cederet in detrimentum, tamen furor alienationem prius factam non perimit, & sicut multa impediunt contrahenda quæ non dirimunt contractum, ita sunt multa quæ impediunt promovendum quæ non dejiciunt jam promotum. Talibus igitur de necessitate dandi sunt Curatores & tutores per dominos feodorum ex consensu parentum & amicorum. § 2. Competit etiam exceptio tenenti propter defectum naturæ petentis, vel si naturaliter à nativitate surdus fuerit aut mutus, tales enim adquirere non poterunt nec alienare, quia non consentire, quod non est de tardè mutis vel surdis, quibus dandi sunt Curatores & tutores cum ex casu talis ægritudinis de rebus propriis disponere nesciverint, & tales per procuratores adquirere poterunt, sed non legitimè alienare. § 3. Competit etiam ei exceptio propter lepram manifestam, ut si petens leprosus fuerit & tam deformis quod à communione gentium merito debet separari; talis vero morbus petentem repellit ab agendo hæreditatem, jam habitam non adimit, sed habendam. § 4. Competit etiam tenenti exceptio contra petentem ex persona sua propter confessionem in Cur' factam de statu servili sive liber fuerit sive servus, ut si petens cognoverit se fuisse villanum tenentis, vel aliàs inde convictus fuerit, & quo casu semper obstabit petenti.

De

De Exceptione Feloniæ. CAP. 41.

COmpetit etiam exceptio contra petentem ex persona ipsius petentis peremptoria ex crimine & delicto petentis vel Antecessoris sui cujus hæres ipse est subsecuto judicio, ut si morti fuerit aliquo judicio condemnatus vel ad id quod tantundem valeat, vel si utlagatus fuerit, vel si terram abjuraverit, si postea redierit quamvis restitutus ad pacem & petierit, semper obstabit judicium feloniæ dum tamen ritè precesserit judicium suis meritis exigentibus, quod tamen non est in illegitimis judiciis ubi non processerit causà, quia destructa causa destruitur & causatum.

De habitu Religionis assumpto. CAP. 42.

COmpetit etiam ei exceptio propter mortem Civilem, ut si quis se religioni contulerit, & ad seculum reversus hæreditatem petierit, & quo casu ab agendo repellitur cum semel sponte renunciaverit omnibus quæ seculi sunt, habita tamen distinctione utrum habitum professionis assumpserit vel non, & unde habita indè contentione inter partes, demandanda erit inquisitio ad Cur̄ Christianitatis, & secundum Retornum Ordinarii procedendum erit ad judicium.

De Exceptione de minori ætate. CAP. 43.

MInor autem in omni ætate seisinam propriam petere poterit, præterea petere poterit seisinam Antecessoris sui in jure possessorio. § 2. Petere autem non poterit per breve de recto feodum militare antequam vicesimum secundum annum ætatis suæ attigerit, nec liberum socagium antequam 14 annos plenè compleverit per breve de recto, & licet tunc recuperaverit, inde tamen antequam fuerit 21 ann' non tenebitur respondere majori neque minori ex præmissis tenenti poterit ope exceptionis subveniri. Minor autem respondere tenetur in omni casu & in utroque jure tam majori quam minori de tenemento de quo fuerit feoffatus. In jure tamen proprietatis si fuerit implacitatus per breve de recto dilatione essonii de malo lecti gaudere non debet, eo quod attornatum facere non poterit non magis in Cur' quam coram quatuor militibus visoribus suæ infirmitatis facere responsalem. § 3. Respondebit etiam non obstante minori ætate sua de facto proprio & injuria sua propria in omni casu, dum tamen civiliter contra eum agatur, etiam in criminalibus. § 4. Item mulieri dotem petenti propter favorem viduarum excepto casu taciturnitatis mulieris donec hæreditas post mortem tenentis descenderit ad minorem, antequam mulier dotem petierit, quia vigilantibus tantùm subveniunt jura, & dissimulatio trahitur ad consensum. § 5. Respondebit etiam si res de qua agitur ipsum Regem tangat. Salvo tamen jure minoris & cujuslibet. § 6. Item ad finem factum, sed in placito

warantiæ

warantiæ quamvis warantizaverit ante plenam ætatem non respondebit ad placitum principale. § 7. Item in jure possessorio ubique de omni de quo Antecessor minoris non obiit seisitus in dominico ut de feodo, vice versa de nullo respondebit de quo Antecessor suus obiit seisitus in dominico suo ut de feodo, præterquam de tenemento de quo Antecessor ejus viciosum ingressum habuerit per disseisinam vel hujusmodi, non tamen quoad pœnam sed quoad restitutionem si contra ipsum agatur per tale breve de ingressu. § 8. Seisiri tamen poterit quis de re corporali in quam jus habuit sive de ipso jure quoad rem vel ad personam pertinuerit, & unde si de re corporali agatur & Antecessor suus fuerit seisitus anno & die quo fuit vivus & mortuus locum habet quod dicitur. Si autem disseisitus obiit de ipso jure licet ante mortem non fuerit usus, dum tamen illud non omnino amiserit per non usum, tunc non respondebit hæres ante suam ætatem. Si autem plures usum habuerunt qui sunt participes quasi unum corpus habentes pro jure unitatis, si unus sit infra ætatem, illi qui plenæ sunt ætatis exceptionem dilatoriam habebunt ex persona minoris quousque omnes plenam habuerint ætatem. § 9. Vir plenæ ætatis existens aliquam ducat in uxorem quæ nondum fuerit plenæ ætatis cum aliqua hæreditate, postmodum implacitati fuerint de re uxoria remanebit loquela sine die propter minorem ætatem, & uxor plenæ ætatis propter minorem ætatem viri, nisi de re viri fuerit contentio, sive nupta fuerit ante impetrationem brevis vel post, non magis quam si mulier se nuberit villano, cum fraus nemini debet patrocinari. Si autem vir & uxor simul hæreditatem uxoriam petierint ac uxor infra ætatem fuerit, si ante breve impetratum contraxerint expectabitur ætas uxoris, & si post, cadit breve si tenens voluerit. Si autem minor petat contra minorem in causa proprietatis, nec minor petere poterit nec tenens minori tenebitur respondere ante plenam ætatem utriusque. § 10. Cum autem minori opposita fuerit exceptio minoris ætatis, & in contrarium replicatum quia cum plures apparent seniores quam sunt, ideò in tali casu non erit alia probatio facienda nec admittenda quam per parentes & vicinos, nisi parentes fuerint ex adversa parte calumniati.

De Resummonitionibus. CAP. 44.

QUoniam verò multis de causis & rationibus possunt loquelæ proponi sine die in Curia Reg' & cessantibus vel terminatis causis illis necesse sit loquelas illas resummonire, ideò de resummonitionibus intentemus. § 2. Rex vic' salutem. Summ', &c. A. quod sit, &c. auditurus Recordum & judicium suum de loquela quæ fuit in eadem curia nostra inter B. petentem & C. ten̄ de tanto terræ cum pertinentiis in N. & unde idem C. qui tenens est vocavit inde ad warantum prædictum A. ita quod loquela illa tunc sit in eodem statu quo fuit quando remansit sine die pro eo quod idem A. tunc fuit infra ætatem, & qui nunc habet ætatem ut dicitur, Et sum',&c. prædictum A. quod tunc sit ibi ad warantizand' prædicto

dicto C. tantam terram, vel ad ostendend' quare warantizare non debeat. Et habeas, &c. § 3. Si autem loquela remanserit sine die propter iter Justiciar' tunc sic Sum', &c. ita quod loquela, &c. sine die propter iter Justiciar' per singulos Comit ; vel sic, quando posita fuit coram Justiciar' ad primas assisas cum in partes illas venissent ad quas nondum tenuerit sicut provisum fuit. § 4. Et si remanserit sine die propter servicium Regis, tunc sic, ita quod loquela tunc sit in eodem statu in quo fuit quando remansit sine eo die quod profectus talis fuit in partes transmarinas in servicio nostro vel alibi per præceptum nostrum, & de quibus idem talis reversus est ut dicitur. § 5. Si autem in peregrinatione generali ad terram sanctam, tunc sic, ita quòd loquela, &c. fuit die illo quo præd' talis profectus fuit in terr sanctam propter generale passagium Crucesignatorum, de qua reversus est ut dicitur. § 6. Si autem placit dotis in Cur Reg' remanserit sine die propter inquisitionem transmissam ad Cur Christianitatis, tunc sic, Sum'. A. ꝗ sit, &c. ad respondend' B. mulieri quare non reddidit ei dotem suam quæ eam contingit de libero ten' ꝗ fuit talis quondam viri sui, &c. ita ꝗ loquela, &c. fuit die eo quo prædictus A. objecit eidem B. quod non debuit inde dotem habere, eo quod prædictus talis vir suus per quem dotem petit vivus fuit, & unde prædict' B. coram prædictis Justiciariis nostris sectam sufficientem produxit quod mortuus est ; vel sic, ita quod loquela illa transmissa fuit ad Cur' Christianitatis eo quòd prædictus A. obierit eidem B. quod non debuit inde dotem habere quia nunquam fuit tali viro suo desponsata, vel legitimo matrimonio copulata. § 7. In generali autem sic, Rex vic' salutem. Præcipimus tibi quod sine dilatione proclam' facias in Com' tuo ubique quod omnia placita quæ per brevia vel præcepta Justiciar' nostrorum de Banco actannata fuerunt apud Westm' in Octab' sancti Hillarii proximo præterito & Pasch' prox' sequen, & quæ per præceptum nostrum posita fuerunt sine die occasione itineris talis, vel occasione exercitus nostri de tali loco sint cor Justiciar' nostris, &c. ad Westm' ad talem terminum in eodem statu in quo fuerunt quando remanserunt sine die per præceptum nostrum occasione prædicta tam de essoniis quàm de omnibus aliis circumstantiis eorundem placitorum, alia verò quæ per præceptum nostrum vel prædictorum Justiciar' nostrorum posita fuerunt post certum diem ad talem terminum apud talem locum & talem rededucantur & teneantur sicut posita fuerunt. Et habeas ibi hoc breve & omnia brevia quæ penes te habes tangentia prædicta placita.

De Exceptione ex persona petentis. C A P. 45.

COmpetit etiam exceptio tenenti dilatoria ex persona petentis eo quod separatus est à communione gentium propter lepram animæ, ut si specialiter fuerit excommunicatus ; excommunicato enim interdicitur omnis actus legitimus ita quod agere non potest nec aliquem convenire, ipse tamen ab aliis conveniri poterit, ne conditio sua propter hujusmodi lepram melioretur ; Veruntamen quicunq; hujusmodi exceptiones

nes proposuerit, oportebit ipsum habere probationem, sicut literas patentes Ordinarii hoc testificantes quod nominatim sit excommunicatus & ex certa causa; Actiones tamen ante tempus excommunicationis institutæ propterea non cadent. § 2. Petens tamen replicando docere poterit de absolutione, vel dicere poterit quod excommunicatio illa nulla fuerit, vel injusta, quia à tali sententia ritè fuit appellatum; Et si de absolutione replicaverit oportebit ipsum hoc docere per literas Ordinarii antequam locum habeat hujusmodi replicatio; & si quis ritè excommunicatus in excommunicatione pertinaciter perseveravit per 40 dies claves Ecclesiæ contemnendo ad mandatum Episcopi ut gladius adjuvet gladium præcipiet Rex vic' quod talem capiat & in prisona irreplegiabiliter retineat, donec per mandatum Episcopi constiterit Regi quod Ecclesiæ satisfecerit, nisi fraus intervenerit, & quo casu præcipietur vic' quod si captus & detentus securitatem sibi invenerit & cautionem præstiterit de parendo juri & satisfaciendo Ecclesiæ, quod adeat Episcopum & ipsum talem deliberari procuret, qui si voluerit, tunc ipsum per talem cautionem deliberet.

De Exceptione mutationis Status. CAP. 46.

STatus quidem hominis dubius esse poterit multipliciter tum propter dignitatis mutationem, ut si quis in aliqua dignitate constitutus electus fuerit ad aliam dignitatem vel postulatus, qui cum consensum præbuerit pendet status ejus donec fuerit confirmatus,& interim non erit ratum quod cum eo actum fuerit; Et idem dici poterit de deposito à dignitate pendente appellatione si appellaverit, quia si depositio teneat omnia quæ cum eo acta fuerunt pendente lite appellationis erunt revocanda ut sic essent judicia delusoria, quod esse non debet: Et poterit etiam status esse dubius propter causam criminalem alicui impositam ubi vertitur periculum vitæ vel membrorum, & quo casu in civili actione respondere non tenetur, nec ei respondebitur antequam se indè defenderit, quia si prius in causa civili ageretur ipso de felonia convicto retrotrahendum esset tempus omissi criminis, & sic quicquid actum fuerit medio tempore inter convictionem & crimen commissum erit revocand', & ita cum talibus agi non poterit donec status confirmetur.

De Exceptione Spoliationis. CAP. 47.

COmpetit etiam exceptio tenenti ex persona ipsius petentis si tenens spoliatus fuerit à petente & non restitutus in toto vel in parte, non respondebit tenens ante plenam restitutionem, quia non est nudi contendere nec inermes inimicis non opponere.

De

De Exceptione ex omissione participis. C A P. 48.

COmpetit etiam tenenti exceptio ex persona alterius quam petentis cum petens sine alio per se agere non poterit, cum alius tantum juris habeat quam ipse petens, ut sunt participes quorum nullus jus habet separatim cum jus commune sit in personis omnium simul, & sicut vir & uxor qui conjungantur in jure de re uxoria, vel etiam quia petens actionem non habet quod rem possit deducere in judicium sed alius sicut religiosi amotibiles qui agere non poterunt sed eorum Abbates, Priores, Episcopi & hujusmodi; vel etiam petere non poterit cum alius majus jus habeat petendi quam hær̃ propinquior. § 2. Sunt autem plures participes quasi unum corpus in eo quod unum jus habent, & oportet quod corpus sit integrum & quod in nulla parte sit defectus; & sunt participes quasi partes capientes, quia res inter eos est communis ratione plurium personarum, vel ratione vicinitatis, vel ratione ipsius rei quæ partibilis est, & non ratione personarum quæ non sunt sicut unus hæres & unum corpus sed diversi hæredes nisi tenementum sit partibile inter plures cohæredes qui descendant de eodem stipite, & semper dividi solet ab antiquo. § 3. Possunt etiam plures participes esse & hæredes petentes & plures tenentes cohæredes & participes vel unus petens sine participe & plures tenentes participes vel plures cohæredes, quia non tenent in proparte neque in recompensatione pro parte sua, & plur̃ esse possunt participes petentis vel unus sine participe, vel plur' tenentes qui omnino sunt extranei & non hæredes sed participes ut vicini, & possunt esse plures petentes participes vel unus sine participe petente petere poterit totam hæreditatem sive ibi sint plura maneria, sive non, tam versus plures participes vel extraneas personas quam versus unum vel duos participes & unum extraneum non participem totam hæreditatem vel ejus partem tenentem. § 4 Cum autem plur' sint participes cohæredes vel participes non hæredes petentes oportet quod omnes qui petunt & qui capere debeant de re petita nominentur in brevi, unde cum dicat tenens excipiendo quod non tenetur petenti respondere quia participem habet qui tantum juris habet in re petita quantum & ipse, videlicet A. replicari poterit à petente, quod omnes qui jus clamare poterunt vel partem juris in re petita nominati sunt in brevi, & quod nihil juris pertinet ad A. quod particeps esse possit quia bastardus est vel de servo & libera progenitus in matrimonio, vel de libero & nativa extra matrimonium, vel quia servo copulata, vel quia ipsa A. tenet quandam partem & maritagium de communi hæreditate, nec vult illud in partem ponere quin partem suam per totum habeat; Vel dicere poterit quod nihil juris clamare poterit tanquam particeps, eò quòd est ad fidem Regis Franciæ, quia ablienigenæ repelli debent in Anglia ab agendo donec fuerint ad fidem Regis Angliæ, quia Anglici in Francia ad successionem non admittuntur donec fuerint ad fidem Regis Franciæ. § 5. Item

dicere poterit replicando quod non est necesse quod in brevi nominetur quia feloniam fecit ita quod particeps esse non potest, vel quia mortuus est sine hærede, vel si hæredem habuerit mortuus est, vel quia religioni se transtulit, vel quia in prisona, vel quia remisit cohæredibus suis totum jus & clamium quod inde habuit, vel quia furiosus vel leprosus vel hujusmodi, & in omnibus istis casibus detur alius dies quia nondum constat replicationes esse veras, & summoniatur particeps quòd sit ibi ad ostendendum quid juris clamat cum aliis participibus de tali hæreditate; Cum autem omnes nominati sunt in brevi & unus moriatur, cadit breve; sed cum plures sint cohæredes & participes & unus vel plures petant versus unum participem tenentem vel plures, si plures petent non est necesse omnes in uno brevi nominare, quia diversæ sunt actiones cum quibus petere poterit partem suam quæ eum contingit sine alio participe ad similitudinem visus petiti inter participes, quia si unus visum petierit dicere poterit deforcians quod visum habere non debet quia nulla certa pars ei accidere debet de communi hæreditate. § 6. Contingit autem quandoque inter participes quod divisa sit hæreditas, & cum unus partem suam habuerit à possessione sua donationem fecit sub aliqua conditione per quam post tempus esse poterit, quod ad ipsum sit reversura. Et cum per conditionem ad ipsum reverti debeat alius injustè se ponit in seisinam, & quo casu si tenens ei objiciat quod participem habuerit non allocabitur, quia postquam particeps in seisina fuit & terram de facto suo incumbravit, nihil de hoc ad hæredes vel participes non magis de damno quam de lucro. § 7. Sunt etiam participes & capaces qui tenent in communi rem aliquam, non tamen ut cohæredes, ut si de communi consensu aliquando vastitatem pro communi utilitate deliquerint ad pasturam vel ad alium usum, si unus petat versus extraneum deforciatorem locum habebit exceptio quod solus petere non debet neque respondere.

De Exceptione ex persona propria. CAP. 49.

COmpetit etiam exceptio tenenti contra petentem ex persona sua propria quod solus non debet respondere de jure uxoris suæ, quia quamvis vir & uxor sunt quasi unica persona quia caro una & sanguis unus, res tamen propriè est ipsius uxoris & vir tantum custos cum sit caput mulieris, & in quo casu vir sine uxore non respondebit, nec è converso. § 2. Item nec servus de villenagio, nec usufructuarius de ten' ad terminum annorum vel ad voluntatem sibi dimiss', nec custos de ten' minoris in custodia sua existentis, nec minor ante ætatem, nec monachus sine Abbate, nec frater sine Curatore, nec Canonicus sine decano, & capitulo, nec Rector Ecclesiæ sine Episcopo & patrono, nec procurator de re domini sui. § 3. Cum autem tenens exceperit quod sine participibus non tenetur respondere, & hæreditas partita fuerit, & tenens totam terram petitam teneat sic partitam, & in proparte, non est necesse quod

quod omnes participes nominentur, quia si in brevi nominentur qui nihil tenent cadet breve. Tales enim petenti sine participibus non tenentur respondere, quia si quis solus responderet & amitteret erga participes suos ad damnum suum restaurandum in aliqua contributione facienda regressum non haberet. § 4. Cum autem tenens solus respondere noluerit cum participes habuerit, tunc detur alius dies & præcipiatur vic' quod summoniat participes ad respondendum petenti simul cum tenente. Qui quidem si venerint respondeant si voluerint. Si autem non venerint, vel venerint & respondere noluerint, nihilominus procedat loquela, & quo casu si tenens amiserit, participes facient tenenti escambium pro virilibus portionibus; si autem hæreditas communis partita non sit, oportet de necessitate quod omnes nominentur in brevi, alioquin cadet breve.

De Exceptione ad Actionem. C A P. 50.

SI autem non sit exceptio quæ competat tenenti contra petentem ex persona petentis neque ex persona sua propria firmato sic judicio ex persona Judicis petentis & ten', cum omnis perfectio in trinitate consistat; vidend' erit an sit aliqua exceptio quæ competat petenti ex ipso brevi in quo virtus continetur actionis, quo audito perpendi poterit à tenente an ex ipso competere possit ei exceptio vel non, multa enim contra breve objici poterunt, oportet quidem quod ubique sit actioni conveniens ne fiat variatio inter breve & actionis ostensionem in narratione Advocati. § 2. Oportet ergo quod in suo casu legitimè sit conceptum eo quod non sit malè impetratum tam in substantia quam in ordine, & etiam quod non sit abrasum nec abolitum, nec in aliqua parte sui viciatum, nec cancellatum. § 3. Item quod nullam in se contineat falsitatem, nec sigillum videlicet per industriam Falsarii non apponatur. § 4. Et si tale breve in manus clerici inveniatur pœnam degradationis cum perpetua infamia sustinebit cum crimen læsæ majestatis commiserit, nisi warantizetur. Et si in man' laici, ultimo punietur supplicio, uxor tamen sive conscia sceleris sive non, liberabitur cum vigeat sub virga viri. § 5. Oportet etiam quod nullum contineat errorem neque falsam suggestionem, sicut in brevibus de dote unde nihil habet & de ingressu frequenter poterit reperiri. Cadere autem poterit breve actione manente, & cum unus plures actiones proposuerit per unum breve, cadere poterit breve quantum ad unicam actionem & stare quoad aliam ratione diversarum personarum tenentium & rerum. § 6. Item cadet breve per mortem vel depositionem petentis, & eodem modo per mortem tenentis, & eodem modo per mortem unius participum tenentium in communi. § 7. Item cadit pro plus petitione. Et eodem modo si tempore impetrationis nulla subfuit causa impetrandi; Et eodem modo si tenens nihil tenuit die impetrationis brevis; Et eodem modo si aliud breve de eadem natura vel altiori fuerit inter easdem partes dependens à quo nondum recesserint. Et si unum breve fuerit super possessione, & aliud super proprietate,

breve super ipso jure in pendenti remanebit donec discussum fuerit super possessione. § 8. Item cadet breve propter judicium contrarium, & etiam si aliàs se retraxerit, vel si reddiderit vel quietum clamaverit & hujusmodi: Et eodem modo propter temporis præscriptionem. § 9. Competit etiam exceptio tenenti cont̃ petentem ex ipsa re quæ petitur, ut si corporalis fuerit & immobilis, sicut terra, ten' vel redditus qui proveniunt ex ten'; Oportet inprimis quod petens designet rei quantitatem & qualitatem, ut sciat̃ utrum terra petatur vel redditus cum pertinentiis vel sine, & utrum plus vel minus, quia certam rem oportebit deducere in judicio ne contingat judicium fieri injustum vel obscurum. § 10. De re namque incerta in judicium deducta certa proferri non poterit sententia. § 11. Cum autem petens intentionem suam sic formaverit æstimare debet de ten' an totum teneat quod petitur vel non nisi partem, vel omnino nihil. Et si totum teneat adhuc refert utrum totum teneat nomine proprio vel alieno ut in custodia, vel donec ad voluntatem vel ad terminum annorum, vel in villenagium & hujusmodi, & sic declinet breve cum alienum jus deducere non possit in judicium. § 12. Et eodem modo si nomine tenuerit proprio ad terminum vitæ tantùm. Si autem quoddam totum petatur absque ulla exceptione responderi poterit quod totum non tenet cum talis indè teneat tantum quamvis minimam partem, & unde nihil habet, nec in dominico, nec in servicio, nec in eleemosyna, nec in advocaria, cum petens contrarium docuerit per inquisitionem, cadit breve. Replicare tamen poterit petens quod non habet necesse excipere partem illam cum non sit de pertinentiis illius totius sed talis alterius, & ad alium feodum semper pertinuit, & unde ipse nihil clamat, & si quandoque esset de pertinentiis illius totius, capitalis dominus suus qui inde eum feoffavit partem illam alienavit antequam Antecessorem suum cujus seisinam ipse petit feoffaret, & ipse nihil aliud petit nisi quod Antecessor suus habuit anno & die quo feoffatus fuit cum post feoffamentum illud nihil inde translatum fuit vel alienatum. § 13. Item cadet breve cum res petatur in dominico cum tenens nihil tenuerit nisi in dominico & inde receperit servicium. Et similiter nisi aliquam partem tenuerit in dominico & aliquam partem in servicio cum totum petatur in dominico. Et eodem modo si nihil teneat.

De Manerio & mansionibus. CAP. 51.

INter mansionem autem villam, & maner' est differentia, quia mansio esse poterit constructa ex una domo vel pluribus & sic dicitur habitatio una & sola cum nulli sit vicina. Si autem alii mansioni fuerit vicinata ideo propter hoc erit villa. § 2. Villa verò ex pluribus mansionibus est vicinata & villetta ex pluribus vicinis: manerium autem fieri potest ex pluribus villis vel ex una, plures enim villæ esse possunt in corpore unius manerii sicut & una. § 3. Ad unam verò mansionem plura poterunt

pertinere

pertinere tenementa, & tenementorum genera pluribus & diversis nominibus specificata quæ cum ad mansionem pertineant non poterint dici quod fuit in tali villa specificata denominatione mansionis. Sed mansio & ten' simul esse poterunt in alia villa ex pluribus mansionibus vicinata. Maner' autem & villa uno nomine possunt nominari cum non fuerit nisi unica villa in manerio & tenementa tali manerio adjacentia erunt in tali villa & etiam in tali manerio cum villa denominetur à manerio, vel è converso; Et sic possunt plura maneria esse in patria una & plures villæ, & cum ten' & agri ad unum manerium sint limitati vel ad unam villam, non possunt dici quod sint in manerio alio, sive in alia villa, cum limitati sunt fines agrorum, & cum plures sint villæ in uno manerio, poterit res petita esse in una earum vel in diversis. Et si in diversis quamvis specificetur quid vel quantum petitur in una & quantum in alia, utraque tamen erit in uno manerio & uno corpore manerii, sed non è converso, vel quicquid sit in manerio sit in qualitate, villa enim non continet manerium quamvis è converso; poterit etiam esse cum plures sint villæ in uno manerio diversis nominibus specificatæ, quod totum manerium nominatur à nomine unius villæ, & unde aliud est dicere in tali villa, & aliud, in tali manerio. Et idem specificato nomine manerii obscura erit petitio & nulla, nisi specificatum fuerit nomen villæ in qua ten' petitum fuerit, si alia fuerit villa & ab illa diversa, de qua maner' nomen assumpsit. § 4. Si autem res petita fuerit in villa de qua nominatur manerium rectè petitur si fiat respectus ad denominationem, pro specificatione tamen villæ & non manerii quamvis villa illa sit in manerio eodem,quia si habetur respectus ad nomen manerii tantum, nulla erit specificatio cum plures aliæ sunt villæ in eodem manerio. Sed ea quæ dicta sunt de villis non intelligantur de parochiis, cum plures parochiæ esse possunt in una villa.

De semiplena Jurisdictione. CAP. 52.

PRoponenti autem intentionem suam minus plenè vel dubiè non erit respondend', quia non refert an quis omnino intentionem suam non proponat vel obscurè, vel non plenè, vel dubiè, quia cum quis agere voluerit & intentionem suam proposuerit & non doceat quo jure petat, non erit audiendus quia si tantum dicat, Peto talem rem ut jus meum, non sufficit nisi incontinenti adjiciat de jure suo narrando de seisina sua vel alicujus Antecessoris sui; & quamvis de jure doceat, non valebit adhuc nisi probationem obtulerit, quia nihil probanti denegetur actio, & sicut actiones insufficientes repellendæ sunt, ita & responsiones, & exceptiones.

De Exceptione ratione taciturnitatis. CAP. 53.

EXcipere etiam poterit tenens ex taciturnitate petentis vel alicujus Antecessor sui,ut si subticuerint cum viderint de jure suo litigari, vel finalem concordiam facere, & clamium suum infra annum & diem non apposuerint, cum

cum is cujus interfuit dixisse debuit palam in Cur' sic, Appono clamium meum tali liti vel concordiæ. Et si duellum fuerit vadiatum dicere potuit quod clamium apponit tali liti, quia non posuit jus suum in clamium petentis nec in defensionem tenentis. Et si clamium non apposuerit sufficit tamen si ipse vel Antecessor suus faciat quod tantumdem valeat, & si placitum moverint tenenti vel fecerint rem esse litigiosam; quia sicut plus est facto appellare quam verbo, ita plus est clamium apponere facto quam verbo.

De Excusationibus. CAP. 54.

EXcusatur autem ille cujus interfuerit quod clamium infra annum & diem non apposuerit multis modis, ut si fuit infra ætatem tempore quo finis fuit levatus, vel furiosus, vel mente captus & non sanæ mentis, vel Idiotus, vel surdus, vel mutus, vel si detentus fuerit in prisona vel ægritudine quod venire non potuit, vel si fuerit uxor alicujus viri si fuerit per ipsum virum impedita quod non potuit. § 2. Excusatur etiam propter falsitatem intervenientem ex suggestione impetrantis, ut si quis dicat per breve de warantia cartæ se fuisse in seisina cum nullam omnino seisinam habeat tempore confectionis chirographi. § 3. Excusatur etiam si toto tempore litigii fuit querens ultra mare & toto anno sequenti & etiam ubi finis fuerit factus de ten' quod alius tenuit vel de maritagio uxoris quamvis expresse consenserit. § 4. Excusatur etiam quis quod clamium non apposuerit per servicium Regis quod nulli debet esse damnosum, dum tamen docuerit quod venire non potuit, ut si occupatus fuit per custodiam castri, vel alio modo in servicio suo detentus & impeditus. § 5. Item placitum motum a querente vel ejus Antecessore ante finem versus tenentem excusat absentiam querentis. § 6. Notandum tamen quod non excusatur quis de clamio suo non apposito infra annum & diem, si pars adversa docere possit quod per totum annum fuit querens in Anglia infra quatuor maria plenæ ætatis vel sanæ mentis & sui juris, & clamium suum apponere noluit, si convincatur quod venire noluit neque mittere cum potuit, non excusatur, quia amicus in hoc casu clamium apponere potuit, si ille cujus interest venire non possit.

De tempore Præscripto. CAP. 55.

COmpetit etiam tenenti exceptio ex præscriptione temporis & etiam ex pluralitate petentium de una & eadem re. § 2. Præferri enim debet is qui prius impetravit, & etiam prius super possessione quam super proprietate. § 3. Item dicere poterit tenens quod super jure quod petens petit respondere non poterit, quia nihil clamat in ten' petito nisi liberum teñ ad terminum vitæ suæ tantum secundum legem Angliæ. § 4. Lex quidem Angl' est ut si quis uxorem hæreditatem habentem duxerit vel aliam terram habuerit in feodo ratione maritagii vel alia causa donationis quod feodum habeat & liberum teñ si liberos inter se habuerint ex justis

Nota.

nuptiis

nuptiis procreatos, si ipsa præmoriatur remanebit viro terra mulieris tota vita ipsius viri sive superstites fuerint liberi sive mortui, dum tamen sonum aut vocem emiserint aut clamorem qui audiatur inter quatuor parietes, si hoc probetur. § 5. Lex tamen ista ad secundos viros nullo modo extenditur, sed quod palam inhibetur per statutum. § 6. Cum igitur talis vir implacitatus fuerit, & exceperit ut superius, & replicatum fuerit ex adverso quod nullum talem procreavit, qui vocem emisit, oportet tenentem probare per sectam sufficientem propriis auribus clamorem & vocem audientem cum locum non habeat inquisitio per patriam qui veredictum indè proferat ex relatu aliorum, & omnes de secta oportebit de loco, hora & circumstantiis diligentissimè examinare propter favorem veri hæredis, & quamvis vocem emisit non tamen sufficit nisi baptizatus fuerit & Christianus effectus, & cum secta inventa fuerit sufficiens quæ pro tenente dixerit pro ipso judicabitur. § 7. Et non solum ten̄ habebit ad terminum vitæ suæ, verumetiam quicquid acciderit in custodiis, releviis & hujusmodi serviciis. Nihil amplius indè clamare poterunt hujusmodi viri nisi id quod in vita uxoris tenuerunt. Et quod dicitur de auditu clamoris, inventum fuit & provisum pro fraude obstetricum protestantium partum vivum nasci quandoque cum mortuus extitit quandoque in utero matris vel in ipso partu. Nec obstat de surdo & muto,

Nam dicunt *e* vel *a* quotquot nascuntur ab *Eva.*

Et si partus fraudulenter supponatur, hoc probato pro petente judicabitur. Et eodem modo si partus ad monstrum declinaverit quamvis rugitum emisit cum clamorem emittere non poterit. Et eodem modo si partus convincatur ad bastardum. Et eodem modo si tenens non fuit sponsus illius mulieris legitimus. Et eodem modo si convincatur quod machinatus fuit in mortem mulieris. Et eodem modo si terram petitam non tenuit in vita uxoris, vel quia non fuit hær̄ uxoris. Et eodem modo de terr̄ data ux' in maritagiū sub conditione, tacita vel expressa, ut si pueros non haberent, vel si haberent & deficerent, ꝙ terr̄ data reverteretur ad Donator̄. § 8. Cum autem Judex exceptionem coram ipso propositam noluerit allocare, provisum est quod excipiens exceptionem in scriptis redactam petat quod Justic' unus vel plures sigillum apponat in testimonium, & si unus noluerit apponat alius de societate. § 9. Et si forte ad querimoniam de facto Justic' factam venire faciat Rex Recordum coram eo & illa exceptio non inveniatur irrotulata, & querens præfatam Billam sigillatam ostenderit, mandetur Justiciariis quod sit ad certum diem ad cognosc' vel dedicend' factum illud. Et si Justic' factum illud cognoverit esse suum, procedant ad judicium secundum illam exceptionem prout admittenda esset vel cassanda.

Neptis ex sorore avunculi ex eodem patre & eadem matre & nepos ex fratre ejusdem ex eodem sed diversa matre tulerunt assisam mortis Antecessoris versus dominum capitalem. § 10. Neptis scilicet ex sorore de morte avunculi, & nepos ex fratre de morte ejusdem petierunt per assisam *Casus.* *Quæstio super eodem.*

quandam

quandam terram de seisina Radulphi avunculi ipsorum. Nepos ex fratre dicebat se esse hæredem propinquiorem quia fuit filius fratris ipsius Radulphi & neptis ex sorore ipsius Radulphi non debet ei præferri quia ipse masculus & hæres masculi,& ipsa neptis fœmina & proveniens ex fœmina,& ideò ipse hæres propinquior. § 11. Ad quod responsum fuit ex parte neptis quod nepos non potuit esse hæres propinquior qui idem nepos fuit filius fratris ipsius Radulphi, sed pater ipsius nepotis & prædictus Robertus non fuerunt fratres de uno patre & una matre sed de uno patre & diversa matre. Et quia mater ipsius neptis & ille Radulphus fuerunt ex uno patre & una matre & terra petita fuit perquisitum ipsius Radulphi & non hæreditas descendens ab aliquo Antecessore. § 12. Et quia Radulphus hoc dedici non potuit, Consideratum fuit quod neptis fuit propinquior hæres quia provenit ex sorore ipsius Radulphi de eodem patre & de eadem matre, & nepos quamvis ex fratre masculo & ex masculo hæres remotior, quia ex diversa matre. § 13. Aliud fortè dicend' erit de hæreditate descendente secundùm quosdam. § 14. Idem dici poterit de hæreditate si frater obierit seisitus quod soror de uno patre & eadem matre hæres propinquior de seisina fratris quam masculus si de altera uxore, & hoc ratione ventris.

Solutio.

Consideratio.

Fet assau' que al Comencement de chescun play que est pleede en la court le Roy, ou coe est de terre ou de trespas. Et pur come est adire adeprimes de play le terre que peut estre pleede en qatre maneres. Ou come est de fee & de demeyne & de droit, Ou de fee & de droit & nyent de demeyne,Ou de fee & de demeyne & nyent de droit,ou de demeyne & nyent de fee ne de droit. § 15. De ceus que sunt de fee & de demeyne & de droit est adire adeprimes sicome del bref de dreyt a demaunder terre pree pasture boys marreys ou avoweson de egglise en demeyne en countant de la seisine son Auncestre, ou de sa seysine demeyne en totes ses maneres sicome del bref de entree & de escheete & autres solonc totes leur maneres & adeprimes de ceus que sunt comuns as uns brefs & nyent as autres. § 16. Ala primere jornee est cõmunalment al Defendant soi essoner de mal de venne & le demaundaunt apparra ou il se fra assoner si il voet per bon assoneor qar bon assoneor peut ataunt fere a chescun jour come Attornee fors la ou le adversaire apiert, & voet pleeder qar il ne peut mye pleeder pur son seigneur; Mes si lautre se fet assoneer,il peut prendre le jour pur son seigneur ou cum son attorne. Et si son adversaire que est demaundaunt face defaute lassoneor peut fere entrer la defaute sour ly & li fere perdre son bref & li & ses plegges en la merci & son seigneur irra quites saunz jour, & si purra seuure bref de jugement a prendre la terre en la meyn le Roy per le grand Cape ou per le petit, ou a aver seysine ou a destreindre, ou de attacher solonc diverses jornees ausi bien come son seigneur ou son Attorne. Et fet assaver que quant lassoneor seut issint la defaute, son nom certein serra entre en roulle si lem ne doute qil soit gylour & deceyve la cour e dunk serra jour done per lassoneor jesqes a un autre jour & donk purra le defendaunt sauvement fere defaute. § 17. Ala secunde jornee peust le Defendaunt

Defendaunt ſavement fere defaute ſi il ſoit aſſonee ala primere journee & donk ſerra la force del enroullement iſſy. § 18. Celi ce profri a tiel jour vers cely de tiel play avauntnome, & il ne vint pas & aveit jour per ſon aſſoneor jesk ore, e ſi il ne feuſt nyent aſſonee al primer jour mes fiſt defaute dunk dirra il iſſi. E le viſconte teſmoigna la ſomonce juger de la defaute, la terre ſerra priſe en la meyn le Roy per veuue de loials homes del Countee, & le jour de la priſe doyt le viſconte fere aſſaver as Juſtices e le tenaunt ſerra ſomons, e ſi pluſours ſoient deforceors en le bref,dunk dirra lenroullement iſſi vers cely de taunt de terre & vers celi de taunt e il ne vyent nyent dunk iſtra le grand Cape iſſi; Cape in manum noſtram per viſum legalium hominum, &c. § 19. Et ſi pluſours ſoient deforceors que fount deſ donk doit hom ataunt de fiez rehercer ceſte clauſe Cape in manum noſtram come il y a deforceors. § 20. E ſi il feuſſent aſſonee al autre jour, dunk dirra il iſſi, Et ſum' talem & talem quod ſint tali die, &c. inde reſponſuri & oſtenſuri quare non ſervaverint diem, &c. § 21. E fet aſſaver que un mot ſaunz plus eſt divers en le bref de dreit de terre & en le bref de dreit de doaire e en le bref de droit que Abbe Priour ou perſone porte ſour aſcun, qar en le bref de doaire doit hom dire qele cleyme come ſon droit e ſon doaire. E en lautre qele cleyme come ſon droit de ſa egliſe. E en le tierz bref de droit que hom cleyme come ſon droit E ſi eſt a ſaver qela ſomonce en la fin de ſon bref ſignifie deus choſes, a reſpondere del chef play per ceu mot Reſponſurus, & la default que il fiſt per ceu mot Oſtenſurus. § 22. E ſi eſt aſſaver que per ceſt bref peut terre eſtre perdue en deus maneres. § 23. Lune ſi eſt ſi ele ſoit priſe en la meyn le Roy & nyent replevye dedeinz les xv jours & coe eſt per defaute qe hom appel, nonn plevine. E ſi il face defaute al autre jour apres cel bref dunk eſt ele perdue per defaute apres defaute mes que ele feuſt replevie a houre & a terme. § 24. E fet aſſaver qela ou la Juſtice ſoit trove ſi peut hom replevir la terre priſe en la meyn le Roy & il maundra a ſes compaignons la plevine & le jour de la priſe per ſes lr̄es enſealees & la ou il pleyda ſi il peuſſe venir dedeinz les xv jours & Juſtices iſoient ſi peut hom replevir ſa terre. E ſi ſon jour ne ſoit mye ay donk ſi covient entrer ſa plevine en roulle, e ſi ſon jour ſoit adonk ny ad meſter de entrer ſa plevine. § 25. Et en la chancelrie peut hom replevir ſa terre & aver bref le Roy as Juſtices de la plevine & de la priſe. E quant un autre Juſtice ad Replevi la terre que celi que la fiſt prendre, donk maundra il a ſes compaignons un tiel bref Sociis ſuis, &c. G. P. Juſtic' Domini Regis de Banco ſalutem. Sciatis quod W. filius R. de N. tali die coram nobis petiit terram ſuam per plevinam quæ capta fuit in manus domini Regis per defaltam quam fecit coram vobis verſus B. petentem de tanto terræ cum pertinentiis in C. in Com' de N. Et hoc vobis ſignificamus ut ſupra, &c. § 26. Et en totes ſes maneres peut hom fere un Attorne ou deus pur ly en ſon plee mes qil covient qil ſoit meiſmes en preſent & ſon Attorne autreſint. E ſi il fet Attorne hors de court dunk avera il un tiel bref. § 27. Sociis & amicis ſuis C. P. Juſticiar̄ Domini Reg' de Banco ſalutem. Sciatis quod W. de N. coram nobis Attornavit

tornavit loco suo A. vel B. ad lucrand' vel perdend' in loquela ista coram vobis inter W. petentem & B. tenentem de tanto terræ cum pertinentiis in N. Et ideo vobis mandamus quod prædictos A. & B. admittatis. § 28. E set assaver qe ne covient mye que chescun home ou son Attorne per luy en propre persone replevisse sa terre prise en la meyn le Roy qar chescun home le peut fere pur luy. Ore est assaver coment joe peusse sauver ma defaute si joe feusse desceu per le visconte & per le baillif que per aventure a tort ount tesmoigne & endosse en le bref qest retorne quo joe feu somons & joe ne fuy pas somons eqant le bref dit que joe fuy somons & ma terre est prise in la meyn le Roy per le grand Cape dount nous avons avaunt parle que est issu, e coment si il ad pues tesmoigne que ma terre est prise in la meyn le Roy & ele ne feust pas prise & il ad remaunde le jour de la prise issi que ma terre nest pas replevie pur coe que joe ne savoi riens de coe, e mon adversaire prent a la defaute & a la nunplevine peround il covient que joe perde ma terre e joe ne savoi riens de coe que ele feust perdue. E coment si le Viscounte endosse en le bref la derreyne somonse que est en le Cape & joe ne fuy pas somon, peround joe ne vinch point a mon Jour & lautre recoeury seysine de ma terre. § 29. A coe respoing joe que joe ne poey nule defaute fere gar joe ne fuy pas somons & de coe apiert il que joe peusse defere la primere defaute & dedire la primere somonse per ma ley mes nyent la prise pur sauver la nounplevine, que si joe voille dedire la prise donc covient il atteindre la fausine per les pernours de la terre en la meyn le Roy & per les veours de la prise mes la derreyne somonse que feust en le Cape peround mon adversaire recoury seysine de ma terre & donk ne feu joe mye la e tut yeusse joe este, il ne mauriot ja mestier a dedire donk la somonse, gar joe ne purroi donk respondre. E dautre part joe ne poey agager nule leyde la noun somonse fors encountre les sumonours que donk ne sunt pas la mes recouri lautre seysine de ma terre & puys nauroi joe nule partie countre moi ne nul jour de play peround joe ne pourroi riens dire ne agager nule ley mes joe purroi doner au Roi du meyn a fere venir ceus somonours & issint serra terminez & atteint & joe recourai ma seysine. E ascune gent dyent que tut alassent donk ceus countre moy joe purroi dunks dedire la somonte pur ma ley encontre les somonors; e si est asauer que oment que joe perdy per def uncore pourroi jeo recourir per un bref de dreyt & en nul autre manere. § 30. Atiers jour de play quant la terre est prise en la meyn le Roy & replevie ou si il vient avaunt quele soit prise il dey apper & len countera vers ly & il demaundera adonk venue de terre & serra entre en roulle la demaunde vel demaundant de combien il demaunde & donk suiuera il un tiel bref de jug' de fere ly aver la venue a un autre jour de play que primes serra. § 31. Rex vic', &c. § 32. Ore est assau' que per moltz des resons & exceptions peut hom abatre un bref avant veuue de terre que poer nount apres & acuns ount le poer mieltz apres que devaunt. § 33. Les exceptions que sunt encountre la nature del bref & del escripture sicome un noun pur un autre ou un surnoun pur un autre ou que le bref ne gist mye, en cest cas abatent le bref devant

vant

vant veuue; Mes exceptions de nontenure quant lem ne peut de taunt respondre pur coe que le tenaunt ne tient pas pleynement la demaunde vel demaundaunt ou quant le tenant ad parceners saunz les queus il ne deyt nene peut respondre, & en tieus autres cas semblables abatent mieuz apres veuue que devaunt e autres exceptions yad que abatent ausi bien devant come apres. § 34. Ore est assaver que per tut la ou hom peut voucher garaunt si peut hom aver la veuue & en ascuns plus sovent qar en le quod permittat peut len aver la veuue & nyent vouchier a garaunt, & en autres tieus cas semblables que sunt quant len voet voucher garant hors de lyne & la ou est son tort demeyne coe est adire la ne peut il nyent vouchier garaunt. § 35. E fet assaver qil est molt grant folye de vouchier garaunt si lem neyt la veuue devaunt & per ceste reson. § 36. Un home enpleeda un autre de une verge de terre per un bref de dreyt & il tyent deus vergees de terre en meisme la ville, le demandaunt nout droit al une ne al autre, mes il qui doyt aver dreyt en cele quil demaunda ore ne poeyt le tenaunt james estre ceert quele chose lem ly demaunde jusk il eyt eu la veuue. E vynt avaunt cel tenaunt solement avaunt coe qil out eu la veuue & voucha a garantie un Rich, cestuy Rich feust tenu a la garance del une vergee de terre & nyent del autre vynt avaunt Rich & respondy a la garauntie del une vergee de terre & nyent del autre vynt avaunt Rich & respoundi a la garantie & demanda per quoi illui voucha a garaunt, e le tenaunt geta avaunt sa chartre del une vergee de terre, & le demandant dist joe ne demaund mye ne onqes demaunday cele vergee de terre mes lautre e le garaunt per taunt departy quites pur coe que nul home nenpleeda le tenaunt de la terre dount il feust tenuz a la garauntie. E le tenaunt voleyt meismes respondre & il demanda Jug' si il peust resortir a son primer respons apres garaunt vouchier & respondre del chef play. E feust agarde que non puys que sa garantye ly faily & pur coe perdi il son voucher avaunt veuue de terre demaunde de son Adversaire. § 37. Al quart jour de play peut le tenant soi essoner apres veuue & aver jour sicome avant est dit per lassoygne de mal de venue. E lassoneor oura sicome desus est dit. E fet assaver que si le tenaunt face james nule defaute apres coe quil eyt une fiez apparu en la Court le Roy il pert sa terre per le petit cape cest un bref ou yl ny ad nul recourir per quoi que le bref soit loyalment issu coe est assau si le tenaunt ne feust nyent assonee a cel jour que le petit Cape issi ou en autre manere que la Court le Roy ne feust nyent deceu, cest assaver que donk ny ad nul recourir a sauver la defaute, me si il ad dreyt en sa tenauncye il la pourra demaunder & pleeder per un bref de droit. § 38. E si est assaver que si le tenaunt face james def fors une cest la primere quant le grant Cape ist que ataunt vaut come une seysine de terre qar si il face def apres defs il pert sa terre. E si il face defs apres apparaunce le petit Cape igist que ataunt vaut come une seysine qar lautre ad perdu chescune manere de responsse si la court ne soit deceu, e il ne serra james somons a nul autre riens fors a oir son jugement coment il ad sa terre perdue

 per

per defaute pur coe que nul frank home ne doit jugement aver saunz sa presence si coe ne soit per sa def' quil ne voille venir. § 39. Rex, &c. Et si plusours soient deforceors sour les queux le bref vient donk doit home a tant de fiez mettre cele clause come il a deforceors en le bref jesque a cest mot. Et sum', &c. § 40. E si fet assaver que donk peut le tenant estre ausi bien alostel come venir a son jour qar le quel qil viegne ou non, il pert sa terre. E cest bref est appele le petit Cape ne mye pur la petitesse del bref en soi come de letre. E fet assaver que si le tenant face defaute apres le grant Cape donk avera le demandant seisine de terre per cest bref. § 41. Rex vic', &c. § 42. Et ascun fiez avient que le tenant rend' sus per congy donk avera le demandant un tiel bref de jugement de aver seisine. § 43. Rex vic', &c. § 44. Et si est assaver que si le tenant vient en la court le Roy, apres veuue de terre demaunde ou apres assoigne gete apres veuue si il ad garaunt a vouch' il le doit fere per ayde de la Court mes bien se garde quil vouche sagement. § 45. Qar si cely qil vouche ad parceners sans les queux il nen peut nen doit garrantir ou qil vouche cely, qi riens nad dont il luy peusse garantir ne ne voile voch' avaunt autre qi doit & peut garantir, & en autres tiels cas semblables il pert sa terre pur coe que sa garanty ly faut & il ad perdue response si tost come il ad vouche garant pur coe que en son vouch' weyva il sa response & bailla son baston & sa defense a un autre home. E pur coe que son garant ly faut son baston est depesne & sa defense enpire & anyenty pur son fol vouch'. § 46. Mes neporquant ascun fiez peut un home voch' cely qi riens nad & donk covyent il bien al voch' que cely qui voille garantir ou vouch' autre avaunt garaunt si il ad riens per quoi un autre ly est tenus a garantir e donk est bon al tenant qar tut soit il poures & riens nad, pur coe nad il mye perdu fraunche ley vers son garant. § 47. Ore est assav' que autrement est en bref de doayre que nest en autres brefs quant le demandaunt recoure vers le garaunt, qar en le bref de doayre deyt le demandaunt recourir vers le garaunt, & le tenant tenir en pees coe qil tient. E en chescun autre bref deyt le demandaunt recourir sa demande qil demande vers le tenant & le tenant recourir la value del fee qil ad perdu vers son garaunt § 48. E si est assav' quant un home doyt vouch' garaunt ou il deyt vouch' a garaunt un enfaunt qest dedeynz age ou un home de plenere age, e si il vouche un enfaunt que est dedeinz age, la parole serra respite jesques al age del enfant. E puys quant lenfaunt serra de plenere age la parole serra resomons per un bref que istra hors des roules & les parties vendront & purseuveront la parol que devaunt feust respitee, mes autrement est en play de douuere qar la covient il ꝙ lenfaunt respoigne per luy ou per son gardein si il est enpleede ou per autre si il est vouche a garaunt. § 49. E si est assav' que nul home ne peut voch' a garaunt enfaunt dedeynz age saunz chartre & si il fet il pert son voch' tut outre e cely qi voet vouch' un enfaunt dedeinz age a garaunt, il deyt nom' touz icens qi rien ount de la terre en garde & ceus que ount le

corps

corps ou autrement pert il sont vouch' qar coe serroit tort lque es uns deussent garantir & nient les autres de coe qil tyenent. E si est asaver qil deyt vouch' en tiele manere. Joe vouche a garaunt per ayde de ceste court Joh' de N. fuiz & heir B. de G. qui corps & party des terres sunt en la garde cely ou le corps & tutes les terres sunt en la garde cely, e donk demandera le clerk per quoy, & il monstrera sa chartre & le clerk la enroullera. E puis demandra ou serront les gardeins trove, e il dirra cely en cel counte & cely la & donk istra un tiel bref a somondre les gardeyns. § 50. Rex vic' salutem. Summ', &c. Et si il a plusours que soient vochez dunk dirra le bref issi ad war̄, tali tantum & tali tantum, & puys avaunt, quam talis clamat, &c. Et issi serra le bref a touz les autres mes quant il vendra a cely qi ad le corps dunk dirra le bref issi custodi corporis & terrarum talis. Et serra comaunde a voucher qi est tenaunt qil seuue cest brefs & per aventure cely voet delaer la busoygne & nyent seuure le bref e pur coe le demandaunt ou son attorn si il est sages purchacera il meismes le bref pur haster la busoygne. § 51. Al autre jour que le tenaunt face defaute le petit Cape igist mes lun & lautre se purront fere assoneer ou le garaunt putra donk fere def' si il voet. E a quel jour qil face cele def' si istra un tiel bref a prendre la terre cely heyr qi est en la garde cely, gardein en la meyn le Roy per le grant Cape ad valenc' en ceste manere. § 52. Rex vic', &c. § 53. Ore est asaver que ascun fiez le visconte per favour del un party de laye le bref, & ascun fiez endosse le bref que le demaundant nad pas trove pleg' de seuure son bref, & par coe nest riens fet & donk doyt le demandaunt si il est sages trover pleg' droit as Justices de feuure son bref, e si il ad favour des Justices si serront ceus demaunde & les nouns des plegges entrees en roulle e ensint averont il un autre jour & bref de jug' en ceste manere. § 54. Rex vic', &c. § 55. E ascun fiez avient que le visconte ne retourne nul bref de jug' e donk doyt il quere lenroullement dount le bref issi. Præc' fuit vic' e istra hors des roulles un tiel bref come devaunt mes qil comencera issint. § 56. Præcipimus tibi sicut alias, &c. § 57. E ascun fiez maunde le Viscounte que coe est en la Franchise cely & feust comaunde al bailif de cele franchise qil le feist & il nad riens fet de coe & istra hors un tiel bref de jugement, Rex vic' salutem. Præcipimus tibi sicut præcepimus, &c. E ascun fiez maunde le Viscounte que le bref vynt trop tard & pur coe nest pas le commandement perfurny & donk avera le demandaunt un tiel bref come devaunt & donk serra la parole entre en roulle mes que le bref comencera issi. § 58. Rex vic' s', &c. Præcipimus tibi sicut præcepimus; e puis tut lautre bref hors jesques au dareyn. E dunk issint. Et tu ipse tunc sis ibi aud' judicium tuum, &c. § 59. E ascun fiez maunde le Viscounte come en bref de trespass que cely nad terre ne ten̄ en sa baillie ou il peusse estre somons destreint ou attache. E donk doit le demandaunt tesmoigner au bank ou il ad terres & chateus & donk dirra lenroullement & le bref en meisme la manere come devaunt mes qil comencera issint. § 60. Præcipimus tibi sicut alias præcepimus. E puys tut hors le bref

bref come devant mes dirra issint au derreyn, Unde mandasti Justiciariis nostris, &c. Et si il nad riens en cel Countee mes en autre donk avera le demandaunt un tiel bref de Jug' a cel viscounte come il avoit avaunt al autre. § 61. E ascun fiez maunde le viscounte qil est Clerk e nad terres ne chateus en sa baillye dount il peusse estre destreint ou attache e donk avera le demaundant un tiel bref de Jug' al Evesque du pays qil ly face venir en ceste manere. § 62. Rex veneral', &c. § 63. En meisme le manere en chescun bref de trespas est a fere come nous avom issi dit pur fere le venir & respondre mes ascun fiez avient come en play de terre dount nous avom avaunt parle que le garaunt fist def' apres apparance & donk istra un tiel bř de Jug' qest apele le petit Cape a la vaillance en ceste manere. § 64. Rex, &c. Cape, &c. E ascun fiez avient que le tenant apiert & pleede e le demaundant counte vers luy & le tenaunt gette avaunt une exception encontre le bref & encontre le principal ple Acum enprent de coe en party a perte & a gayn e de coe se mettont en le pays & le tenaunt le revers de.

FINIS.

JOANNIS SELDENI, AD FLETAM DISSERTATIO.

Caput Primum.

I. *De* Editione.
II. *Scriptorum* classis *cui accensendus est* Fletæ *autor*.
III. *De ejusmodi scriptorum* Usu & Autoritate.

LUce jam demùm fruitur typographica Commentarius hic Juris Anglicani vetustus, FLETA dictus, tamdiu totiésque à studiosioribus desideratus. E codice veteri manuscripto qui pars est *Thesauri Cottoniani* singularis ac penes me diu mansit manétque & quantum scio, est unicus, ipsóque autore aliquantulo tantùm recentior (unde nonnulla pridem desumpta sunt exemplaria) editionem qualemcúnque Bibliopolæ nonnulli per conductam sibi librarii certè nec satis periti nec diligentis satis operam procurarunt. Neque enim editio omninò mea est. Nec sanè, si fuisset, vocabula exemplaris veteris, ad forensis scriptionis formulam, tot decurtata & veluti *notis levibus pendentia verba* (ut de veterum formulariorum scriptione dixit Manilius) adeò retineri permisissem, nec sine commodiori lectoribus Ornatu ac Dispositione, nec cum frivolis aliquot in margine notulis indiciisque intempestivis, ut uberrimam mendorum aliorum segetem prætercream, cudi sivissem; nedum Tractatulum Gallicanum *Fet assavoir* à primis, ut fieri assolet Jurisconsultis, vocibus denominatum & in vetustis Juris nostratis collectaneis Mss. satis obvium, ad calcem codicis * quasi pars ejus esset, assui perperam admisissem. Tametsi interim verum sit, exemplari veteri, unde editio fit, illum esse subjunctum, nec sanè charactere omninò dispari. Sed alia inter hunc & *Fletam* intercedit cognatio nulla. Simulac autem cusus

* *Vide pag.* 445.

Nnn est,

est, instantiùs efflagitarunt Editores ut & Titulum ego & de Libro, Autore, Nomine aliquid adjicerem. Quod nec ægrè impetratum est; dum scilicet per valetudinem dierum aliquot non satis integram, Otio abundabam continuo eoque domestico, sed interea studiis diffusioris indaginis rebúsque gravioribus nimìs inidoneo ac impari.

II. Autor hujus scripti hactenus est planè incognitus. Connumerandus verò est quisquis ille fuerit, vetustioribus illis, *Ranulpho de Glanvilla* (saltem si ille autor sit libelli ejus nomine editi, qui ad tempora *Henrici* Regis secundi spectat) viro spectatissimo summáque apud *Henricum* illum pollenti gratia & primarium in regimine publico locum occupanti, *Henrico de Bracton* qui, sub annis *Henrici* tertii posterioribus, judiciis cum primis præfuit, Autori anonymo Regii *Bractonii* illius compendii, non sine insequentibus aliquot *Edwardi* primi legibus interfertis, *Breton* & *Britton* nuncupati (de quo plura mox) *Radulpho de Hengham*, *Gilberto de Thornton* qui sicut & alter ille uti & anonymus hic noster (qua de re plura inferius) sub *Edwardo* primo scripserunt, atque *Andreæ Hornio* qui sub *Edwardo* secundo, aliísque id genus aliquot sive in archivis fiscalibus servatis sive in curiosiorum bibliothecis delitescentibus. Jam dictorum inquam classi cum primis est *Fletæ* autor accensendus. Priscam scilicet (quemadmodum & illi aliter atque aliter pro ætatum & judiciorum discrimine) Juris Anglicani faciem exhibet; qualis erat ea sub *Edwardo* primo. Cum reliquis illis idem haud parùm præstat Juris nostratis studiosioribus & qui penitiùs originem ejusdem & processum introspicere gestiunt, quod in Jure *Cæsareo* jam præstarent *Papirii*, *Tuberonis*, *Juliani*, *Proculi*, *Flavii*, *Ælii*, *Catonis*, *Sabini*, *Bruti*, *Alpheni*, *Labeonis*, *Papiniani*, *Neratii*, *Jaboleni*, *Celsi*, *Pomponii*, *Scævolæ*, *Caii*, *Pauli*, *Ulpiani*, *Callistrati*, *Modestini*, id genus [a] aliorum complurium libri desideratissimi, si jam extarent integri. Habet quidem hic non pauca *Bractonio* & *Thorntonio* usque adeò consona ut etiam verbis sæpiùs haud discrepet. Sed interim quamplurima docet alia nec apud eos nec alibi in libris quos terimus reperta; maximè libro secundo.

a *Videsis l. 2. D. tit. de Origine juris.*

III. Scriptores hujusmodi apud nos inter eos quorum doctrina pro Ornamentis tantùm orationis, in disputationibus juris nostri forensibus scolasticísque esse possint, nec Autoritatem in se

se ferant, vulgò censeri solent; idque non sine autoribus * magnis. Quod meâ sententia (tantorum virorum pace dictum sit) non citra errorem ex incogitantia ingentem ortum propagatúmque. Tametsi enim ob vetustatem ac intervenientes quæ insequutæ sunt juris mutationes admodum multiplices, Autoritatem in quamplurimis jam non præstent ejusmodi quæ Decisionibus, Judiciis, Consultationibúsve per se solùm sufficiat, innumera nihilominùs continent quæ aut etiamnum manent integra nec omninò abrogata (ut in materie maximè Feudali, Criminali, Hæreditaria, Contractibus, Translatione dominii, aliis aliquot etiam quotidianis) aut quæ mores majorum legésque avitas mutationibus ejusmodi priores copiosiùs ostendunt. Atque ita certè tam Autoritatem è qua Juris interpretatio pendeat eos habere manifestò in disputationibus forensibus scholasticisque est agnoscendum quam Ornamento esse. Dubitaríne potest quin, si Romanorum quos diximus veterum scripta juridica nobis non adeò invidisset temporis injuria, ingens inde & Lux & Autoritas accessisset Pandectis (quæ illorum fragmentis tantùm aliquot ad *Triboniani* in jure novando dirigendóque sensum aptatis refertæ sunt) & utrique Codici Novellisque *Justinianeis* ritè intelligendis explicandisque? Certe luce ejusmodi sæpe nimis ex jactura illa immani infelicitèr caremus. Ac specimina ea de re habentur non contemnenda ex pauculis *Caii*, *Ulpiani*, *Pauli* ipsorum reliquiis quæ non interiere atque id genus aliquot aliis. Quinimò autores ejusmodi veteres ad eos qui sunt recentiores atque in studiis foróque maximè obtinent, ita se fermè habent ut sanctiones legesque antiquitùs latæ ad eas quibus ipsæ sive abrogatæ, sive mutatæ, sive novatæ fuerint. Lex etiam ipsa abrogata, nedum mutata aut novata, abrogandique, mutandi, novandi ratio diligentiùs perpensa (neque enim sine hujusmodi concursu prævio benè decernit Jurisconsultus) Autoritatem planè præstat amplissimam [a] Juri novissimo atque in re præsenti ritè capiendo. Ita in Jure *Cæsareo*, Codex *Theodosianus* & quæ cum eo eduntur, Codici, in non paucis, *Justinianeo.* Ita Compilationes Decretalium antiquæ illæ quatuor ab *Antonio Augustino* uti & quinta seu *Honoriana* ab *Innocentio Cironio* jam nuper edita *Gregorianæ* Juris Pontificii corporis parti, uti & *Burchardus* & *Ivo*, id genus alii, *Gratiani* maximè syntagmati. Ita & Orientalibus, quamdiu *Basilicorum Leoninorum* usus eis olim mansit,

* 35 *Hen.* 6. *Fitzherb.tit.* Gard. 71. *Plowden. Comm.part.* 1. *fol.* 157. *atque inde alii.*

a *D. tit. de legibus* 26, 27, 28, *& ibi gloss. & DD. Constantinus Rogerius de Juris interpret. cap.* 11. *Alderanus Mascarcardus Conclus. de statutorum interp.* 2, *&c.*

mansit, adjumento proculdubio fuere maximo ipsæ *Justinianeæ Pandectæ* codicésque reliqui unde conflata *Basilica* illa, quibus dum hæc scribimus, primò fruimur ex editione *V. C. Caroli-Annibalis Fabroti*. Quale itidem planè dicendum de priscis apud nos alibique legibus innumeris quæ aut esse desiere aut mutatæ sunt novatæve. Neque sanè excogitari potest, scriptorem haberi Juris omnino aliquem cujus Autoritas singularis, quantum ad tempora insequentia, non decrescat pro varia morum legumque superinductarum ratione ac usu. Sed interim in his tantùm decrescit quæ ab ita superinductis mutantur; in quibus nihilominus ipsis usque adeo firma permanet, ut jus pristinum, cujus in novissimo interpretando usus est sicut tralatitius ita etiam pernecessarius eximiusque, inde sit inprimis ediscendum. Summa est, veterum hujusmodi Usum simul ac Autoritatem esse fermè qualis est Epocharum sive à quibus sive per quas Temporum Motuúmve deductiones fieri solent & calculus.

Caput Secundum.

I. *De* Gilberti de Thornton *Capitalis sub* Edwardo *primo Justiciarii Summa Ms. in quam* Bractonium *redegit.*
II. *De variis* Bractonii *nominibus.*
III. *De Compendio Juris Gallicano,* Britton *dicto.*
IV. *Summæ* Thorntonianæ *Titulus, Partiumque, quarum pleræque mutilæ, lemmata.*

QUemadmodum autem *Fletæ* autor, in non paucis tam sententiis ac periodis integris quam rebus ipsis, sequax est & *Bractonii* & *Thorntonii*, ita *Thorntonius* ipse *Bractonii*, ut scilicet ejusdem Epitomator; de quo utpote adeo *Fletæ* congenere atque scriptore quasi incognito, etiam fermè inaudito, pauca liceat adtexere. *Gilbertus* ille *de Thornton* sub *Edwardo* Rege primo, cum potestate summa seu quæ Capitalis Justiciarii vocatur, judiciis præfuit; quod nec ignorat quisquam sive Archivis nostris sive Juris Annalibus non alienus. Anno autem ejusdem regis vigesimo *Bractonium* in Compendium summa cum diligentia redegit, unde etiam de singulari *Bractonii*, qui *Fleta* paulò vetustior est, in Jure, sub *Edwardo* illo (cujus etiam Annales juridici

juridici in foro hactenùs obtinuere atque in rebus gravissimis etiamnum [a] obtinent) discutiendo autoritate est dijudicandum. Penes me habeo Compendii illius codicem manuscriptum autori, quod ex charactere scimus, satis coævum. In Bibliotheca quæ olim erat *Burleiana* reperi. Neque exemplar aliud mihi aut visum aut auditum. In partes tribuitur octo. Sed nimis est mutilum. Vocatur in fronte *Summa de legibus & consuetudinibus Angliæ à Magistro* Henrico de Bryctona *composita tempore Regis* Henrici *filii Regis* Johannis; adjecto dein, abbreviatam esse à *Thorntonio*.

a *Ut ex Temp.* Ed. 1. *cas.* Cobledike *in cas.* Calvin. Cok. *relat. part.* 7, *& sæpissime in* Fitzherberti *Breviario, liquet.*

II. Neque mirum videatur *Henricum de Bryctona* heic nuncupari eum quem vulgo, uti in libris ejus editis, *Bracton* vocitamus. Nomen ejus perquam variatim scribi solebat. Et ubi in editorum initio legitur *ad instructionem saltem minorum Ego Henricus de Bracton animum erexi*, &c. codicum Mss. alii habent tantùm *ad*, &c. *Ego talis*, &c. alii *Ego talis H. animum erexi*, &c. Ac perpulchrum inter alia penes me est ejusdem nec *Edwardi* primi initiis sed autore ipso paulò recentius exemplar, quo post lemmata capitum recensita subjicitur *Expliciunt capita Britonis*. Et *Bracton* igitur & *Bryčton* & *Britton* & *Briton* etiam & *Breton* (ut statim ostenditur) aliterque appellatus est. Unde & compendium illud sequentibus aliquot legibus auctum, *Britton* dictum, nec, sine errore manifesto, *Johanni Bretoun* Episcopo *Herefordensi* annis compluribus ante ejusdem conscriptionē mortuo tribui solitum, nomen velut ab autore, unde nomine jussuque regio descriptum est, primariò sumpsisse autumo. Id quidem agnoscendum est ex eo quod in ejusdem editis [b] legitur de errore nominis in rescriptis regiis, verum illi videri nomen fuisse *de Bracton*. Sed interim aliis quæ memoravimus nominibus vocatum etiam antiquitùs aliterque eum esse certo est certius. Atque in loco illo de Nominis errore, ita allato ut suum pro exemplo habeatur, variant codices manuscripti. E meis habet unus isque proximo post autorem seculo exaratus, pro eo quod in editis ibi legitur, *Item si erratum sit in syllaba, ut si quis alium nominet* Henricum de Brathon *si nominare deberet eum* de Brachiton. *Item idem erit in litera, ut si quis erraverit sic nominando* Henricum de Brochton, *& nominare deberet eum* Henricum de Braketon. Et codices ibi alii aliter aliterque. Quinimò sub *Edwardi* primi initiis tum cum expressim nominari solitum *Henricum*

b *Lib.* 4. *de Assisa Novæ Disseisi. cap.* 20. § 4. *fol.* 188. *b.*

ricum de Breton tum librum ejus *Brettone* & *Breton* dictum esse satis liquet ex syngrapha *R. de Scardeburgh*, *Thomæ Bec* Archidiacono *Dorsetiensi* confecta, de libro illius quem per *Thomæ* istius manus à *Roberto Bathoniensi* Episcopo commodato acceperat. In archivis [a] titulus est, *Litera* R. de Scardeburgh *per quam recepit ex mutuo de Magistro* Thoma Bec *quendam librum, qui vocatur* Brettone. Ipsa autem Syngrapha sic.

[a] In Codice MS. Bullarum, &c. apud Camerarios Scaccarii, fol. 175.

Universis præsentes literas inspecturis R. de Scardeburgh *Archidiaconus salutem in Domino sempiternam. Noveritis me recepisse & habuisse ex causa commodati librum quem dominus* Henricus de Breton *composuit, à venerabili patre Domino* R. *dei gratia* Bathoniensi *Episcopo per manum Magistri* Thomæ Beke *Archidiaconi* Dorset, *quem eidem restituere teneor in festo sancti* Joh' *Baptistæ, an. Dom.* MCCLXXVIII. *In cujus rei testimonium præsentibus sigillum meum appensum, Datæ* Dover *die veneris post purific' Virginis Gloriosæ, anno* MCCLXXVII.

Annus fuit hic *Edwardi* primi sextus. Nec quis horum erat qui *Bractonium* ipsum in vivis cognoscere non potuisset. Sed de Nomine insupèr testimonia sunt palmaria in archivis ipsis ubi * codicilli præfecturæ *Bractonii*. Ibi crebrò *Henricus de Bretton* nominatur uti & subinde etiam de *Bratton*.

* Vide Rot. Claus. 43 H. 3. dorso 7. & dors. pat. 43 H. 3. & quæ in id genus tabulis antecedunt.

III. Verum quidem est pro recepto haberi, Compendii quod vocitamus *Britton* autorem fuisse *Johannem Bretoun* seu *Bretun* (quem & *Bectonum* falsò nuncupant [b] aliqui) Episcopum *Herefordensem Henrico* nostro coævum jurisque *Anglicani* peritum. Etiam in editione *Matthæi* Monachi *Westmonasteriensis* seu Florilegi *Londinensi*, anni MDCLXX. ejusq; in *Germania* sequaci expressim fit ille auctor ejusdem compendii. Verba sunt in editione illa; *Obiit hoc anno* (MCCLXXV. *seu* III Ed. I.) Johannes Bretoun *Episcopus* Herefordensis *qui admodum peritus in juribus* Anglicanis *librum de eis conscripsit, qui vocatur* le Bretoun. Atque hoc nomine designatur proculdubio aut opus illud *Bractonii* Latinum aut *Gallicanum* illud minus. Utrumque enim idem ut vides antiquitùs sortiebatur nomen. Sed sive hoc sive illud innuatur, hallucinationem esse scriptoris quicunque temerè inserserit palam est. Neque enim ipsius Monachi est, ut statim ostendetur. De Latino *Bractonii* opere nemo puto dictum admittet. Et qui de *Gallicano* admiserit, næ illi etiam est admittendum ut qui anno *Edwardi* primi tertio in vivis

[b] Balæus, Pitsæus, &c.

est;

esse desierit (tunc enim mortuus est * Episcopus ille *Herefordensis*) sanctiones a in scriptis suis Parlamentarias decennio ampliusque post latas intersereret. Certè & *Gallicani* illius tractatus seu compendii habeo exemplar pervetustum cui subjicitur, *Ici finist* le Bredton *que contient* IV. *lieures* (ita enim distinguitur) *en les queux chescun maniere de plee est contenue.* Et memini me olim alicubi ad calcem ejusmodi exemplaris legisse distichon rhythmicum, cujus verba non satis teneo cuncta. Sed primum versum terminavit *Brato* pro autoris nomine, & secundum & *dixit talia nato.* Quæ quidem etiam adstruunt, *Henrici de Bratton* seu *Breton* nomen in codice quod *Britton* & *Breton* vulgò vocitamus, intelligi, ut primarii autoris unde desumptus est, utcunque ipso recentioribus aliquot rebus auctus. Etiam in annalibus nostris Juridicis [d] plane codex ille *Britton* dictus, *Bratton* nuncupatur. Sic Codicem *Justiniani* rectè vocamus, licet interspersus fuerit, multis post *Justinianum* seculis, tum Novellis ejusdem tum *Fredericianis* constitutionibus aliquot. Sic *Xiphilinum* sæpè *Dionem*, *Justinum* *Trogum* *Pompeium*, *Florum* etiam *Livium*, id est Epitomatores ipsos autorum suorum nomine indigitamus. Et quod ad locum illum in editione quam diximus *Florilegi* attinet; nec omnino habetur is sive in editione prima anni 1567. sive in codicibus ejusdem Mss. veteribus qui in bibliothecis & *Lambethana* & *Westmonasteriensi* asservantur. Adeoque à sciolo aliquo temerè ingestum, dubitare nequeo.

* Vide Notas ad Rad. de Hengham pag. 129.

a Vide Britton c. 14. c. 36, &c. ubi statuta 13 Ed. 1. seu West. 2. habentur.

d Conferas 35 Hen. 6. fol. 42. cum 35 Hen. 6. tit. Gard 71.

IV. Opus quod diximus *Thorntonii*, esse *Henrici de Bratton* (illud enim retinemus nomen quod *Brycton* apud eum fit) *Summam abbreviatam* palam est. Verba Tituli integra damus.

Incipit summa de Legibus & Consuetudinibus Angliæ *à Magistro* Henrico de Bryctona *composita tempore* Henrici *filii Regis* Johannis, *quam quidem Summam dominus* Gilbertus de Thornton, *tunc Capitalis Justic' domini Regis in* Angl' *secundum statuta & leges tunc usitatas, ad utilitatem posterorum diligenti studio postmodum abbreviavit sub compendio, anno regni regis* Edw. *filii regis* Henr' *vicesimo. Et ipse idem dominus* Gilbertus *tempore illo scientia, bonitate & mansuetudine floruit eleganter.* Sensus est, *Thorntonium* dum capitalis erat Justic, sub *Edwardo* scilicet primo, compendium hoc seu Breviarium fecisse, idque juxta statuta & leges tunc usitatas. Id est *Brattoniana* exhibuit

quatenus

quatenus in legibus & statutis tunc usitatis ritè intelligendis posteriati esse possent adjumento. Neque enim statuta ipsa quæ post *Bractonium* & ante scriptionis tempus intervenere veluti de Dotis, verbi gratia, petitione [a], de Homicidio ex infortunio [b], de Donis conditionalibus [c], ejusmodi aliis aliquot, omnino memorat. Prætermittit perplurima ut Epitomatores solent. Nec verò *Bractonii* methodum semper sequitur, aliâ interdum usus, uti & distributione alia, quod ex Partium ejus octo hac serie luculentiùs est videre. In fronte sequitur, *Et notandum est quod præsens opus in octo partes dividitur.*

a 3 *Ed.* 1. *Westm.* 1. c. 49.
b 6 *Ed* 1. *Gloc. cap.* 9.
c 13 *Ed.* 1. *Westm.* 2. c. 1.

Prima pars tractat de Personis & earundem variis conditionibus, de Rebus & rerum divisionibus, de donationibus & Confirmationibus.

2. *De Actionibus & Obligationibus, de Pœnis & Judicum potestatibus, de itinere Justitiariorum & eorum Capitulis.*

3. *De Criminibus & Homicidio & de Appellis & Feloniis.*

4. *De Vetitis Namiis & Disseisinis.*

5. *De Communia Pasturæ & ejusdem ammensuratione, de Assisa Mortis Antecessoris, de Damnis & Convictionibus.*

6. *De Brevi de Recto, de Summonitionibus & Essoniis.*

7. *De Exceptionibus & regiis Prohibitionibus, de Bastardia & Gradibus successionis.*

8. *De Homagiis & Releviis, Hæreditatibus & Donationibus propter Nuptias, & Dotibus mulieribus assignandis.*

Et quantum ad Methodum sanè & Distributionem attinet, etiam aliter aliterque se habent ipsæ in codicibus Mss. *Bractonii*. Perpulchrum habetur & vetustum in Bibliotheca *Oxoniensi* publica exemplar quo, *Henrici de Bracton* nomine apposito, nulla omninò distributio est in libros, ut in editis; sed ita in Centenas tantùm, ut post decem Centenas numeris suis designatas sequantur Capitula insuper 67 adeoque opus integrum ex capitulis 1067 constet. Alii codices perpetuam Capitum seriem usque in finem habent. Ceterùm adeò mutilus est codex Ms. *Thorntonii* ut quum Partis primæ capita, cum lemmatibus singulis adjectis numerentur 58. uti & Partis secundæ capita 19) reliqua post caput primæ 42. & post secundæ caput 10. præter aliquantulum noni, omninò desiderentur. Quale pariter dicendum de Parte Tertia cui numerus Capitum 31. Sed quæ octavum intercedunt & vigesimum desunt. Quartæ tribuuntur capita 26. Quinta capita

pita habuit 18. quorum præter partem decimi sexti restant tantùm postrema bina. Sexta integro est, cui capita 21. Septimæ erant capita 25. Sed desunt quæ decimum quintum sequuntur. Octavæ sunt 14, eáque integra. Incipit non aliter atque *Bractonius* ipse, nec aliis in proœmio verbis quam ille in editis utitur, demto quod *Bractonii* nomen non interserit, primâ personâ interim ut apud *Bractonium* usurpatâ, atque eodem modo quem habent codices hujus Mss. *Ego talis animum induxi*, &c. Postrema item ejusdem verba & caput partis octavæ postremum integrum, eadem sermè sunt ipsissima quibus finitur *Bractonius*. Jussu autem Regio aut non sine Regis auspiciis conscriptum esse hoc *Thorntonii* opus par est ut credamus ex eo quod in Annalibus [a] juris nostri habetur *Edwardum* illum (malè in impressis vocatur secundus) tum leges moresque Regni in scripta redigere universos voluisse, tum libros aliquot alios, præter notissimum illum *Britton* dictum, operâ Jurisprudentiorum qui sub eo floruere eam in rem confecisse, idque veluti suos. De *Brittonio* planè intelligendum illud *Prisoti* summi causis civilibus quæ *Communia Placita* vocamus sub *Henrico* sexto Rege Præfecti, ubi dum fiunt in foro verba de statuto anno tertio [b] *Edwardi* primi de pupillari ætate edito, *cest estatut* (inquit [c]) *fuit fait en temps le roy E. le 2.* (planè legendum *E. le 1.* pro *Edwardo* primo) *le quel roy fuit in purpose daver mise tout en certein, per que il fist un liver deux ans apres cest estatut fet & en que cest estatut est reherse.* Ipsissimum hoc statutum habetur in *Brittonio* [d], nec dubitari solet quin codex ille heic intelligendus. Sed intereà nec puto dubitandum quin pro *deux ans* legendum sit *douze ans.* Nam in codice illo expressim memorantur etiam statuta [e] anni ejusdem regis decimitertii, seu quæ *Westmonasterii* secundi dicimus, unde manifestum fit haud biennio post tertium annum, illum fuisse conscriptum, sed post decennium saltem inde elapsum, ut antè etiam monuimus. Sed si *Prisoto* sic credendum, conscriptus ita erat sub annum *Edwardi* primi decimum quintum, non omninò quintum ut volunt qui ex depravata heic lectione securè nimis hallucinantur. In alio autem exemplari annalium Juridicorum, unde illud *Prisoti* sumtum, aliorum item librorum ejusdem Regis jussu conscriptorum mentio expressa. Verba sunt [f], *le quel roy* (scilicet *Edwardus* primus ut in editionibus correctioribus [g]; nam in aliis [h] mendosè itidem legitur *Edward*

a 35 H.6. fol. 42. a.

b Westm. 1. c. 22.

c 35 Hen. 6. Fitzherb. tit. Gard. 59.

d Cap. 67.

e Westm. 2. c. 1. & c. 38. in Britton. c. 36. & c. 14.

f 35 Hen. 6. fol. 42.

g Anni 1601.

h Anni 1557.

le second) fuit appurpose dav. r mise tout en certein & en escripture & commence de ceo faire liver de & par plus sages homes del ley deins le realme s. Juges & autres. Il fist un livere deux ans (lege *douze ans*) *procbein apres le fesance de cel estatute, &c.* Aque ex hisce *Thorntonii* codicem fuisse non videtur ambigendum. Certè in ipsius initio, quod, ut apud *Bractonium*, est



In Rege qui rectè regit, &c. prima vox ampliori & eleganti pingitur ductu auro ac coloribus variegato, intra quem in solio habitúque regio ad hunc modum residens Rex ille Judices sex habitu

habitu ornatos forensi solennique ac coràm adstantes alloquitur. Quasi inde regium jussum ad librum illum sic attinuisse ipsúmque Regem veluti ejusdem autorem (qualis saltem *Justinianus Tribonianeorum* erat fuisse, legésque ac mores Anglicanos in eo Judicibus ac turbæ forensi indicasse ibi innueretur. Neque Epitomator solùm sed etiam subinde est interpres egregius *Thorntonius* & expositor. Exempla autem ac Decisiones forenses quas non paucas memorat *Bractonius* prætermittit hic, uti etiam fermè quas habet ille [a] è *Juris Cæsarei* libris locorum citationes pessimè ab editoribus tractatas. Atqui illas non prætermisit omnes. Qua de re, uti insuper de *Juris Cæsarei* apud scriptores hosce *Fletæque* autorem usu atque etiam de eodem in hac insulæ parte olim recepto, intermisso, restituto, temperato & cancellis cohibito paucula subjiciemus quæ studiosioribus satis grata fore non dubitamus.

[a] *Lib. 2. de Acq. rerum dom. cap. 12. lib. 3. de Actionibus cap. 8. § 3. & c. 9. § 3. & cap. 12. § 5. &.*

Caput tertium.

I. *Librorum* Juris Cæsarei *usus prisci apud* Juris Anglicani Consultos, *quà tales, vestigia manifesta tam in* Thorntonio & Fletæ *autore quam* Bractonio.

II. *Eorum* Legis Regiæ *in Pandectis* l. 1. tit. de Constitutionibus Principum *Lectio Sensúsque, etiam quà in* Cæsareis *est, perquam singularis & mirus.*

III. *Diversæ interpretum coævorum de* Lege Regia *illa sententiæ.*

IV. *Quænam* vera; & *quid illa* Lex.

V. *Quànam ab* Jurisconsultis nostratibus *illo in seculo sub ratione ita adhibitum* Jus Cæsareum, *maximèque* Lex *illa* Regia.

LEx, inquit Thorntonius [a] *gravem pœnam infligit judici corrupto per munera sordida ut C. ad legem milit. (sic* Ms. *sed* legendum *C. ad legem Juliam;* quæ est repetundarum) *l. omnes, ubi dicitur quod omnes cognitores & Judices à pecuniis manus abstineant ne alienum jurgium putent suam prædam.* Atque ita è Codice *Justinianeo* eand m citaverat legem *Bractonius* [b], quod ex Mss. constat, utcunque in ejusdem editione tam seculi

[a] *Part. 1 c. 11.*

[b] *Lib. 3. de Actionibus c. 8. § 3.*

 superioris

superioris, quæ prima fuit, quàm jam nupera (quarum utraque se fingit factam ingenti curâ atque è codicibus Mss.) perperàm legatur, *ut C. ad legem vel repetet l. Omnes* pro *ut C. ad legem Jul. repetund. l. omnes.* & pro *à pecuniis* ridiculè substituatur *à re cuivis*; uti & paulò pòst ibi *ut C. s. l. ultima* pro *ut C. e* (pro *eodem titulo l. ultima*, quâ pœna quadrupli illic memorata à *Theodosio* & *Valentiniano* irrogatur. Atque in editionibus illis utrisque menda sunt perplurima eaque crassissima, partim è Librariorum inscitia, partim ex operarum incuria. Aliàs adhibentur item leges ipsissimæ tum à *Bractonio* tum à *Thorntonio* è corpore *Justinianeo* citatæ, adjectis ab utroque, designatisque more jurisconsultorum *Cæsareorum*, locis quos præterit omninò *Fletæ* autor, ipsas interea leges expressiùs, easque velut vim hîc tunc obtinentes paritèr recitans. Verbi causa; *Fletæ* autor de Donationibus inter virum & uxorem loquens, *Verba*, inquit [a] *legis sunt ejusmodi, si in nomine & substantia nihil distet à dote, &c.* Quæ in se sequuntur in lege ipsa quam innuit, ab ipso *Justiniano* [b] lata, ibi subjicit, quemadmodum itidem & *Thorntonius* [c] & *Bractonius* [d]. Horum autem uterque in Mss. suis locum etiam ipsum legis qui prætermittitur in *Fletæ*, sic addidit, *C. tit. de Donationibus ante nuptias l. cum multæ*, pro quo in editis *Bractonii* malè legitur *cum milite*; & pro eo quod est in ipsa lege (uti & à *Thorntonio* & *Fletæ* autore rectè exhibetur) *Sancimus omnes licentiam habere, &c.* è quibus verbis utpote in persona *Justiniani* prolatis totam vim legi pendere nemo non videt, pessimè exaratur *Scimus omnes licentiam habere, &c.* Sed hujusmodi in *Bractonii* editis sunt creberrima menda, etiam & non rarò in exemplaribus ejus Mss. licèt vetustis, aliquot. Atque ita planè apud Triumviros hosce usurpatur *Justinianeum* illud sub *legis* nomine & *Constitutionis* & *inhibitionis*, perinde acsi etiam apud Anglos jus Donationis inter conjuges inde vigorem contraxisset. Et *fraudem fieri Constitutioni* aiunt *Bractonius* [e] & *Thorntonius*, & *fraudem inhibitioni Fletæ* autor; si quid aliter in conjugum donationibus fiat quam Sanctio illa *Justinianea* præscripserit. Alibi item in *Fleta* legitur [f], *Donationes etiam post feloniam perpetratam factæ perfectæ erunt & perpetuæ, nisi donatores hujusmodi de feloniis suis in vita sua convincantur.* Quod juri quo utimur & avito planè consonum est. Sed statim in *Fleta* subjungitur;

[a] Lib. 3. Cap. 3. §. 15. & 16.
[b] L. 20. C. tit. de Donat. ante Nuptias.
[c] Part. 1. c. 33.
[d] Lib. 2. de acquir. rer. dom. Cap. 12.
[e] Vide item eum lib. 2. Cap. 5. §. 5.
[f] Lib. 3. Cap. 10 §. 2. & 3.

subjungitur; *Et id hoc facit lex Imperatoria, Post capitale crimen contractum donationes factæ valent, nisi condemnatio fuerit subsecuta*. Id est, l. 15 *D. tit. de Donationibus* è *Marciani* Institutionibus sumpta, quæ etiam citatur *Brattono* g sic, *Et ad hoc facit lex F (pro ff.) de Donationibus, post contractum &c.* alibique, *Convenit lex cum consuetudine Anglicana ff. de Donation. l. post Contractum ubi dicitur quod post contractum capitale crimen donationes factæ valent nisi condemnatio subsequuta sit.* Atque loco priori, *innuit* ergo, inquit ille h rectè, *quod nisi fuerit subsequuta, valent donationes; &, si fuerit, quod non valent.* Et utrique sic legitur illa lex ut in vulgaribus rudioribúsque Pandectarum editionibus habetur, præterm illâ quæ in politioribus occurrit voce expressim negativa. Nam in *Florentinis* ita se habet, *Post contractum capitale Crimen Donationes factæ non valent ex constitutione Divorum Severi & Antonini, nisi condemnatio secuta sit.* Quæ locutionis formula mira non penitiùs perpendenti videatur, quasi scilicet donationes damnatorum valerent, quales, nisi damnarentur, forent irritæ. Sic enim verbo tenus sonare videtur. Substituendum igitur volunt aliqui *si* pro *nisi*. Tunc enim ex condemnatione sola irrita fit rei donatio. Et de lege illa perquàm variæ occurrunt Doctorum opiniones. Et *Bartolus* de ea; *ista est valde notabilis lex & habet materiam quotidianam, & legitur duobus modis &c.* Certè sensum fuisse post condemnationem non valere non dubito, quod satis manifestum fit etiam è Græcorum ejusdem quasi versione: Τῶ δωρησαμένυ κεφαλικῶς καταδικασθέντος ἐι παρ᾽ ἀυτῶ μετὰ τὸ ἁμάρτημα γενόμεναι δωρεαὶ ὀυκ ἰσχύουσιν. Sic in Basilicis i; id est, *si is, qui donavit capitali supplicio damnatus sit, post crimen admissum donationes ab eo factæ non valent.* Unde puto legisse etiam Græcos *non valent* in ipsis Digestis. Et quod ad vocabulum *nisi* attinet, etiam in ipsa Florentinorum editione Taurelliana, ejusque sequacibus quasi dubitantèr est insertum. Certè retinendum censuerit quisquis archaismum heic * locum, ut in aliis crebrò, habere admiserit. Scilicet si vocabulum *Nisi* dividatur heic in *Ni si*, id est apud veteres *non si* (dam ni pro *non* usurpari agnoscunt Grammatici k) sensus erit apertus; *non valent donationes*; quæ verba fuerint Constitutionis Imperatoriæ, quibus explicandi gratiâ sic adjecerit Marcianus *ni si condemnatio secuta sit*, id ita est, *non, si condemnatio sit secuta*: quod etiam

g *Lib. 2. de acquir. rer. dom. cap. 5. §. 5. & Cap. 13. ad finem.*

h *C. videsis C. tit. de Donat. inter v. & u. l. 24. res uxoris, & l. 31. D. dict. tit. in fine.*

i *Lib. 47. tit. 1.*

* *Vide Cujacium Observat. 3. cap. 38 Alberic. Gentil. de libris Juris civilis cap. 3.*

k *Priscianus li. 15. & Donatus ibi.*

etiam est consonum ipsi juri receptissimo. Sed ex archaismo ejusmodi opem heic nec accersendam nec satis præstitam sentio. Aut *ni* expungas, aut substituas *non*. In impressis item *Bractonii* citatur c *l.* 13. *in bonæ fidei C. tit. de Pactis* (sed satis perperàm) atque inde dicitur *probari* pacta ex intervallo donationibus adjecta, nec incontinenti, eis non inesse. Verùm in codicibus quibus utor Mss. locus ille non omninò sed sensus tantum adfertur.

c Lib. 2. cap. 6. §. 12.

II. Specimen autem, præ reliquis, juris *Cæsarei* sic ab Jurisconsultis nostratibus tunc adhibiti peregregium est illud quod de potestate Principis seu Regia è Pandectis, sed non expressim memoratis, *Bractonius* exhibet. *Nihil aliud*, inquit d, *potest Rex in terris, cum sit Dei Minister & Vicarius, nisi id solùm quod de jure potest. Nec obstat quod dicitur; Quod Principi placet* e *legis habet vigorem, quia sequitur in fine legis, Cum lege Regia quæ de Imperio ejus lata est, id est, non quicquid de voluntate regis temerè præsumtum est* [*sed animo condendi jura*] (redundant hæc verba hoc in loco, tametsi ad rem ipsam primariò spectent, nec in Mss. *Bractonii* quibus utor habentur, nec in *Thorntonio* aut *Fleta*) *sed quod consilio Magistratuum suorum, Rege autoritatem præstante, & habitâ super hoc deliberatione & tractatu rectè fuerit definitum.* Tantundem & totidem fermè syllabis *Fleta* f; *quia sequitur*, inquit, *Cum lege regia quæ de imperio ejus lata est. Thorntonius* item; parili sic adjunctâ ratione: *quia sequitur in fine Legis cum lex regia* (sic codex Ms. pro *lege* g) *quæ de Imperio ejus lata est, et non quicquid de voluntate regis temerè præsumtum est, &c.* Ex hisce Duo sanè sunt inprimis animadvertenda. Posterius etiam non sine stupore. Prius est, Jus *Cæsareum* in illustri illa gravissimique momenti de potestate apud Anglos Regia, quæstione discutienda, tunc locum, ex horum omnium sententiis adeò esse sortitum, ut quod ex eo velut in autoritatem usùmve obvium recepto posset objici, id responsione seu interpretatione necessariò indigere existimaretur, adeóque in rebus quarum in ratione, regiminis Reipublicæ populìve Anglicani versaretur cardo, vigorem præ se ferre. Posterius autem est, autorum horum quemlibet legem illam è Pandectis sibi allatam tum legisse tum intellexisse (si eos omninò capio) aliter prorsùs quam legi solet intelligíve sive à Gæcorum sive à Latinorum

d Lib. 3. de Actionibus Ibid. cap. 9. §. 3.

e L. 1. D. tit. de constit. Principum.

f Lib. 1. cap. 17. §. 7.

g Part. 2. c. 12.

Scriptorum

Scriptorum opinor aliquo. Conjicitur Lex illa Regia tum in Pandectas [h] tum in Institutiones [i] ex Ulpiano. *Quod Principi placuit* (sic utrobique) *legis habet vigorem; utpote* (sed Institutionibus deest *utpote*) *cum Lege regia, quæ de Imperio ejus lata est, populus ei & in eum omne suum imperium & potestatem conferat*, ut in Florentinis; aliis habentibus *contulerit* pro *conferat*; uti & Institutionum exemplaribus aliis *concedat*, aliis *concesserit* & *concessit* pro eodem. Ubi *cum* (quod & *quum* legitur in accuratiori editione *Cujaciana* aliisque ejusdem libentiùs sequacibus) pro conjunctione causativa sive verbo *conferat* aut *contulerit* sive voci *concedat concesserit* aut *concessit* inserviente planè sumendum. *Justinianus* etiam ipse alibi [k] Lege *antiqua quæ Regia nuncupabatur omne jus omnisque potestas populi Romani in Imperatoriam translata sunt potestatem.* Et Arcadius Charisius [l], *Regimenta Reipublicæ ad Imperatores perpetuò translata esse ait*, legem hanc innuens Regiam quæ etiam *Lex Imperii* [m] & *Augustum* [n] *privilegium* in Codice dicta. *Pomponius* item, [c] *Constituto Principe, datum est ei jus, ut quod Constituisset ratum esset.* Græci verò, prætermissâ plerunquæ ratione illâ Ulpiani pronuntiant heic rotundiùs, Ὅπερ ἀρέσει τῷ βασιλεῖ νόμος ἐστὶν, *quod Principi placuerit lex est*: quod scilicet ita placuerit ut animus jus condendi simul adfuerit. Sic in Basilicis, [d] sic apud Harmenopulum, [e] alibi; unde τῶν βασιλέων δόγματα, *Principum dogmata* seu decreta pars est juris apud illos etiam civilis. Sed *Theophilus* Antecessor ubi quartum juris condendi autorem, post tres illos Populum, Plebem, Senatum, facit Principem Romanum, καὶ τί, inquit ἐστὶ βασιλεύς; ἐστὶν ὁ κρατῶν τῆς ἀρχῆς παρὰ τοῦ δήμου λαβών. *Et quid est Princeps?* [r] *Princeps est qui potestatem imperandi à populo accepit.* Ita legem regiam, ut *Ulpianus*, intellexit, et scholiastes ibi, βασιλεὺς νόμιμος, *Princeps legitimus*; cui scilicet potestas sic concessa. Unde in *Leonis & Constantini* [h] Epitome vocatur Imperator, ἔννομος ἐπαρχία, *legitima Præfectura.* At verò triumviri jam dicti nostrates ita legisse mihi plane videntur omnes ut pericopen ad hunc modum aut sensum fuisse integram non dubitarent. *Quod Principi placet legis habet vigorem, cum lege regia quæ de imperio ejus lata est*: quibus verbis etiam innuunt finiri hanc legem, idque satis expressim tum *Bractonius* tum *Thorntonius*. Adeòque *Cum* non ut conjunctionem sed ut præpositionem intelligunt, quemadmodum & *Fletæ* autor, sensumque

[h] L. 1. tit. de Constit. Principum.
[i] Tit. de Jure Nat. §. Sed & quod.
[k] L. 1. §. Cum itaque C. tit. de vet. Jure enucleando.
[l] L. 1. D. tit. de Offic. Præfecti Prætorio.
[m] L. 3. ex imperfecto C. tit. de Testamentis.
[n] L. unica. §. 14. hac autem C. tit. de caducis tollendis.
[o] L. 2. D tit. de Origine juris §. 11. Novissimè.
[p] Lib. 2. tit. 6.
[q] Lib. 1. tit. 1.
[r] Michael Psellus in Synopsi Juris.
[s] Instit. tit de Jure Nat. Gent. & Civili.
[t] Tit. 2.

fú nque esse, legis quidem habere vigorem quod Principi placuerit, ita tamen ut ejusmodi placitum cum lege Regia quæ de imperio ejus seu regimine lata est ritè componatur perpendatúrque, neque aliter atque juxta eandem legem vigorem sortiatur, nec de vigore illo aliter decernatur atque legis illius regiæ conditionum ac temperamentorum qualiumcúnque sine quibus collatum non est imperium, ratio permiserit singularis, juxta ea quæ ibi statim subduntur de singulari apud nos tam de legibus in Ordinum Comitiis ferendis quam de Judiciis legitimè exercendis. Neque illud de *imperio & potestate omni à populo concessa* in lege illa omninò videntur hi ibi agnovisse, quasi exemplaribus suis planè defuisset. Certè *Bractoni* seculo adeóque deinceps Digestorum exemplaria heic studiosis habita non minùs atque alias apud gentes integra ac ut libros alios describi solita satis constat, tametsi alia non reperirentur argumenta (quibus sanè non caremus ut mox ostenditur) ex ipsius exemplis de Contractuum formulis allatis, ubi a de Codice & Digesto heic describendo ut re usitatissima loquitur. Unde magis mirandum quânam evenerit ratione ut non solum ipse adeo judiciis forensibus clarus &, si biographis b scriptorum nostratium fides, Professor Juris utriusque *Oxoniensis* verùm etiam *Thorntonius* juris aliàs peritissimus & *Fletæ* autor adeo diversam lectionem sensúmque diversum atque interpretibus aliis universis adeò alienum in illustrissimo Juris *Cæsarei* loco illo explicando tam fidentèr admiserint. Tametsi interea, quantum ad rem ipsam, qua de apud eos agitur, & constitutionem Imperii Anglicani attinet, nullâ scilicet verborum *Ulpiani* seu *Justiniani* ratione habitâ subtexant eorum singuli id quod vero est perquam consonum & receptissimum; de Ordinum nempè Comitiis intellectum, ut oportet; qua de re item videndus *Bractonius* in procemio. Quinetiam vetus est apud me in codicem illum quem *Britton* vocitamus (sed in prævia Tractatuum voluminis in quo continetur recensione antiqua, *Bracton de legibus Angliæ*, juxta capite in superiore dicto, appellatum) commentarius Ms. cujus in fronte verborum illorum *Quod principi placuit &c.* sensus, qualis apud *Bractonium* exhibetur ipsissimus.

a Lib 2. de Acquir. rer. Dom. c. 6. fol. 19.

b Baleus Cent. 3. script. 98. Pitsæus art. 13, Script. 335.

III Quod verò ad decantatissimè illius legis Regiæ, quæ in *Cæsareorum* corpore habetur, tum Lectionem tum sensum, apud

apud alios attinet, id quidem advertendum est in exemplaribus aliquot Digestorum *Bractonio* tum coævis tum vetustioribus lectionem à superiùs è Justiniano allata diversam habitam atque etiam ab interpretibus aliquot adprobatam. *Odofredus*, [c] *Bractonio* coævus, in codice suo Legebat *utpote cum lex regia lata est, populus ei & in eum imperium & potestatem conferret.* Ita deerat *omne suum.* Atque, *aliàs*, inquit *Odofredus*, *in litera est, concessit* [d]. *Et hæc est bona litera.* Sensus autem legis illius apud interpretes *Bractonio* coætaneos & qui post instauratum in Occidente jus *Cæsareum* præcesserunt, varius erat. Fuere enim etiam tunc qui ita omnimodum imperium & potestatem à populo Romano in Principem translatam esse, Lege illa voluerint, ut populum indè planè potestate ac imperio nudatum omnimodo ac destitutum assererent. [e] *Hostiensis; alii dicunt*, inquit, *quod nec populos nec Senatus potest hodie condere legem generalem, sed tantùm Principes, quod verius credo.* Tantundem videre est apud *Accursium* [f] Atque in his, puto, erat *Martinus.* Et hac de Sententia plura mox. Eorum alii potestatem quidem ac imperium Principi inde voluere concessum leges pro libitu condendi, sed ita tamen ut concessione ejusmodi populi potestas neutiquam minueretur, atque ut tam plebiscitorum quam Senatusconsultorum non solùm veterum sed quæ insequerentur vis ut anteà maneret integra. Scilicet ut Princeps, Populus, Senatus, Plebs, parem invicem (quod meritò mirere) hac in re potestatem tenerent. Hoc satis liquet ex *Azone* [g] *Accursio*, *Hostiensi* [h] *Odofredo* [i] Bractonio aut paulò vetustioribus aut coævis. Atque posterior hæc opinio nata est partim ex eo quod legem heic Regiam intellexerint pro lege *Hortensia*, partim verò, fortè sanè maximè, ex eo quod professores aliquot ac studiosi eo in ævo juris hujus quod ita paulo antè occidentalibus instauratum est, cautiùs timerent, ne si Principibus ex eo potestatem tantam, quanta in priore sententia habetur, tribuerent, populis civibúsque per Europam passim libertate moribúsque avitis potestati ejusmodi haud parùm dissonis gaudentibus, nimiùm displicerent nec recèns enascenti Professioni suæ satis prudentèr consulerent. Et notissima est inter *Martinianos* & *Bulgarianos* [k], de Principis etiam ex hac lege potestate, seculis in illis vetustioribus controversia. Anno autem ab urbe Condita 422 seu ante Christum

c *ad l. 1. tit. de constit. Princ.*

d *Sic apud Angelum Perus. ad dict. legem & vide Francisc. Conn. Juris Civilis l. 1. cap. 16. & edit. Instit.* Cujacianam *et* Baudozianam. *tit. de jure Nat §. sed et quod.*

e *Summ tit. de. Constit. Princ. §. 9. et*

f *Gl. ad D. tit. de legibus l. 9. non ambigitur.*

g *Summ. ad C. tit. de legibus et constit. Princep. §. 8.*

h *Locis citatis.*

i *Ad dict. legem.*

k *Videsis Jo. Quintinum Aristocrat. Christ. Civit. tit. de Regis Imperio.*

ſtum 330[l] à *Q. Hortenſio* Dictatore lata eſt lex *ut* [m] *eo jure quod plebs ſtatuiſſet, omnes Quirites tenerentur*, unde factum eſt ut inter leges qualeſcunque ante receptas ſive veterum Regum, ſive Senatûs, ſive alias, & Plebiſcita, *ſpecies* [n] *conſtituendi* (ut ait Pomponius) *intereſſent, poteſtas autem eadem eſſet*. Atque hinc ait *Juſtinianus*, [o] *Plebiſcita non minus valere quam leges cæpiſſe*; tametſi apud *Livium* [p] habeatur *L. Valerium* & *M. Horatium* Conſules ſub annum centeſimum ac vigeſimum ante legem *Hortenſiam*, *omnium primùm, quum veluti in controverſo jure eſſet, tenerentúrne patres plebiſcitis, legem, centuriatis comitiis, tuliſſe, ut quod tributim plebes juſſiſſet, populum teneret*. Sed mira ſanè ex lege *Hortenſia* huc allata ratio ab *Accurſio*, *Odofredo*, aliis. *Accurſii* verba; *Regiâ, ſcilicet lata ab Hortenſio mirabili oratore, ut ſuprà de Origine Juris l. 2. § deinde cum eſſet. Sed de populo & plebe ibi dicit. Dic ergo heic Regia, id eſt, Regali*. Agnoſcit, quod facere neceſſe erat, in lege *Hortenſia*, Populi & Plebis, ſeu Patrum & Plebis poteſtatis tantùm mentionem fieri expreſſam. Quomodo igitur ibi quid de Regia lege præſcribitur: *Dic ergo* inquit, *regali*; quod ſi benè capio juxta eum innuit, legem *Hortenſiam* de Jure Regali id eſt Regiminis ſeu gubernandi jure, latam & Plebi & Senatui (è quibus partibus ſeu ordinibus binis tunc integrum populi Romani corpus conſtabat) parilem concedentem poteſtatem, ita etiam intelligendam, ut, poſtquam Princeps inſuper Populo adjectus eſt, haud diſpari ratione itidem & illi ut, in regimine, Parti tertiæ, parilis ex ejuſdem legis ſenſu poteſtas conceſſa admitteretur. Neque aliter video undenam velint illi veteres legem heic *Hortenſiam* locum omninò habere ullum. Atque hinc ea quæ *Juſtinianus* habet de ſingulari Plebiſcitorum ac Senatuſconſultorum vi, interpretabantur illi qui in hac fuere ſententia; quaſi ex ipſis ejuſdem verbis ad Senatum Populúmque Romanum in eis ferendis, eadem ipſa, quæ olim in republica libera, poteſtas ac imperium etiamnum attineret. Diſputarunt etiam an poteſtas ſic conceſſa à populo jure revocari potuiſſet, ut à delegante poteſtas [q] delegato conceſſa.

IV. Sed certo certius eſt priorem Sententiam veram eſſe, de populo ſcilicet, omnimodo imperio ac poteſtate, in legibus ferendis, planè ex lege illa Regia, nudato. Quod tum ex *Juſtiniano*

l *Epit. Livii lib. 11.*

m *Lælius Fælix apud Agell. lib. 15 cap. 27.*

n *L. 2. D. tit. de Orig. Juris §. 8. Deinde.*

o *Inſtit. de Jure Nat. & Gent. §. Plebiſcitum.*

p *Dec. 1. lib. 3. cap. 55.*

q *Odofred. ad dict. legem. & videſis ibi Raphael. Fulgoſium. &c.*

Justiniano ipso tum ex veterum recentiorúmque interpretibus illustrissimis constat. Verba ipsa de lege illa ex *Justiniano* antè allata satis heic probant; quibus accedat & illud *Constantini* [r]; *inter equitatem júsque interpositam interpretâtionem nobis solis & oportet & licet inspicere*, (ubi Græci [s] μόνος νόμον τεμνέτω ὁ βασιλεὺς *Solus Princeps legem dirimat.*) Item & illud *Justiniani* [t], ad *Demosthenem* Præfectum Prætorio. *Si imperialis majestas causam conditionalitèr examinaverit & partibus cominùs constitutis Sententiam dixerit, omnes omninò judices qui sub nostro imperio sunt, Sciant hanc esse legem, non solùm illi causæ, pro qua producta est sed & omnibus similibus. Quid enim majus, quid sanctius &c.* Vetustiorum heic interpretum aliquot sententia supra indicatur, quibus adjicias Gallicanam *Ulpiani* de lege Regia verborum versionem pervetustam Ms. *Ce que plest au Prince à force de loy, pur ce que li pueples li ottroia en la loy Royall que fu fait de l'empire tout le commandement & tout te le poeste que il avoient & le mistrent sus lui & en lui.* Quod vulgares ibi interpretes, eis quos diximus recentiores, habent cuique obvium est. Legem verò *Hortensiam* quam ita huc vetustiores perperam torserunt, non omninò ad legem Regiam heic attinere, nedum ea innui, admittunt doctiores politorésque recentium, quorum quidem nonnullis etiam [u] legitur *lege Remnia* pro *Regia*. Regiam autem legem aliquam dici posse nemo non videt dupliciter, aut velut à Rege latam, aut de Rege seu regia potestate. Notione priore leges habentur Regiæ Romanorum perplurimæ apud *Dionysium Halicarnassæum* [x] quas etiam diligentèr exhibet *Fulvius Ursinus* [y] Etiam in Codice [z] memoratur *lex Regia* de prægnante muliere humanda, à Regum veterum aliquo lata. Posteriore autem notione planè dicitur heic lex Regia, atque pro ea rectè sumitur (nam aliæ prorsus rejiciendæ sententiæ) quâ Populus Romanus omne imperium & potestatem suam in *Octavium Augustum* Cæsarem ejusque successores transtulit, nec pristinum sibi omninò retinuit, qua de re quidem satis expressim *Dio Cassius* [a] in *Augusti* historia. Et *Suetonius* [b] de Cæsare illo. *Tribunitiam potestatem perpetuam recepit &c. recepit & morum Legúmque regimen æque perpetuum.* Sed & vetus extat Romæ in basilica Lateranensi seu inde in Capitolium translata Tabula ærea in qua Legis regiæ ipsius *Vespasiano* Cæsari instauratæ habetur fragmentum, unde sen-

r *C. tit. de legibus* ..1.
s *Basilic. lib. 2. tit. 5. l. 6.*
t *L. 12 C. tit. de legibus & vide Basilic. lib. 2. tit. 6. l. 17. & vide l. 3. C. tit. de Crimine Sacrilegii.*
u *Alciat. ad tit. de verb. signif. l. 15. Jo. Coras. Miscell. lib. 6. cap. 8.*
x *Antiq. Rom. lib. 2.*
y *In Notis ad leges & Senatusconsulta pag. 42.*
z *Tit. de Mortuo inferendo l. 2.*
a *Lib. 53.*
b *In Octav. cap. 27.*

ſum Legis heic apud *Ulpianum* Regiæ elicere non eſt difficile. Inter alia ibi ſummi ac ſolius imperii capita quæ *Veſpaſiano* velut hæreditaria confirmantur à populo, eodem ſcilicet modo quo anteà eis fruebantur *Auguſtus, Tiberius* ac *Claudius*, habetur & hoc, *Utique quæ ante hanc legem rogatam acta, geſta, decreta imperata ab imperatore Cæſare Veſpaſiano Auguſto, juſſu mandatove ejus à quoque ſunt, ea perinde juſta rataque ſint acſi populi plebiſve juſſu acta eſſent.* Deſcribitur Fragmentum integrum apud *Janum Gruterum* [c], *Fulvium Urſinum* [d], *Antonium Auguſtinum* [e], *Franciſcum Hotomanum* [f], *Barnabam Briſſonium* [g], alios. Atque ſenſu jam dicto, legem hanc regiam apud *Ulpianum* ſeu *Juſtinianum* ſumendam haud pauci conſentiunt interpretum recentiorum. Præter eos qui aut ad Digeſta & Inſtitutiones in ſede hujus legis aut de Imperio & Juriſdictione integra volumina ſcribunt, conſulas *Auguſtinum* & *Hotomanum* locis indicatis, uti etiam *Joannem Coraſium* [h], *Ludovicum Charondem* [i], *Petrum Tholoſanum* [k], *Franciſcum Connanum* [l], & ſanè præ aliis *Franciſcum de Amaya* in obſervationibus [m], qui rem copioſiùs explicat. Sed hæc obiter.

c *Inſcrip.* pag. 242.
d *In leg. et Senatuſconſultis marmoreis.*
e *de Legibus* pag. 125.
f *Antiq. Rom.* lib. 1. lit. R.
g *Formular.* lib. 2.
h *Miſcell. Juris.* lib. 6. cap. 8.
i *Pithanon* lib. 1. cap. 2.
k *Syntagm. Juris* lib. 47. cap. 20.
l *Comm. Juris Civilis* lib. 1. cap. 16. vide item *Emund. Merill. Obſervat.* lib. 2. c. 19.
m *Lib.* 1. cap. 1. §. 19. &c.

V. Atqui intereà, è locis ſuperiùs ex Jure Cæſareo ab Juris conſultis noſtratibus *Fletæ* utpote autore *Bractonio* & *Thorntonio* celeberrimis ac Judiciis cum primariis (quantum ad poſteriores binos attinet præfectis, ita allatis expreſſimque indicatis, atque in rerum quas tractarunt probationem & argumenta ſic adhibitis, idque velut aut autoritatem aut ſaltem rationem cogentem præ ſe ferentibus, manifeſtum fit Uſum qualemcunque neque eum adeò obſcurum apud majores noſtros eo in ſeculo Juris ejuſdem atque illius librorum in diſcuſſionibus noſtris etiam ex Jure Anglicano definiendis invaluiſſe. Non quidem omninò quaſi Regnum hoc ſeu Rempublicam *Anglicanam* Cæſaribus jurive Cæſareo ſubjici aut regimen heic inde pendere omninò, aut jus Anglicanum antè ſive ſcripto ſive moribus conſtitutum inde mutationem recipere voluiſſent (nam paſſim etiam jus hoc, qua multifariàm à Ceſareo diſcrepat eique planè adverſatur, ut ſequendum docent ipſi) Sed ut tum ubi deeſſet noſtri Juris præſcriptum expreſſius, ad rationem juris etiam Cæſarei ratione ſuffultam recurreretur, tum ubi jus utrumque conſonum, etiam Cæſarei quaſi firmaretur explicaretùrve res verbis. Quod certè alias apud gentes Occidentis olim hodiéque factum ſcimus. Et certe in illuſtri

illa

illa de Regia potestate apud nos quæstione definienda, locum ex autoritate sui habere nequibat ullum illud *Ulpiani* de lege Regia, cum nec vim in regimine publico nostrati ullam omninò ex autoritate sui sortiretur Jus Cæsareum. Nec quidem ab autoribus quos heic diximus nostris revera adhibetur dictum illud *Ulpiani* aliter atque moribus Anglicanis etiam ipsis quibus semper usi sumus, aut consonum esse aut saltem non dissonum sed satis adaptandum ipsi, prout ostendimus utcunque hallucinati, existimarent. Verus autem ejusdem, quà pars Cæsarei juris est, sensus qualis suprà exhibetur, regiminis *Anglicani* uti & rerum publicarum per *Europam Christianam* plerarúnque Constitutioni omninò adversatur, utpote quæ in Principem Romanum apertè omnimodam transtulerit potestatem & imperium, quantum scilicet ad homines conditionis liberæ regendos in principem citra tyrannidem transferri potuerit. Breviter rem ipsam explicat Cujacius [n]; *Augusto illo privilegio eadem est potestas Principis* (Romani) *quæ Populi fuit* alii doctissimorum tantundem. Nec quidem sive Plebiscitis sive Senatusconsultis post latam illam seu in usum revocatam legem Regiam vis inerat alia præter eam quam Augusti permittebant ipsi. Sed verò haud pauci sunt Scriptores [o] qui jus illud vetus Cæsareum popularium suorum juri paritèr adaptare satagentes, ita translationem illam seu, ut illi potius volunt, communicationem Imperii moderari & temperare ex pactis ac conditionibus tacitis variatìm conantur, ut etiam ab *Ulpiani Justinianique* dum eos interpretantur, mente quantum video, non vereantur longe nimis discedere, aliam scilicet & Cæsaribus priscis (quorum in regimine aliorum Principum ratio non ita habenda) prorsus imparem potestatem ac multò quam admittit vetustas Romana minorem adserentes. Neque hisce meliùs ii qui singulis Principibus Romanis singulas leges Regias easque diversas latas volunt [p], nec unicam, ut antè omnibus hac de re aut latam aut pro lata habitam. Et perperàm nimis Sententiam illam de omnimodo in Cæsares, quantum scilicet transferri ut dictum est potuerit, imperio translato, velut semper assentatoriam damnat. Certè non magis Principi cuiquam assentari dicendus est quisquis de immenso veterum Principum *Romanorum* imperio illo quid ei adfirmaverit, quam is qui summo Turcarum aliive ejusmodi Principi

n *In Paratitlis D. lib. 1. tit. 1. cap. 4.*

o *Videsis Francis. Suarez Defens. Fidei Catholicæ advers. Anglos lib. 3. cap. 2. §. 12. Francisc. de Amaya Observat. Juris lib. l. c. 1. § 45 &c. Tobiam Paurmeister lib. 1 de Jurisdictione Imper. Rom. cap. 19. § 7. &c.*

p *Marius Salomonius lib. de Principatu Paganin. Gaudent. Juridic. lib. 2. cap. 26. & vide Henric. Bourricium lect. Juris cap. 7. & Francisc. Connan. Comm. Juris lib. 1. c. 16. Rivall. hist. Juris Civilis l. 2.*

Principi angustos Regum *Spartanorum* veterum potestatis cancellos aliásve regiminum habenis variatim temperatorum formas ostenderet, dicendus foret ei aut convitium inferre aut majestatem dignitatémve minuere. Nec in imperio quidem nunc dicto *Romano*, quod *Germanicum* est, successio habetur in Jura *Justinianea*, quà *Justinianea* aut *Romanis* vetera. Neque ibi, nedum alibi capita de Principum potestate ejusdem juris vim habent ullam aliter atque à legibus moribúsque recentioribus, iisque perquam variantibus, id est, *Capitulatione Cæsareâ* seu *lege Regia Germanorum* diversimodè est permistum. De Capitulatione ac lege illa consulas *Benedictum Carpzovium* in Tractatu de ea uti & de simili apud alias gentes ante annos aliquot edito. Superiùs verò dictis de Juris Cæsarei heic qualicúnque inter Juris Anglicani peritos, idque quà tales, usu antiquitùs admisso adjicere etiam heic visum est non intempestivum, Quando, Quomodo atque Unde usus ejusmodi initia heic sumserit, creverit, inoleverit, idque aliquatenùs tam in Foro quam in Studiis Scriptísque (ut infra ostenditur) & demùm *quando* in Desuetudinem abierit, Qualis item, in seculis diu antè initia illa retrò actis, Usus juris ejusdem sive illius Intermissio heic haberetur. Nam & operæ fortè pretium nec loco huic alienum existimabitur puto curiosioribus compendio hæc indicare.

Anno 1622.

Caput quartum.

I. *Usus* Juris Cæsarei *in hac quam incolimus* Angli Britanniæ *parte, Romanis heic summâ rerum potientibus.*

II. *Cerni ejusmodi usum tum in* Coloniis *hùc deductis tum in* Civili *rerum heic tunc* administratione.

III. Papinianus. *Jurisconsultorum veterum ille facilè Princeps, in* Britannia *judiciis ex Jure Cæsareo exercendis præfuit;* Eboraci, *alibi. Fortè etiam* Ulpianus & Paulus *præter id genus alios his coætaneos.*

IV. *Duravit hic ejusmodi* Juris Cæsarei *usus, per annos* 360 *aut circitèr.*

USus Juris Cæsarei in hac *Britanniæ* quam incolimus *Angli* parte, in Triplici reperitur genere. Primum est ejusdem ut, in

in regimine, planè supremi & heic quasi universalis. Secundum est, ut adscititii tantùm seu immixti; atque Juri *Anglicano* tam Civili quam Pontificio non solùm interpretationem sæpiùs ex Ratione sua in Studiis Foròque præstantis, verùm etiam, ubi aut deerat expressus in *Anglicano* præscriptum, aut huic, ut in non paucis, illud omninò erat consonum, velut Autoritatem, non ex condentium potestate sed ex utentium heic consensu seu admissione, subministrantis. Tertium, ut consistoriis aliquot tantùm causisque aliquot singularibus veluti Militaribus, Nauticis, Testamentariis, adstricti, adeóque cancellis ita coerciti ut extra eos ex more non fuerit ejusdem usus admissus. Sic *Rhodiorum* leges nauticæ *Romæ*, sic *Oleronianæ* nobis aliisque gentibus Christianis maritimis receptæ. De Primo & Secundo genere heic maximè agemus; cum genus tertium nemini non sit notissimum. Quod ad Primum attinet; habebatur illud tantùm *Romanis* heic rerum summâ potientibus. Usus ejusmodi coepit *Claudii* Cæsaris tempore. Nam *Britanniam à Julio Cæsare in latas leges jurare compulsam*, quod temerè scripsit Monachus *Malmesburiensis* [a] aliique ejusdem aliorùmve similium heic sequaces, non omninò est admittendum. *Claudius* autem, ut *Ethelwerdus* ait, *Britonum Reges subjecit servire sibi*, & australiorem insulæ partem in Romanorum potestatem redegit. Atque ab ejus tempore quo primùm huc deductæ Coloniæ, duravit heic usus ille usque in tempora illa quibus adeo inclinavit heic *Romanum* imperium, ut excusso ejusdem jugo, incolæ in sui potestatem reversi suique facti juris Cæsareum omninò rejecerint, saltem ita neglexerint ut citò evanesceret, quà tale; utcunque ejusdem reliquiæ aliquot quæ sic inoleverant ut juris *Britannici* naturam induerent, necessariò forsan (quod nec alitèr fieri potuisse videtur) essent retentæ.

[a] *De gest. Regum Angliæ lib. 1. cap. 1.*

II. Cernitur autem hic usus potissimùm tum in Coloniis sic hùc deductis, tum in Civili rerum per intervallum quod diximus heic administratione. Colonias ipsas jure in Provinciis uti solitas Romano, adeóque sub Cæsaribus Cæsareo urbísque ipsius meras fuisse expressissimásque imagines satis est tralatitium [b]. Et disertè *Tacitus* [c] Coloniam heic primam, seu quæ *Camaloduni* erat, non solùm ut adversus rebelles esset subsidium sed *imbuendis sociis ad officia legum* ait huc deductam.

[b] *Vide Agellium lib. 16. c. 13. Sigonium. Rosfinum* [illegible]

[c] [illegible]

ductam. Quo planè innuitur etiam *Britannos*, quotquot aut socii essent seu ut Romanis amici aut subditi seu in potestatem bello redacti, tunc imbuendos ad officia legum seu juris Cæsarei observationem, & proculdubio etiam sic fuisse à Colonia hac aliisque similibus imbutos. Id sanè quod haud difficile tunc erat alia ex causa non ita obscura. Jure enim pristino quod totum erat *Druidum* disciplina (ut ex *Julio Cæsare* ac perquam probabili doctorum virorum conjectura qui disciplinam illam pariter apud *Gallos Britannosq;* in rebus omnimodis, tam profanis quam sacris, administrandis viguisse sentiunt, est eliciendum) Jure inquam illo, tam apud *Britannos*, ut par est credere, quam *Gallos*, prorsus à *Claudio* sublato [t], faciliùs multò erat novum adeóque Cæsareum seu Victoris jura passim introducere. Alia ad Colonias hujus provinciæ (quorum nomina habemus quatuor aut quinque; & dubitandum non est complures fuisse alias) hoc nomine spectantia alibi [u] congessimus, neque heic iteranda duximus. Civilis autem rerum heic sub *Romanis* administratio in qua juris Cæsarei usus primi habetur generis, satis visitur in Officiis seu Dignitatibus Vicarii *Britanniæ*, qui Præfecto prætorio *Galliarum* suberat, Consularibus, Præsidibus, Proprætoribus, id genus reliquis quorum, ut in hac insulæ parte suo regentium jure, mentio expressior tum in Notitia Dignitatum Imperii Occidentis tum in *Romanis in Britannia* apud doctissimum *Gulielmum Camdenum* è veteribus eos accuratiùs exhibentem. Et quod de *Gallia* dixit *Julius Cæsar*, de *Britannia* hac itidem tunc planè dicendum. *Respicite*, inquit, ille [x], *finitimam Galliam, quæ in Provinciam redacta Jure & Legibus commutatis perpetuâ premitur servitute.* Præ aliis autem illustre est exemplum *Spetimii Severi* Augusti, qui sub annum Christi 200 εἰς δύο ἡγεμονίας (sic Herdoianus [y]) τὴν τοῦ ἔθνους ἐξουσίαν *in duos Principatus* seu *Præfecturas Gentis imperium* seu *potestatem* distribuit, quod à doctis aliquot accipitur pro binis Regimentis [z] seu Præfecturis prætorianis, id est, binis præfectis Prætorio qui in præfecturis suis singuli jus dicerent heic *Romanum*. Dein etiam idem Augustus filios suos *Bassianum* & *Getam* Cæsares seu designatos Successores, ut ab urbis deliciis eos abstraheret, secum in *Britanniam* ducens *Getam* juniorem, juri tantùm heic dicundo præfecit, assignatis ei, ex Amicorum senioribus seu præcipuis.

t *Sueton. in Claudio c. 25. vide Plin. l. 30. cap. 1.*

u *Not. in Fortiscu. p. 9. &c.*

x *Comm. de bello Gallico lib. 7.*

y *Hist. 3.*

z *Richard. Vitus hist. Brit. lib. 5. Not. 11. De* Regimenti *voce consulas Charisium D. tit. de Præf. Præt. & Festum in verb.* Regimen.

præcipuis, adsessoribus. Sic Herodianus a. Γέταν καταλιπὼν ἐν τῷ ὑπὸ Ῥωμαίοις ἔθνει δικάσοντά τε καὶ τὰ λοιπὰ διοικήσοντα πολιτικὰ τῆς ἀρχῆς (δοὺς αὐτῷ συνέδρους τῶν φίλων τοὺς πρεσβυτέρους) τὸν δὲ Ἀντωνῖνον παραλαβὼν ἐπὶ τοὺς βαρβάρους ἠπείγετο, id est, *Getam in gentis parte quæ Romanis suberat relinquens ut scilicet jus diceret & reliquas imperii res civiles administraret (datis ei ex Amicorum senioribus Synedris* seu *adsessoribus* seu Consiliariis) *Antoninum* (id est *Bassianum*, licet revera uterque hoc nomine etiam patre superstite frueretur) *secum adversus Barbaros eduxit.* Atque, erat quidem hic *Geta, moribus asperis, sed non impiis, & tractator* (quasi *Scholasticus* diceres) ac in *literis assequendis & tenax veterum scriptorum & paternarum etiam sententiarum memor*, quod ait *Spartianus* b. Quicquid igitur *Britanniarum* tunc *erat Romanorum* in potestate, seu pars ab muro illo seu vallo Pictico qui *Cumbriam* intersecat meridionalis, *Antonino Getæ* jam velut heic Præfecto Prætorio seu ab Imperatore secundo ac imperii participi in administratione civili jurèque dicundo suberat.

a *Hist* 3.

b *In Antonino Geta.*

III. Nec sanè dubitandum videtur quin inter Assessores seu Consiliarios illos etiam & inter eos qui ipsi Augusto judicia quotidè c à tempore matutino usque in meridiem exercere solito, utpote & juris peritissimo, adsideret, locum haberet heic primarium *Æmylius Papinianus* Asylum juris veteribus dictum, seu ille omnium qui sunt, qui erunt, quique fuerunt juris peritissimus (ut *Cujacii* d de eo fertur judicium) atque autoritatis ante *Justinianum* præ reliquis tantæ ut ubi pares erant Sententiæ invicem adversæ ea prævaleret e in qua fuisset *Papinianus*, qui & Amicissimus *Severo* Augusto cum eo simul professus est sub *Cervidio Scævola*, & sibi præcipuè utrunque Augusti filium habebat commendatum. Nimirùm certissimum est non solùm in *Britanniæ* hac parte *Septimo Severo* f ut comitem eum adfuisse, verùm etiam in urbe *Eboraco* egisse ubi Augusti prætorium erat ac Tribunal in quo judicia non solùm ipsum Augustum sed etiam *Getam* subinde cum Consiliariis illis exercuisse non est quod ambigamus. Ita expressim ex *Dione Xiphilinus* g de *Papiniano*; ubi *Bassiani* meminit in via occidere tentantis patrem; *qui tamen nullum*, inquit, *verbum fecit sed in tribunal* (Eboraci) *ascendens per iegèrique quæ necessaria erant, revertit in Prætorium* καὶ καλέσας τόν τε υἱὸν καὶ τὸν Παπινιανὸν καὶ τὸν Κάστορα &c.) *& accersitis filio & Papiniano & Castore*

c *Xiphilinus è Dionis lib.* 76.

d *In Epist. ad Bedinger. præfix. Codici Theodos. quem & videsis in præfat. ad Papiniani opera.*

e *C. Theodos. l.* 1. *tit. de responsis Prudentum.*

f *Spartian. in* Antonino Caracalla.

g *Hist.* 76. *In* Severo. & *vide Gul. Cond. Brit. pag.* 572.

Castore verba de facinore ad filium habet, in quibus, *si me cupis*, ait, *interficere, heic me interfice* &c. *quod si id recusas et times tua manu facere, adest tibi* (Παπινιανὸς ὁ ἔπαρχος) *Papinianus præfectus cui jubere potes ut me interficiat. Omninò enim faciet quicquid abs te quum Imperator sis, mandatum fuerit.* Sic ille. Scilicet erat *Papinianus* Præfectus Prætorio i tam *Severo* quam *Antonino Caracallæ* seu *Bassiano* Successori. Solem igitur illum ac asylum Juris, & doctrinæ legalis thesaurum (sic enim Spartiano k nuncupatur, & elogiis sanè miris passim in corpore *Justinianeo* ornatur) jus in *Britannis* nostris Cæsareum dixisse ac docuisse ut satis palam est, ita etiam in Senioribus Amicorum *Getæ* l heic judiciis præfecti pro consiliariis ei assignatis, primarium fuisse credendum. Is erat cujus opera ante annum Tertium studiosis ob mirum acumen & subtilitatem attingere fas non erat, inde postmodùm *Papinianistæ* m solenniter dicti. Cæterùm in *Britannia* fuisse eum non video quenquam Jurisconsultorum biographorum omninò memorare. Nec præter *Dionem Cassium* (quem sanè etiam in judiciis heic cum *Severo* adfuisse æquum est ex ejusdem Scripto n suspicari) historicorum veterum quisquam id tradidit. Quin & *Paulum* ac *Ulpianum* aliósque aliquot ejusdem temporis illius Juris Cæsarei heroes comitatûs heic tunc imperatorii partes fuisse non ita absonum est autumare, dum scilicet & ex Senioribus *Antonini Getæ* Amicis (quod illo in ævo nomen dignitatis o singularis, non tantùm officii, in domo & comitatu Augustali fuisse sciunt docti) adsessores ei adsignatos advertimus, & tam *Ulpianum* quam *Paulum*, *Papiniano* præfecto qui planè heic aderat adsessuram p gessisse consideramus. Imò & rescripti illius de mancipiis bonâ vel malâ fide possessis *Ceciliæ* cuidam à *Severo* & *Antonino* Augg. *Eboraci*, consulibus *Fausto* & *Rufo*, id est anno Christi 210. datiq originem seu causam è lite aliqua *Britannica* duxisse, non est quod non admittamus. Ita floruit tunc temporis juris Cæsarei heic usus uti & simul heic floruere juris ejusdem viri peritissimi illustrissimique è Romanis. Et sanè firmatur diffusior in hac insulæ parte quæ Romanis parebat ejusmodi usus etiam ex eo quod Augustus ille animam exhalaturus *Eboraci* (ubi obiit, postquam biennio r amplius sub eo regimen heic civile quale diximus viguerat) *turbatam se* dixit s *rempublicam ubique accepisse, pacatam etiam Britannis relinquere*

i *L. lecta est 40. D. tit. de rebus creditis; & Spartian. in* Antonino Caracalla, *Fr. Connanus Com. Juris li. 4. cap. 13 Guid. Panziroll. de Claris leg. interp. lib. 1. cap. 55. &c.*
k *In Severo.*
l *Videsis Joann. Bertrand. de Jurisperitis lib. 1. in Papiniano.*
m *Hist. Juris à Justiniano composit.*
n *Hist. 76.*
o *Videsis Claud. Salmasium in August. hist. pag. 47. & 307. & 308.*
p *Lampridius in* Alexandro Severo, *et videsis l. 40. lecta est D. tit. de rebus creditis.*
q *C. tit. de rei vindicatione l. 1.*
r *Dio lib. 76.*
s *Spartianus in Severo.*

relinquere. Atque ex ejusmodi qualem diximus heic juris Romani usu apud veteres occurrunt illa, —— *Latia sub lege Britanni* [t], & non tam *Britanniam* quam *Romaniam* [u] dicendam citeriorem insulæ partem, ut *Taciti* [x] testimonium de moribus *Romanis* in *Britannos* transfusis expressissimum, alia id genus prætereamus. Provinciæ igitur heic, Pagi, Præfecturæ, Oppida hoc jure tunc regebantur; secundùm quod de *Londino* optimè *Guilielmus Camdenus* ubi nec Coloniæ nec Municipii nomine insignitam urbem illam adnotât. *Præfecturam itaque*, inquit [y], *ut opinor, constituerunt* (Romani) *sic enim vocabant oppida in quibus nundinæ agebantur & jus dicebant, ita tamen ut Magistratus suos non haberent, sed præfecti quotannis in ea mitterentur qui jus dicerent, quod in publicis negotiis nempè census, tributorum, vestigalium, militiæ* &c. *à Romano Senatu peterent.* Etiam Municipia si quæ fuere [z] non aliter eidem juri heic suberant atque urbes oppidáque apud nos non pauca, quibus sui sunt mores legésque singulares, *Juri Anglicano* quod Commune vocitamus. Jure enim illo mores illi legésque singulares & interpretationem recipiunt & sæpenumerò ex ejusdem autoritate coercentur, quod nemo nescit.

[t] Vet. Poet. Catalect. lib. 1. tit. 7.

[u] Guildas in epistola de Excid. Brit.

[x] In vita Julii Agricolæ.

[y] Britan. p. 304

[z] Videsis Camden. Brit. pag. 572.

IV. Duravit autem Juris Cæsarei quale diximus heic regimen, sed pro vario ac mutante subinde rerum statu aliter atque aliter se subinde habenss per annos trecentos ac sexaginta aut circitèr, id est à *Claudii* Cæsaris temporibus (inde enim heic meritò auspicamur, non à *Julio* aliisve *Claudium* antecedentibus, qui potius Britanniam cogitarunt quam partem ejus aliquam sibi subjecerunt) usque in Imperium *Honorii* Augusti seu tempus quo ab *Alarico* Gotho Roma capta est. Id est ab Anno quasi 50 Christi ad annum ejusdem 410. aut circiter. Sub id scilicet tempus [a] *Marco*, dein *Gratiano* & demùm *Constantino* regibus etiam per defectionem [b], seu Augustis heic constitutis, atque *Constantino* relictâ insulâ in *Gallias* transeunte rebúsque adversis planè oppresso sublatóque, transrhenanis item barbaris cuncta pro libitu invadentibus, atque *Romanorum* imperio adeo in Occidente acciso ut amicis nullatenus subvenire possent, tum *Celticæ* aliquot gentes tum *Britanni* nostri necessitate adigebantur τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς (sic Zosimus [c]) ἀποστῆναι καὶ καθ' ἑαυτοὺς βιοτεύειν οὐκ ἔτι τοῖς τούτων ὑπακούοντα νόμοις, *ut ab imperio Romano deficerent et Romanorum legibus non ampliùs obedientes arbitratu suo*

[a] Zosimus lib. 1. Olympiodorus apud Photium cod. 80.

[b] Procopius Vandalic. lib. 1. pag. 94. b

[c] Histor. lib. 6.

ſuo viverent. Et *Celticæ* illæ nationes τὺς Βρεττάννυς μιμησάμεναι, *imitatæ Britannos* (ita idem Scriptor) κατὰ τὸν ἴσον σφᾶς ἠλευθέρωσε τρόπον. Ἐκβάλλουσι γὰρ τὺς Ῥωμαίυς ἄρχοντας, οἰκεῖον δὲ κατ' ἐξουσίαν πολίτευμα καθιστᾶσι. *conſimili mode ſe liberarunt. Nem ejectis preſidibus Romanis propriam quandam rempublicam ex arbitratu ſuo conſtituerunt.* Heic finis uſus juris Cæſarei jam dicti collocandus, quà Cæſarei, ſeu quà autoritatem ex Cæſarum imperio habentis; utcunque proculdubiò è tam diutina quæ per ſecula illa anteacta invaluerat conſuetudine, non ſupereſſe, ſaltem aliquanediù, non potuerint aliquot ejuſdem, in regimine novo ſeu recenti illo ex arbitratu incolarum nato, reliquiæ, quæ nunc conſenſu utentium retinente temperantève, non omninò ut antè imperantium ſeu Cæſarum autoritate ſubniterentur. Atque hoc eſt quod ait Beda [d] *ex eo tempore* (quo capta eſt à Gothis Roma) *Romani in Britannia regnare ceſſarunt*; quod ſanè etiam Procopio [e] ſatis affirmatur. Apud alios finis *Romani* heic imperii citeriùs ponitur, anno ſcilicet Chriſti 434 [f] aut 435 ſeu ſub media *Theodoſii* Junioris tempora. Chronologia vetus Anglo ſaxonica [g]; CCCCXXXV. Her Gotan abræcon Rome burh. ⁊ næfre ſiþþan Romane ne ricſodon on Bryttene, *Hic Gothi urbem Romanam vaſtarunt. Neque unquam poſteà Romani regnabant in Britannia.* Quod verò adjicitur ibi regnum illud ab *Julio Cæſare* ſic duràſſe ex veterum aliquot natum eſt hallucinatione, qui adventum ejus in *quæſitos*, ut ait *Lucanus*, *Britannos*, pro victori oſcitantèr nimis ſumſere. Atque alii de Romani imperii heic fine aliter aliterque. Sed de minutioribus temporis apicibus heic non diſputamus. Et quantum ad rem quam tractamus Sufficere puto quæ dicta ſunt. Quia autem de tempore citeriore loquuntur, non tam de fine heic imperii *Romani*, quam de Romanis hinc diſcedentibus videntur capiendi.

d *Hiſt. Eccleſ. lib.1.cap.11. et in epit. Hiſt. Anglic.*
e *Vandalic.l.1 pag. 94.b.*
f *Chronolog. Saxon. Æthelwerdus, Florilegus &c. vide Jacob. Armachanum de Britannicarum Eccleſ. primordiis cap.12. et pag. 599. Guid. Pancirol. in Notit. Occidentis cap. 83. adde Camden. Brit. pag. 94.*
g *Pag. 507*

Caput

Caput Quintum.

I. *Quibusnam in libris* Jus *illud* Cæsareum *contineretur cujus per intervallum* Romani *heic* imperii *seu annorum quasi* 360 *superiùs memoratum, usus, qualis ante ostensus est, heic habitus.*

II. De Codice Theodosiano. Editionis *ejus* Annus *verùs sibi restitutus, contra tum* Jurisperitos *tum* Chronologos *hactenus ea in re hallucinatos.*

III. *Quomodo mutatum in* Codice *illo* Jus Cæsareum *nováque facie tunc indutum.*

IV. *De* Juris Cæsarei *à barbaris itidem novati usu in* Occidente *post vastatum ab illis* Imperium Romanum *usque in* Justiniani *tempora, in* Italia, Hispania, Galliis: *Juris scilicet maximè in* Theodosiano *codice reliquisque* Anianeis *seu* Alaricianis *reperti.*

V. Justinianei *Juris, quà talis, in* Oriente *usus diutinus. In* Occidente, *per multa ab eo secula, in regimine publico, nullus.* Theodosianum *corpus, cum adjunctis,* Romani *seu* Cæsarei nomine *ut ante ita & post* Justinianum *usque in Seculi duodecimi aut circitèr medium, variatim in* publico apud Occidentales aliquot gentes regimine *receptum.*

VI. Codicis Theodosiani *atque adjunctorum apud* Scriptores & Studiosos *per intervallum illud, usus. Et de celeberrima lege* Constantinianâ *in seu cum eo vulgo obtensa, qua immanis olim & stupenda* Episcopis *seu* generi Hieratico *tributa jurisdictio. Eam reverà Codicis illius (cujus ad calcem reperitur) partem nunquam fuisse, sed diù antè abrogatam, à falsariis aliquot esse adjectam.*

PEr intervallum annorum 360 aut circitèr jam ante ostensum seu à *Claudii* Augusti tempore usque in *Honorii*, quo finis heic Imperii Romani, Jus, cujus in hac insulæ nostræ parte usus quem diximus habitus est, *Cæsareum* sedes habuit suas in Duodecim Tabularum reliquiis, in Senatusconsultis ac Plebiscitis priscis recentioribúsque, quotquot scilicet à Principibus firmata, admissa, retenta sunt in Prætorum edictis, veteribus illis libris, *Gaii, Scævolæ, Papiniani, Ulpiani, Pauli*, reliquorum id genus vetustiorum è quibus posteà conflatæ sunt *Justiniani* Pandectæ, atque in Sanctionibus demùm *Cæsarianis Theodosium*

juniorem

cet & Silentiariis, habetur in Codice illo [e]. Subscribitur nempe *Dat. XVIII. Kal. Aprilis Constantinopoli post Consulatum Isidori & Senatoris*, qui anno illi respondet. Edictum igitur de autoritate Codicis à *Theodosio* & *Valentiniano* Augustis ad *Florentium* Præfectum prætorio Orientis perperam planè signatur consulatu decimo quinto *Theodosii*, quod nemo non videt. Ad decimumsextum planè consulatum seu annum Christi 438. attinet Edictum illud. Adeóque erroris Chronologici non ferendi omninò convincuntur qui editionem Codicis illius triennio ante collocare solent, ut *Sigonius* [f], *Contius* [g], *Freymonius* [h], *Baronius* [i], *Calvisius*, Chronologiæ Codici *Theodosiano* subjunctæ autor, alii. Codex hic primus erat Sanctionum Imperatoriarum ex autoritate Principali seu Augustorum auspiciis editus. *Gregorius* enim, *Hermogenes* ac *Papirius*, ut privati tantum suos composuerant codices, in quibus constitutiones fuere tantùm Principum qui antecesserant paganorum. In *Theodosianum* verò receptæ sunt tantummodò Christianorum principum sanctiones quæ scilicet à *Constantino* magno & successoribus ejus ante *Theodosiani* natales emissæ atque à *Theodosio* & *Valentiniano* tertio selectæ.

e Lib. 6. tit. 23. l. 4.

f De Occidentali imperio lib. 12.

g In Fastis Consularibus.

h Symphonia Juris Chronologica.

i Tom. 5. ann. 435. num. 23.

III. Voluere autem Augusti illi in *Theodosiani* confirmatione, *licentiam fore nulli ad forum & quotidianas advocationes* (ita se habet Novella seu Præfatio jam dicta) *jus principale deferre vel litis instrumenta componere nisi ex his videlicet libris* (ipso nempe Codice *Theodosiano* seu ejusdem libris 16) *qui in nostri nominis vocabulum transierunt & sacris habentur in scriniis. Quanquam nulli retrò Principum æternitas sua detracta est; nullius latoris occidit nomen. Imo lucis gratia munerati* (ita è Ms. legendum, pro eo quod in editis est nunc *mutuati* nunc *mutati claritudine consultorum augusta nobiscum societate conjunguntur. Papiniani* item, *Pauli, Gaii, Ulpiani, Modestini*, uti & aliorum quorum tractatus & sententias suis illi operibus miscuerant, veluti *Scævolæ, Sabini, Juliani, Marcelli*, omniúmque quos illi celebrarunt Scripta eodem in Codice [k] firmantur. *Ubi autem diversæ sententiæ proferebantur potius numerus vincebat autorū. Vel si numerus æqualis esset, ejus partis præcedebat autoritas in qua excellentis ingenii* Papinianus *eminebat; qui ut singulos vincebat, cedebat duobus. Notas autem* Pauli *atque* Ulpiani *in* Papiniani *corpus factas, sicut dudùm statutum est, præcipiebant infirmari.*

k L. unic. C. Theod. tit. de responsf. Prudent.

mari. Ubi autem[l] *pares eorum Sententiæ recitabantur, quorum par censebatur autoritas, quod sequi deberet, eligebat moderatio judicantis. Pauli quoque sententias semper* (sed non sine temperamentis antedictis) *valere* præcipiebant. Sequutæ sunt Constitutiones Novellæ *Theodosii* hujus, *Valentiniani* ejusdem, *Martiani*, *Majoriani*, *Severi*, *Anthemii* Augustorum. Id autem quod diximus constituerant inter alia ad Senatum Romanum missa *Theodosius* & *Valentinianus* sub annum ante Codicis illius editionem decimum seu Christi 428 id est *Theodosio Aug.* XII. (non VII, ut mendosè in impressis) & *Valentiniano* II. Consulibus. Et rectè numerum heic correxit *Baronius* m, quem oscitanter retinuit, ubi Sanctionem hanc describit, *Valentinus Forsterus* * impressorum seca è nimis sequax. Idem etiam in Codicem suum retulere *Augusti* illi; ubi in *Anianeo* seu *Alariciano* interpretamento n habetur, *Gregorianum & Hermogenianum ideo legem istam præterisse quia suis autoritatibus confirmabantur ex lege priore sub titulo de Constitutionibus Principum & Edictis.* Id quidem verum est, primum Codicis hujus titulum ita se habere. Sed nihil omninò in eo mihi reperitur, quo Codices illi bini alteri aut Constitutiones aliquæ omninò Principales temporum anteriorum firmentur. Sed verò quibusnam tunc temporis in libris haberetur jus quod obtinuit *Cæsareum* ex jam breviter dictis satis liquet, unde partim etiam de Jure illo, quà usus heic ejusdem proximè antè erat, est dijudicandum.

IV. Haud ita diu post, quasi in nihilum evanuit *Imperium* per Occidentem *Romanum* (modo angustias illas Exarchatus *Ravennatis* excipias) ab irrumpentibus *Gothis*, *Vandalis*, aliis è Septentrione gentibus dilaceratum, variáque in regna distractum. Inde simul Juris Cæsarei quod diximus *Justiniano* vetustioris, quà Cæsarei aut ex Augustorum autoritate pendentis, usus ut evanesceret necesse etiam erat. Ita tamen, sub condentium etiam nomine, retinebatur usurpabatúrque inter gentes illas victrices ut *Romæ* ac per *Italiam* in regimine publico à *Theodorico* Rege sub id tempus *Ostrogotho* & successoribus aliquot adhiberetur ipsorum interim novis edictis interspersum; id quod ex *Cassiodori* libris Variarum manifestissimum est. Atque *Alaricus* secundus *Wisigothorum* in *Hispaniis Galliáque* meridionaliori rex operâ *Aniani* è codice *Theodosiano ac diversis* o *libris leges sive species Juris elegit & explanavit, nec aliud cuilibet*

aut

[l] *De lectione heic vide Jo. Bertrand. de Jurisperitis lib. 1. pag. 12.*

m *Annal. tom. 5 ann. 435. Num. 23.*

* *In hist. Juris Civilis lib. 2. in Papiniano.*

n *Ad l. unic. C. Theod. tit. de resp. prudent.*

o *Præfat. ad Cod. Theodos. Sigon. de Occidental. imperio lib. 16.*

aut de legibus aut de jure licere in disceptationem proponere constituit præterquam quod Liber inde congestus amplecteretur. Liber ille seu *Breviarium*, tum *Anianeum* tum *Alaricianum* dicendum, ipsissimus est *Codex* ille *Theodosianus*, nec tamen ipse satis integer quo nunc utimur, & reliquæ cum eo conjunctæ *Theodosii*, *Valentiniani*, *Martiani*, *Majoriani*, *Severi*, *Anthemii* Augustorum Novellæ, uti etiam Excerpta ex Codicibus *Gregoriano* & *Hermogeniano* atque interpretamenta qualiacunque *Anianea* à sensu Cæsareo nimis interdum aliena (quod ab viris doctis sæpiùs notatur) præter *Gaii*, *Pauli*, *Ulpiani*, *Papiniani* seu *Papiani*, ut ibi dicitur, fragmenta, sed pro transcribentis libitu interdum mutata [p], atque intersertum ut puto *Volutii Metiani* opusculum de vocabulis ac notis partium in rebus pecuniariis. *Anianus* [q] ipse; *Ex his omnibus Jurisconsultoribus ex Gregoriano, Hermogeniano, Caio, Papiniano* (seu *Papiano*) *& paulo quæ necessaria Causis præsentium temporum videbantur elegimus*. Nonnulli tamen octo tantùm libros priores *Theodosiani* in *Alaricianis* hisce fuisse malunt [r]. Denominata autem sunt reliqua conjuncta *Theodosiana* non minus atque ipse Augusti Codex, unde tum *Ivo Carnotensis* [s] tum *Gratianus* [t] *Pauli* sententias aliquot leges appellat expressim *Theodosianas*. Hinc etiam verba *Pauli* & interpretatio, *Aniana* lex diserte antiquitùs nuncupatur [u], qua de re videsis plura apud *Joannem Savaronem* ad *Sidonium Apollinarem* [x], ubi etiam rationem reddit dicti illius *Sidoniani* de *Seronato* (sub *Anthemii* Augusti tempora, seu paulò ante *Anianum*) *leges Thodosianas calcans Theodoricianásque proponens, veteres culpas, nova tributa perquirit*. Ita scilicet ante *Anianum* seu *Alaricum* illum leges signantèr discriminatæ. Et de *Theodoricianis* hei nomnisque causa vide itidem *Cujacium* [y] in Epistola ad *Emaricum Ranconetum*, *Baronium* [z] & *Innocentium Cironium* [a]. Atque observandum est quidem diù ante *Alaricum* hunc seu sub annum 412 consilium iniisse *Ataulphum* [b] Gothum *Romana* omnia adeo in *Gothicum* nomen moresque mutandi ut *Romanum* planè obliteraretur, sed postmodum consilio hoc gravissimas ob rationes rejecto magnopere studuisse ut *Romanæ restitutionis autor haberetur, postquam esse non poterat immutator*. Promulgatũ autem est illud tam seu potiùs *Alaricianus* sic quam *Theodosianus* dicendus Codex, anno Christi 506. Nec dubitari potest quin apud

p *Alciat. Parerg. lib. 2. cap. 26. alii.*
q *Gl. ad C. Theod. l. unic. de Resp. Prudentum.*
r *Vide Guid Panziroll. de Clar. leg. interpr. lib. 2. cap. 3.*
s *Pannorm. l. 4. cap. 127, & 128. &c.*
t *Caus. 2. quæst. 6. cap. 22. propter affluentiam. 24, 25.*
u *In Synod, Parisi. sub Ludovico Pio apud Ivonem Decre. l part. 14. cap. 25. Pannorm. lib. . cap. 124. Grat Caus. 24. quæst 3. c. 1.*
x *Lib. 2. Epist. 1.*
y *Præfix. Cod. Theodosiano.*
z *Annal. tom. 6. ann. 468. num. 12.*
a *Observat. Juris Canonici lib. 5. cap. 1.*
b *Orosius lib. 7. cap. 43. et vide Goldast. Imperator. Constitut. tom. 3. pag. 586.*

Francos plerúnque eo in seculo retinerentur Jura illa in corpore illo reliquísque jam dictis contenta. Nam expressim *Agathias* [x] de tempore non suo solùm (vixit ille sub *Justiniano*) sed & pristino verba faciens, moréque Francorum enarrans καὶ πολιτείᾳ inquit ὡς τὰ πολλὰ χρῶνται Ῥωμαϊκῇ καὶ νόμοις τοῖς αὐτοῖς καὶ τὰ ἄλλα ὁμοίως ἀμφί τε τὰ συμβόλαια καὶ γάμους καὶ τὴν τοῦ Θείου θεραπείαν νομίζουσιν *& Politiâ plerúnque utuntur Romanâ & legibus eisdem, eandem etiam Contractuum & Nuptiarum rationem & divini Numinis cultum tenent.* Quæ ut reliqua antedicta de tempore post *Theodosium* juniorem, de codice *Theodosiano* aliisque illis *Anianeis* seu *Alaricianis* intelligenda. Et de *Occidente* usque ad *Justiniani* tempora, post adeò accisum ibi Romanum imperium, quantum ad Jus attinet Cæsareum, sic statuendum.

V. Sub nonagesimum autem à prima *Theodosiani* Codicis editione atque ab *Alariciana* interpretatione vigesimum quartum annum seu Christi 530. partes aliquot corporis sui *Justinianus* in *Oriente* promulgare cœpit, quod integrum ante annum 565. quo ille mortuus est, absolvitur. Nec *Theodosiani* jam aut *Gregoriani* aut *Hermogeniani* aliorúmve juris Codicum mansit ibi autoritas qualis antè fuerat, nec *Papiniani* prærogativa pristina. Alia quamplurima novata, refixa, abrogata, inducta. Militaria Forensia, Leges mutavit, alias invexit *Justinianus*, Ὅπως ἅπαντα νεώτερά τε καὶ αὐτῷ ἐπώνυμα εἴη, quod scribitur *Procopius* [y], id est, *ut omnia nova & de suo nomine dicerentur*. Qua de re vide apud eum plura in Arcana historia atque in *Nicolai Alemanni* notis, observatu etiam ad hanc rem perquam digna. Corpus illud dein, ab Jure pristino seu *Theodosiano* admodum diversum, tum per Orientales imperii partes tum in Exarchatu *Ravennate* usque ad illum ab *Aistulpho* rege anno Christi 752. deletum [z], & postmodùm sanè in *Oriente* usque ad captam à *Turcis Constantinopolim* sub annum Christi 1453. cum etiam, *Mahumedis* qui cepit jussu, *Maximus* patriarcha inter alios libros καὶ τοὺς Κώδικας τοὺς Βασιλικοὺς *Codices Imperatorios* (quod de juris Cæsarei sive corpore *Justinianeo* sive *Basilicorum* libris sexaginta inde sumtis par est ut intelligas) dicitur [a] in Arabicum transtulisse, in futurum, ut videtur, *Mahumedici* imperii usum. Et continuum Juris illic veteris Cæsarei usum satis scimus ex *Basilicis* ipsis eorum Synopsi, *Harmenopulo*, *Attaliata*, *Photii Nomocanone*, *Balsamone*, *Zonara*, *Psello*, aliis non paucis Græcis Juris

x *Historiæ Justiniani lib.* 1.

y *Hist. Arcan. pag.* 49.

z *Sigon de regno Italiæ lib.* 3.

a *Hist. Politic. Turcogræc. lib.* 1. *num.* 56.

Juris sive Cæsarei sive Pontificii cum Cæsareo mixti libris passim obviis. Quod verò ad *Occidentem* attinet; Ejus imperium, qua *Cæsareum*, annis amplius quinquaginta ante *Justinianum* in nihilum fermè evanuerat. Et de ipsius *Justiniani* etiam tempore satis testantur *Procopius* & *Agathias* ei coævi. Nec omninò admittendum aliter atque palàm adulatorium quod *Justino* Juniori, *Justiniani* successori, aliquoties tribuit *Corippus Africanus* ubi eum *Mundi* ac *Orbis* dominum appellat. Alia id genus eo in seculo perquam ridicula sunt; nisi ideo tantùm dicta velis ut avita Imperatorum jura sic assererentur, non ut potestas ac imperandi facultas præsens in *Occidente* inde innueretur, quam quidem in cancellos angustissimos jam antè coercitam post unum & alterum seculum aut circiter omninò desiisse, ex historiis est manifestum. Jam verò Jus Cæsareum, tum post Barbarorum irruptiones illas ante *Justinianum*, tum in seculis post eum sequentibus dupliciter considerandum est; aut quà in Regimine Publico usurpatum est, aut quà Studiosis in musæis lectum est neglectùmve seu à Scriptoribus adhibitum. Atque in utraque consideratione per se Codicis *Theodosiani* & reliquorum quæ cum illo conjuncta sunt, seu Corporis *Alariciani*, id est Juris *Justinianum* antevertentis seu Cæsarei vetustioris, ac per se corporis *Justinianei* seu Cæsarei Juris ita recentioris ratio est habenda singularis. In Regimine Publico *Ostrogothorum Italia*, in *Wisigothorum* in *Hispaniis* & *Galliis*, aliorum aliquot vicinorum ante *Justinianum* uti & per annos complures post euũ obtinuit quidem jus *Romanum* vetustius quod ante *Justinianum* vim habuit, sed *Theodoricianis*, *Anianeis* seu *Alaricianis*, atque id genus aliis tum edictis novis tum interpretationibus superinductis haud parùm interpolatum, nec omninò aliter admissum atque nova principum admittentium autoritate donaretur. Quod sic dictum ad corpus *Justinianeum* seu partem ejus aliquam non omninò attinet, sed ad *Theodosianum* quod diximus & reliqua cum eo conjuncta atque in usum publicum adhibita. Et hyperbole est crassissima in Epigrammate Græco Florentinis præfixo; homines scilicet *Asiæ*, *Africæ*, *Europæ*, quasi genus universum humanum, gentes universas, *Justiniano* suisque Digestis paruisse. *Theodosiana* planè & qualia diximus cætera fuere in Occidente Jura quæ obtinuere *Romana*. Neque alia omninò fuere *Romana* apud

Francos Jura de quibus, ut ante memoratur, loquutus est *Agathias*, qui dixit ὡς τὰ πολλὰ *plerunque* politiâ & legibus uti eos Romanis. *Simpliciter*, dicere non potuit tum propter immixtos ipsorum mores, tum ob mutationes perquam insignes quas, ut monitum est, invexerat *Justinianus*. Neque alia est præter *Theodosianam* illam *Lex Romana* quæ viguit *Romæ* atque per *Italiam*, *absque universis procellis*, ut ait sub annum Christi 850 *Leo* Papa quartus in Epistola ad *Lotharium* primum Augustum; qua de re consulas *Gratianum*[b] ac *Ivonem*[c]. Atque hujus vestigia in *Marculphi* Formulis aliisque veteribus, quemadmodum antè in Cassiodori Variis, frequentia. Nec sanè *Romana* magis propriè tunc dicta est quam linguæ Provinciales illæ *Hispanica* & *Gallica* ex *Romana* veteri per degenerationem natæ *Romanæ* nomine & *Romance* indigitari solent. Illæ non magis à Latino abiere sermone quam leges, utcunque *Romanæ* tunc Dictæ, abierant, quà in usum admissæ formatæque, à primævo corporis illius *Theodosiani* sensu. Nam etiam in ipso imperio utcunque translato in Occidentem, adeò Capitularibus stirpis *Carolinæ* novis auctum mutatúmque est pristinum illud Jus ut novam planè faciem indueret atque à veteri planè diversissimam. Quale itidem dicendum de ejusdem juris *Romani* vetustioris per *Hispanias* & *Gallias* usu; id quod nemo nescit qui legibus *Longobardorum*, *Wisigothorum*, reliquarum gentium in legum antiquarum condice congestis alienus non fuerit. Etiam apud *Wisigothos* à *Cindaswintho* rege sub annum Christi 650 juris Romani expressissima lege d usus prohibetur. Et perquam variatim in regimine Occidentalium aliquot partium illud jus vetustius *Romanum* habitum est tractatúmque per secula illa quæ finem imperii *Romani* in *Britannia* seu quasi seculi Quinti medium seu annum 450 interveniunt & medium aut circitèr Duodecimi id est 1150, quando velut ex intermortuis in Occidente nuper resurrexerat corpus ut statim ostenderetur *Justinianeum*. Atque ea de re, quantum ad *Gallias* spectat, vide præ aliis tum opus doctissimum jampridem editum[e] ab *M. Antonio Dominico* J.C. de *Prærogativa Allodiorum* in Provinciis *Narbonensi* & *Aquitanica*, tum *Innocentium Cironium*[f] in Observationibus Juris Canonici, ubi memorat etiam *Joannis Costæ* Antecessoris Tholosani tractatam *de Origine Juris in Gallia* in hanc rem proditurum. Atque heic imprimis observandum, *Isidorum*

b *Dist.* 10. *cap.* 9 *et* 13.

c *Part.* 4 *cap.* 179. *et Panormiæ lib.* 2. *tit. de legibus. cap.* 152.

d *Leg. Wisigoth. lib.* 2. *cap.* 9. & *observa Epist. Joannis Papæ* 8. *apud Ivonem in Decreto parte* 3 *cap.* 98. *citat., Capite proximo* §. 1.

e *Parisiis* 1645. *videsis Guil. Ranchinum var. lect. lib.* 2. *cap.* 3.

f *lib.* 5.

rum g *Hispalensem* cum de legibus accuratiùs agere instituisset, earumque enumerare autores, *Gregoriani* codicis, *Hermogeniani* & demùm *Theodosiani* meminisse non tamen *Justinianei* utpote tunc per *Occidentem* non in usu. Floruit ille sub ann. 630 seu circa 70 ab *Justiniano*. Quinimò in ipso imperio *Romano* libertas data est profitendi quo jure sive *Romano* (quod de *Theodosiano* illo cum adjunctis semper intelligendum; tunc scilicet condito quando conditores in Occidente imperabant, quale de *Justinianeo*, quatenus ex eo vim nactum est, dici omninò nequit) sive *Gothico* sive *Longobardico* sive alio tunc obtinente quis regeretur quod satis scimus ex *Lotharii* primi Augusti ea de re lege h. Quam tamen sic capiendam existimo ut intergrarum urbium, pagorum, territoriorum principibus seu præfectis simul ac incolis civilitèr in universitatem coalescentibus qui professionem ejusmodi elegerint, libertas illa indulgeretur vivendi juxta hujus seu illius legis normam, non personis singulis, quà singuli solùm erant, de quibus ne quidem cum ratione posse videtur intelligi. Specimen habetur effectus hujusmodi professionis apud *Carolum de Tocco* i, de *Romano* & *Longobardo*, sic legum professione distinctis, invicem in foro litigantibus. Atque exemplum ejusmodi professionis visitur illustre in illis *Bonifacii* Tusciæ Ducis ac *Matildis* Comitissæ filiæ ejus professionibus, illum scilicet *Longobardicam* esse professum, hanc verò *Salicam* legem, quod notat ex ipsorum tabulis, quæ plurimæ in ecclesia *Mutinensi* asservantur, *Carolus Sigonius* k. Sed verò etiam hanc *Longobardicam* postmodùm elegisse elicitur ex charta ejus donationis qua anno 1096. fundavit Abbatiam Montis S. Petri in dioecesi Metensi, unde *Sigonium* falsi convincendum volunt nonnulli l. Sed nimìs opinor immeritò. Alterum annis fecit ea juvenilibus, Alterum jam senectute provectissima. Locorum item discrimen eam in rem advertendum. Atque huc palam facit *Caroli Calvi Francorum* regis edictum *Pistense* m quo, juxta legis *Lotharianæ* illius mentem, toties de *regionibus* ac *terris* in quibus *secundùm legem Romanam judicia terminantur*, *& de illis qui secundùm legem Romanam vivunt* verba fiunt. *Legem* autem *Romanam* tum in Capitulis illis tum in vetustioribus *Caroli* & *Ludovici* pii Augustorum alibique in id genus scriptis eo in ævo memoratam intelligas semper oportet de *Theodosiano* illo corpore & reliquis ei conjunctis, non omninò de *Justinianeo*.

g *Originum lib. 5.*

h *Leg. Longobard. lib. 2. tit. 57. Sigon. de regno Italiæ lib. 5. & videsis Hincmarum Rhem. de coercendo raptu c. 12 pag. 234. edit. Sirmondi. Ivo Decret. part. 3. cap. 38. Goldast. Constit. Imperialium tom. 1. pag. 186.*

i *Gloss. in Leg. Longobard. lib. 2. tit. 57.*

k *De Regno Italiæ lib. 8. anno 1077.*

l *Innocent. Cironi Observat. Juris Canon. lib. 5. cap. 5.*

m *Anno Christi 864 cap. 13. 16, 20, 23, 28, 31.*

neo. Inde in Capitularibus *Caroli* & *Ludovici* pro legibus è *Theodosiano* aliqua expressim [n] afferuntur. Et ubi in Additionibus [o] *Ludovici* de pœnis eorum qui venerem in alteram formam mutant *lex Romana omnium humanarum mater legum* nuncupatur, de alia quam quæ in *Theodosiano* habetur capi nequit. Scilicet Igne criminis ejusmodi patratores cremari ex ea lege ibi dicitur. At verò ex *Justinianea*, id est *Constantini* & *Constantis* in Codicem ejus [p], sed non in *Theodosianum*, recepta gladio illi puniendi. Sed vivicomburium, *Theodosii*, *Valentiniani* & *Arcadii* rescriptum ad *Orientium* vicarium urbis Romæ [q], in codice *Theodosiano* repertum, præscribit, quod malè typis editum ita è Ms. corrigendum; *Omnes quibus flagitii usus est, virili corpore muliebriter constitutos, alieni sexus damnare patientiam (nihil enim discretum videntur habere cum feminis) hujusmodi scelus, spectante populo, flammis vindicibus expiabunt.* Unde hodiéque plerúnque apud gentes exteras quibus *lex* illa *Romana* per secula illa in usu, retinetur mos flammis damnandi ejusmodi flagitiosos ut à Jurisconsultis [r] notatur. Atque ut novata est poena illa ex lege *Justinianea* id est *Constantiniana* illa ab ipso in usum revocata, ita sanè corpus integrum *Theodosiani* Codicis, quà autoritatem haberet aut in foro usurparetur, & quà tale, quasi in nihilum redactum est ex *Justinianea* lege (quantum scilicet inde fieri potuit) de novo Codice confirmando. Sed Imperium ejus & potestas tunc solùm ferme in Oriente. Utcúnque verò, *Theodosianum* illud corpus jam planè Cæsareum propriè non erat aut Cæsaris autoritate fultum, sed à Regibus gentibúsque quas diximus Occidentis variatim ac pro libitu admissum. Atque in compluribus corpus *Justinianeum* ei erat uti & etiamnum est adversissimum.

n Capitul. lib. 6 cap. 281. & 307. &c.

o Addit. Ludovici 4. c. 102.

p C. ad leg. Juliam de Adulteriis l. 31.

q C. Theodos. lib. 9. tit. 7. seu ad leg. Jul. de Adulteris. l. 6.

r Damhouderius in praxi Crim. Cap. 98. §. 12. Julius Clarus Sentent. lib. 5. §. Sodomia num. 4.

VI. Quod verò attinet ad Scriptores ac Studiosos illius quod tractamus intervalli quibus etiam juris Pontificii sive in Synodis sive in Collectaneis consarcinatores accenseo; dubitari omninò nequit quin apud eos usus esset Codicis *Theodosiani* frequens, utpote in regimine publico adeo obtinentis. Qua de re etiam antè diximus. Certè Codicem hunc haud dubito intelligi, sed an solum nescio, ubi de *Legum Romanorum* studio verba fiunt à *Germano*, ut videtur, anonymo, ad *Bonifacium Moguntinum* antistitem sub annum Christi 750. *Neque enim parva temporum intervalla,* inquit [s], *in hoc studio protelanda sunt,*

s Apud Bonifac. Moguntini in Epist. 68.

sunt, ei duntaxat qui solerti sagacitate legendi succensus legum Romanorum jura medullitus rimabitur & cuncta Juris consultorum decreta ex intimis præcordiis scrutabitur, quod de se dixit anonymus ille Poetices & Mathematices pariter atque Juris studiosus. Atqui ejusmodi, seculis in illis, usus specimen duximus heic unicum illustrius præ aliis animadvertendum. Reperitur quidem in editionibus aliquot Codicis illius, scilicet *Cujaciana* & sequacibus, ad libri decimi sexti calcem, titulus *de Judicio Episcopali* qui libris in aliquot dicitur *deerrasse à corpore Theodosiano.* In eodem titulo tres habentur Sanctiones Imperatoriæ, quarum prima est illa celeberrima qua immanis ac prodigiosa potestas & Jurisdictio Episcopis à *Constantino* Magno per rescriptum ad *Ablavium* præfectum prætorio conceditur, *ut pro sanctis* scilicet *semper & venerabilibus habeatur quicquid Episcoporum fuerit Sententia terminatum*, idque in Causis omnimodis *quæ vel prætorio vel civili jure tractantur.* Eadem ipsa recipitur, ut *lex cunctis perpetua tenenda*, in Capitularia *Caroli* & *Ludovici* Imperatorum ab *Ansegiso* Abbate collecta[t], idque *ex XVI. Theodosii imperatoris libro capitulo videlicet* XII. ut in *Lindebrogiana* editione. Jam verò advertendum est libri 16. titulos haberi undecim quos tunc Capita dixere, adeóque pro duodecimo seu postremo titulo sic accipiendum hunc *de Judicio Espicopali.* Sed verò in editione *Pithœana* citatur, uti etiam apud *Gratianum*[u] eam è capitularibus afferentem, è libri 16. *Capitulo* seu titulo XI. Atque ita sanè ut pars tituli *de Religione* seu undecimi est censendus. Cæterum in Codice meo Ms. sparsim inseruntur, non serie continuâ, tres illæ Sanctiones titulo de *Episcopis, Ecclesiis & Clericis* qui libri decimi sexti secundus est. Subjicitur autem illa de Episcoporum Jurisdictione Concilio *Valentino*[x] tertio sub *Lotbario* primo Augusto & *Carolo Calvo* habito anno 855. *Constantini* quidem nomine, sed non expressim ut ex codice *Theodosiano* cujus tamen exemplaribus vetustis aliquot eam cum aliis nonnullis velut appendicem fuisse liquet ex eis quæ præfatus est *Jacobus Sirmondus* ad Appendicem suam Codicis *Theodosiani.* Atque habetur inde hæc Sanctio *Constantiniana* tum apud *Ivonem*[y] & *Gratianum*[z] tum apud *Anselmum Lucensem*, ut in notis editionis Decreti *Gratianei Gregorianæ* monetur. Et sanè sive ex Capitularibus *Carolinis* sive ex ipso *Theodosii*

t *Capitular. lib.* 6. *Cap.* 281

u *Caus.* 11. *quæst.* 1. C 37

x *Concil Gallic. Sirmond. tom.* 3. *pag.* 106. *Concil general. tom.* 3. *part.* 2. *pag.* 394. *edit.* 1618.

y *Decret. part.* 16. *cap.* 312. *Panorm. lib.* 5 *cap.* 23.

z *Caus.* 11. *quæst.* 1. *c.* 34.

dosii codice seu ejus appendice sumserint, planè ut *Theodosianum* & Juris *Theodosiani* partem censuere. Nam in *Justinianeum* nunquam omninò est admissa. Collocat eam *Baronius* [a] in anno 314. seu *Constantini* 9. Sensúmque ejus summatim habere existimat, nec malè, tum *Eusebium* [b] tum *Sozomenum* [c]. Et gratissimus erat proculdubio dilectissimúsque Codicis hujus usus generi hieratico ob Sanctionem hanc cum eo repertam quæ tam immensam Episcopis suis potestatem ita tribuens summis proculdubio in deliciis eis erat. Atque inde sanè Exemplarium Codicis illius sive veri sive interpolati usum apud studiosos ac scriptores per intervallum illud infrequentem non fuisse elici potest. Quod verò ad sanctionem ipsam heic attinet (quod obiter monere liceat) in ambiguo mihi non est eam à *Theodosio* in Codicem suum reverà nunquam omninò receptam esse, sed planè diù ante initia ejus abrogatam. Scilicet à *Valente Gratiano* & *Valentiniano*, anno 376. qui ea tantum Episcopis permisere quæ *ad religionis* [d] *observantiam pertinebant*; quod & firmatum est ab *Honorio* & *Arcadio* cum cancellos potestati Epicopali prudentèr circumscribentes [e], *quoties de Religione ageretur* constituêre *ut Episcopi agitarent*, *cæteras verò causas quæ ad ordinarios cognitores vel ad usum publici juris pertinent, legibus oportere audiri.* Atque hæc tum in *Theodosianis* habentur tum [f] ab *Valentiniano* tertio apertè in hanc rem explicantur. Citra laicorum litigantium voluntatem interpositam causas eorum cognoscere tunc nequibant Episcopi eorúmve consistoria. *Quoniam*, inquit Augustus ille, *constat Episcopos & Presbyteros forum legibus non habere nec de aliis Causis secundum* Arcadii & Honorii *Divalia Constitua*, *quæ* Theodosianum *corpus ostendit*, *præter Religionem posse cognoscere*. Sic *Valentinianus* ille. Nec sanè aliunde puto locum, veluti extravagans, in calce Codicis *Theodosiani* habuit sanctio illa aut in Ms. mei titulum *de Episcopis* aliunde surrepsit quam ex solennibus generis hieratici fraudibus ac fallaciis quibus Principes & respublicas imperio suo ac potestate legitima per fas & nefas emungere pro more illis in seculis, ne de aliis dicam, sedulò variatímque satagebat commodo suo scilicet ac ambitioni nervosissimè religionis obtentu ut fieri amat inserviens. Nec enim in *Theodosiano* locum habere quibat, nisi admittas eos qui Codicem illum congerebant Sanctiones sibi invicem

a *Tom.* 3. *ann.* 314. *num.* 38, & 39.
b *De vita Constantini lib.* 4. *cap.* 27.
c *Lib.* 1. *cap.* 9.
d *C. Theodos. tit. de Episcopis l.* 23.
e *Cod. Eod.* 16. *tit. de Religione l.* 1.
f *Valent. Novel. l. tit.* 12.

invicem planè contrarias in re tam insignis momenti oscitantiùs infarsisse; quod credibile omninò non est. Sanctioni huic item adversissimum est jus *Justinianeum* in quod non modò nunquam receptum est sed eo planè abrogatum. Cum nihilominus etiam post *Justinianeum* per Occidentem, ut mox dicetur, maximè ab genere hieratico receptum, ea ipsa Sanctio velut *Theodosiana*, simulato interim *Constantini* nomine simul & ut *Carolina* & quasi etiamnum vim retinens, obtendatur, quod videre est apud *Innocentium* [h] tertium sub annum 1200. ad episcopos per Franciam constitutos. Fefellere *Carolum* & *Ludovicum* Augustos, ii qui velut *Theodosiani* codicis partem eam eis obtrusere. Et rectè glossa in *Gratianum* [i]; *Nota quod hæc lex est tota abrogata; nec habet locum hodie.* Atque tametsi in codice meo veteri sub annum 1120. conscripto pars fuerit tituli *de Episcopis* seu secundi in libro *Theodosiani* decimosexto atque in eũ cum binis illis aliis ut diximus conjecta, vix tamen dubitandũ videtur quin illud in Pontificum gratiam atque ad majorem abrogatæ diu antè sanctioni, quæ hactenus extrà vagata esset, autoritatem conciliandam, per fraudem factum sit. Nam in codicibus vetustioribus seu eis qui sub *Carolo* magno seu circa annum 800. seu trecentis amplius ante Ms. meum annis, in usu, ad calcem *Theodosiani* habebatur, atque ut in appendice; ita tamen & tunc & postmodum sæpiùs ab agyrtis aliquot afficta ut aut pro tituli undecimi (in quo interim planè continetur ut diximus ejusdem abrogatio *Honoriana*) parte existimaretur, aut ab eo inciperetur novus seu alius, ut nunc *de Episcopali Judicio*, titulus. Et rectè cum sociis *deerasse* in impressis dicitur. Locum autem qualemcunque ad calcem sic habuisse palam est ex *Capitularibus* ante citatis. Et fraus heic sanè mihi videtur manifestissima. Nec novum est adulterinas leges [k] verarum corporibus inserere & assuere. Sed hac de Sanctione alibi, Deo volente, plura & fusiùs. Hactenus autem de Codicis *Theodosiani* per intervallum de quo loquimur etiam & post initia *Carolini* Imperii, pro lege *Romana*, usu, dictis accedat quod sæpius ea de re occurrit apud *Hincmarum Rhemensem* antistitem qui floruit sub annum 860. In Epistola de coercendo raptu [l] *publicas Romanorum leges* in testimonium affert, *quibus* inquit *orbem Universum vivere sub sua dominatione constituerunt.* Ipsas autẽ citat quæ in *Theodosiano* [m] habentur, nec in *Justinia-*

h *Antiq. Collect. 3. lib. 2. tit. 1. & Extr. tit. de Judiciis, c. Novit. 13.*

i *C. 11. quæst. 1. c. quicunque 35.*

k *Vide Alciat. Parerg. 6. cap. 9. &c.*

l *Cap. 5. pag. 228. edit. Sirmondi tom. 2.*

m *Lib. 9. tit. 24.*

neum receptæ. *Gregorianum* item memorat codicem [n] *Hincmarus* eadem in Epistola. [o] Alios ex *Theodosiano* locos, ut juris tunc Romani promptuario receptissimo [p] affert, sæpiùs etiam *interpretationem* adjiciens quæ ipsissima est *Aniana Theodosianis* annexa. Hujus autem rei apud eum specimen est præcipuum in Epistola ad *Carolum Calvum* pro *Hincmaro Laudunensi* seu Episcoporum causis jam nuper à *Sirmondo* primùm edita [q]. At quanti etiam & quam primarii usus esset codex ille in studiosorum aliquot doctorúmque Musæis per intervallum illud, dum de jure agebant, satis insuper liquet tum ex *Ivonis Carnotensis* & Decreto [r] & *Pannormia* [s] seu si mavis *Pannomia*, etiam *Parnomia* interdum, ut in exemplari Ms. pervetusto ac nitidissimo Bibliothecæ ad S. *Jacobi* Regia dicta (quæ ante *Gratianum*, corpus Canonum juristis supplesse nonnullis [t] dicuntur; aliis *Hugonem Cathalaunensem* interponentibus) ubi aliquoties veluti vigorem obtinens adhibetur, tum ex *Gratiano* [u] aliisque unde is sua compilavit vetustioribus, in quibus non pauca è *Theodosiano* etiam sub Pontificum veterum aliorumque nominibus afferuntur quod adnotatum habes ad calcem codicis ejusdem editionis tum *Genevensis* [x] tum *Parisiensis* [y] uti etiā in viri præstantissimi *Davidis Blondelli* prolegomenis [z] ad *Pseudo Isidorum*. At verò sub posteriora intervalli quod diximus tempora seu seculum undecimum, ex invalescentibus per ævum retrò actum diversissimis aliarum Gentium moribus legibúsque evenit proculdubio ut etiam lex illa *Romana* seu *Theodosiana* evanescere cœperit & apud alios, utcunque juris studiosissimos, planè neglectum jacuerit. Nam advertendum, *Burchardum Wormatiensem* antistitem qui sub annum 1030 floruit & Juris Pontificii corpus confecit, non solùm in corpus illud è *Theodosiano*, qua tali, nihil omninò attulisse, verum etiam in *lege Familiæ S. Petri* [a] quam condidit ipse de jure dotali, hæreditatibus, contractibus, judiciis publicis, forensibus aliis, inde nihil sumsisse nec quid ejusdem ibi imitatum esse, unde vix credendum eo ævo, sicut antè, adeo frequentem in Occidente Christiano fuisse ejusdem usum.

n *Tit. ad legem Jul. de Adulteriis.*
o *cap.* 9.
p *Opusc.* 55. *Capit. cap.* 36. *pag.* 527. 545. 780. 784. 796. 801. *in tom.* 2. *edit. Sirmondi. et pag.* 719. *tom.* 1.
q *Tom.* 2. *pag.* 318. &c. *Paris.* 1645.
r *Part.* 16. *tit.* de causis Laicorum *sæpius.*
s *Lib.* 4. *ca.* 127. 128. &c. *lib.* 5. *cap.* 13. &c.
t *Tritemius de scriptoribus Ecclesiasticis, Gesnerus, Possevin.* &c.
u *Caus.* 2. *quæst.* 6. *cap.* 22. *propter superfluam*, &c.
x 1593.
y 1586.
z *cap.* 12.
a *Burchardi editio* 1560. *Coloniæ Agr.*

Caput

Caput Sextum.

I. *Juris* Justinianei, *quà talis, usum per secula quæ à* Justiniano *seu anno* 560. *aut circiter usque in priorem* seculi duodecimi *partem seu annum* 1130. *aut circiter effluxêre, in* Regimine Occidentis publico fuisse *nullum, licet ab* Ecclesiasticis *tam hoc quam* Theodosianum *subinde adhiberetur.*

II. *Ejusdem sub* Lothario *Augusto* II. *seu circa annum* 1130. *per* Occidentem *instauratio. Et de* Irnerio *qui* primus *ejusdem* Illuminator *dictus,* Lucerna Juris, & Glossarum autor primus; *à quo* Azonum, Accursiorum, *id genus reliquorum deducitur familia.*

III. *Sub idem tempus* aliarum Disciplinarum *in* Christianismi Occidente *velut ab intermortuis resurrectio.*

IV. *Quanam sub ratione ita receptum in* Occidente Juris Justinianei *usus; in* Gallia, Hispania, Lusitania, Italia, Germania, *alibi*

V. *Undenam evenerit, adeò libentèr tempore* Lotharii *secundi seu ævo antè dicto* Jus Justinianeum *à Principibus ac populis Christianis in* Occidente *ita esse receptum, conjectura.*

JAm verò quod ad Jus *Romanum* recentius seu *Justinianeum* attinet, quà in corpore scilicet *Justinianeo* visitur atque à *Theodosiano* illo veteri ut perquam diversam etiam & sæpiùs adversum discriminatur; per intervallum ab ipsius natalibus (qua *Justinianeum* est) seu *Justiniani* imperio aut circiter, seu seculi sexti quasi medio (id est sub annum 560.) usque in seculi duodecimi partem priorem seu tempora *Lotharii* secundi Augusti aut circitèr, seu per annos septuaginta supra quingentos, Jus illud apud Occidentales [a] in regimine publico ac civili extra Exarchatum *Ravennatem* seu angustias illas aliquot *Orientalis* in *Occidente Imperii* reliquas (quæ sub annum 750. prorsus imperii illius esse partes etiam desiere) locum planè habuit nullum. Certe etiam scriptoribus *Occidentis* rarò & apud paucos eorum, qui per intervallum illud vetustiores sunt, quid inde memoratur. Ab *Isidoro* jam ante citato, ubi de legum agit autoribus [b] & corpus *Theodosianum* uti & *Gregorianum* & *Hermogenianum* memorat, prætermittitur *Justinianeum*, veluti cujus ratio in *Occidente* parùm omninò

[a] *Vide Francisc. Baldwin. in Prolegomenis Jur. Civilis Alciat. Parerg. 5. cap. 25. & citata ad §. heic 2.*

[b] *Originum. lib. 5.*

tunc haberetur. Floruit is post *Justinianum* circa annum septuagesimum. Atqui interea *Gregorio* primio [c] quidem citantur & *Novellæ* aliquot *Justiniani* & leges nonnullæ ejusdem Codicis, id est paulò ante *Isidorum*. Et seculis etiam hujus intervalli sequentibus apud hieratici generis Scriptores atque ecclesiasticos in pretio leges *Justinianeas* aut saltem earum aliquas fuisse singulari liquet. Forsan sanè tam *Justinianeæ* leges quam *Theodosianæ* intelliguntur nomine *Romanorum legum* in epistola illa anonymi supra [d] citata ex *Bonifacii Moguntini* epistolis, quæ sub annum 750. conscriptæ. Et *Joannes* Papa Octavus, ut in Decreto [e] *Ivonis Carnotensis* legitur, sub annum 870. consultus à *Sineboldo Narbonensi* antistite in Synodo *Tricassina* de privilegiis ecclesiæ violatis, seu, ut vocabant, sacrilegio (cui in libro legis *Gothicæ* nulla præscripta erat pœnæ apud *Gallos Hispanósve*; nec juxta aliam legem ibi erat tunc judicandum) *Nostra*, inquit, *serenitas cum præscriptis Episcopis, inspectis legibus* Romanis *ubi habebatur de Sacrilegiis, invenimus ibi* à Justiniano *Imperatore legem compositionis sacrilegii constitutam, scilicet in quinque libras auri optimi.* In codice quidem ejus habetur illa lex [f], *Arcadii* nempe & *Honorii*. Sed mirum interea est severiores multò quæ sunt [g] apud *Justinianum* in sacrilegos leges eos præteriisse, nisi ipsis *Digestorum* libris tunc fortè carerent. Sed verò & magis mihi mirum, legem hanc è *Justiniano* sic tunc in *Occidente* allatam esse cum eadem ipsa haberetur [h] in Codice *Theodosiano* qui adeo tunc in *Italia*, *Gallia*, *Hispaniis* etiam & *Germania* variatim in usu atque multò receptior fuerat. Idem ipsum de *Joanne* octavo habetur apud *Ivonem* in *Pannormia* [i], demto quod, ut in editis, legitur heic *in decem libras optimi auri* pro *quinque* qui numerus erat planè *Justinianeus*. Sed corrigenda est editio *Pannormiæ* utraqe tum *Sebastiani Brantii* tum *Melchioris à Vosmediano* & *quinque* substituendum, quod etiam constat ex vetustissimo & perpulchro operis illius exemplari bibliothecæ ad S. *Jacobi* Regiæ. In Concilio itẽ Parisiensi [k] tempore *Ludovici* pii Augusti, annis aliquot ante *Joannem* octavum habito, seu in priori seculi noni parte, Novella *Justiniani* celeberrima & cum primis animadvertenda de Excomunicatione affertur, adjecto, *quam probat & servat Ecclesia*. Ejusdẽ sub id ipsũ tempus est sequax *Hincmarus Rhemensis* antistes eandem ad hunc modum Novellam exprimens.

c *Lib.* 11. *Epist.* 54 *ad Joannem Defensorem.vi:* *de Caus.* 11. *quæst.* 1.38.

d *Cap.* 5. §. 6.

e *Part.* 3. *c.* 98.

f *C.tit.de Episcopis et Cleric.* *l.* 13. *si venerabilis.*

g *L.* 2 *et* 6. *D. tit. Ad legem Juliam Peculatus.*

h *C.Theod.tit. de Episcopis* *l.* 34.

i *Lib.* 2. *cap.* 80. *tit.de Sacrilegio.*

k *Ivo Decret. part* 14. *cap.* 21. *Pannorm. lib.* 5. *cap.* 124. *Grat. Caus.* 24. *quæst.* 3. *c.* 1.

mens. *Proponam* inquit l, *tibi legalem sententiam Justiniani Catholici Imperatoris quam probat & servat Ecclesia Catholica, qua constitutione* m *decrevit ut nemo Episcopus, nemo Presbyter excommunicet aliquem antequam causa probetur propter quam Ecclesiastici Canones hoc fieri jubent.* Alibi n item è Novellis *Justinianeis quibus debitæ observationis reverentiam sancta Ecclesia exhibet* ut ait ille, testimonia affert. Quinetiam eodem in seculo de *Abbone* patre *Odonis* Abbatis *Cluniacensis* legitur, eum *veterum historias & Justiniani Novellam memoritèr retinuisse,* qui, ut videtur, illud ut jurisprudentiæ studiosissimus fecit. Nam subjungitur *si quando lis quoquomodo inter parentes fuisset exorta tanta in eum censuræ* (inde) *excreverat veritas ut undique omnes ad eum ob diffiniendi proficiscerentur gratiam.* Ita *Joannes* monachus *Cluniacensis* o in *Odonis* vita, ejus nimirùm discipulus. Et sub finem hujus intervalli *Ivo* ille *Carnotensis* qui sub annum 1100 floruit de Novellis *Justinianeis* loquitur ut de legibus *quas* p *Catholici reges composuerunt & ex autoritate Romanæ Ecclesiæ catholicis populis servandas tradiderunt, & quas* q *commendat & servat Romana Ecclesia,* & singularia inde sumit in rem quam tractat. Certè & *Ivo* ille aliique aliquot unde sua depromsit *Gratianus* non solùm è *Novellis* sed etiam ex reliquis corporis *Justinianei* partibus, *Institutionibus* scilicet, *Digestis Codice*, non pauca hoc in intervallo habent. De *Ivone* res manifesta est tum ex *Decreto* r tum *Pannormia* s & Epistolis t ejus. Apud *Gratianum* etiam velut ex pristino sibi usu obviæ sunt u è Corpore *Justinianeo* leges. Atque hi sanè aliique, idem per intervallum, interdum celato nomine *Justinianei* corporis ex eodem, uti etiã ex *Theodosiano*, leges quasi vim habentes proferunt. Adeóque apud *Ecclesiasticos* tam *Theodosianæ* quam *Justinianeæ,* licet invicem sæpiùs adversarentur, parili tunc in usu quoties canonibus neutiquam refragarentur. Adeóque Satyram legum mirandã ex duplici hoc genere & *Canonico* seu *Pontificio* ad Laicos pro re nata ac more suo suumque in commodum fallendos, intricandos, emungendósque composuere. At verò in regimine civili seu publico locum habuisse seculis in illis jura corporis *Justinianei*, quà talis, nullibi comperitur.

l *Opusc.* 55. *cap.* 29. *pag.* 509.
m *Novell.* 123. *cap.* 11.
n *Ibidem cap.* 51 *pag.* 587. & *Epist. de Presbyteris criminosis* §. 31. *pag.* 799. *tom.* 2. *edit. Sirmondi.*
o *In bibliothec. Cluniac. pag.* 15.
p *Ivo Carnotensis Epist.* 242.
q *Idem Epist.* 280.
r *Part.* 16. *tit. de causis Laic. passim.*
s *In prologo cap.* 33. & *lib.* 2. 146. 160. *lib.* 3. *cap.* 166. *lib.* 5. *cap.* 25. 45. &c.
t *Epist.* 99. 112. &c.
u *Caus.* 2. *quæst.* 6. *c.* 28. 29. & 30. *Caus.* 10. *quæst.* 2. *c.* 2 &c.

II. Haud parùm autem inclinante, sub intervalli hujus tempora posteriora, Codicis *Theodosiani* in *Occidente* autoritate ac usu qui tam diù ibi, ut ostensum est, quatenus permiserint

gentium

gentium singularum mores legésque aliæ variatìm obtinuerat, copiosius illud *Justiniani* Corpus in studia à curiosioribus adhibitum, quod scimus maximè ex *Ivone Carnotensi* & *Anselmo Lucensi*, subinde in notis ad *Gratianum* editionis *Gregorianæ* citato. *Anselmus* heic sub annum 1080 floruit. Cui *Ivo* coævus, qui anno 1092 creatus est Episcopus *Carnotensis* [x] ex præposito *S. Quintini Belvacensis* qua fruebatur dignitate anno 1078, quod iidem ex *Sigeberto*, *Tritemio* aliisque cognoscitur. Migravit autem is è vita anno 1117, ut expressim *Rogerius Wendoverius* & *Matthæi Parisius* & *Westmonasteriensis*. Alii [y] mortem ejus annis aliquot priorem aut faciunt aut esse suspicantur. Sed de anno ipso certissimum est; quod etiam expressim firmatur ab *Roberto de Torrineio* in Chronico Ms. seu *Sigiberti* continuatione. Atque etiam sub *Henrico* quinto Augusto seu circa annum 1120 adeo *Justinianearum* legum ratio in fori Ecclesiastici decisionibus habebatur, ut etiam ex hieratici generis suggestione in edictum de juramento calumniæ imperatorium [z] earum pars aliqua nec sine *Justiniani* nomine reciperetur, quemadmodum etiam in decretum ea de re *Honorii* [a] secundi. Et tam in edicto quam decreto illo *Martiani* Augusti Sanctio adhibetur (in editis male *Marci* legitur) velut è Codice [b] *Justiniani*. Nam in Novellis *Martiani* cum *Theodosiano* conjunctis non habetur. Dein autem seu sub medium scilicet seculi duodeni aut paulò antè seu sub annum 1130 aut circitèr, viri docti *Pandectas* aliásque Corporis illius partes publicè, ut scilicet civilis doctrinæ quantivis pretii thesaurum, *Bononiæ* explicatum ierunt. Horum primus *Pepo* habetur, sed nominis obscuri neque ex autoritate publica interpres. Primas igitur hac in re tulit paulò post sed coætaneus *Irnerius*, *Trnerius* item & *Wernerius* dictus, glossarum autor primus. *Odofredus* [c]; *Dominus* Irnerius *fuit*, inquit, *apud nos Lucerna juris, id est primus qui docuit in civitate ista* (scilicet *Bononiæ*.) *Nam primo cepit* studium *esse in civitate ista in artibus*; *Et cum studium esset destructum* Romæ, *libri legales fuerunt deportati ad Civitatem* Ravennæ, *&* de Ravenna *ad Civitatem istam. Quidam dominus* Pepo *cepit autoritate sua legere in legibus. Tamen quicquid fuerit de scientia sua, nullius nominis fuit. Sed dominus* Yrnerius *dum doceret in artibus in civitate ista cum fuerunt deportati libri legales, cepit per se studere in libris nostris & studendo cepit*

[x] *Ivo Epist.* 1.

[y] *Videsis Testimon. vett. præfix. Epistolis ejus & Baron. tom.* 12. *ann.* 1114. *Calvis.* 116. *&c.*

[z] *Vide leg. Longobard lib.* 2. *tit.* 47. *L.* 11. *Antiq. Collect.* 1. *lib.* 1. *tit.* 34. *& Anton. Augustin. ibid.*

[a] *Extr. tit. de Jur. Calumniæ cap.* 1. *Append. ad Concil. Lateran.* 3. *part.* 23. *cap.* 1.

[b] *L.* 25. *C. tit. de Episcopis & Clericis.*

[c] *Ad l. jus Civile est D. tit. de Instit. & Jure.*

cepit docere in legibus. Et ipse fuit maximi nominis, & fuit primus Illuminator scientiæ nostræ, & quia primus fuit qui fecit glossas in libris nostris vocamus eum Lucernam juris. Et jurisprudentiam illam *Constantinopoli* ubi tunc studia ejusdem florebant didicisse dicitur[d] hic *Irnerius* qui etiam *magister erat in artibus* Bononiæ *antequam* doceret in legibus, quod scribit idem *Odofredus* [e]. Adeò autem paulò pòst *Lothario* secundo Augusto Academica illa Juris *Justinianei* instauratio *Bononiensis* placuit, ut *ex uno jure civili Romano* (*Justinianeo* scilicet; quod jam in pristinum *Theodosiani* locum haud aliter fermè successit atque philosophia *Aristotelica* olim in *Platonicæ* locum) *posthac judicia fieri lege is sanxerit*, quod *constantem doctorum hominum in monumentis esse famam* ait *Carolus Sigonius* [f]. Atque *ante hoc tempus* scribit ille, *Italici certè alii Longobardica, alii Salica, alii Romana lege utebantur* (id est *Theodosiana.*) *In posterum autem omnes uni juri unique legi, reliquis abrogatis, nempe Romanæ* (id est *Justinianeæ*) *obtemperarunt; jusque civile publicis Italiæ in gymnasiis majore celebrari studio & diligentiori coli operâ coeptum.* Factum est autem hoc sub annum 1137, seu haud ita diù postquam in bello à *Lothario* contra *Rogerium* Normannum gesto, capta *Amalphi* urbe, repertæ sunt in ejusdem spoliis *Pandectæ* illæ vetustatis autoritatísque præ aliis eximiæ, quas *Pisanas* & *literam Pisanam* g olim (eo quod illuc eas transtulerat *Lotharius*) dixere Jurisconsulti, ut nunc *Florentinas*, quia *Florentiæ* in bibliotheca *Medicæa* velut cimelium ingens, asservantur. Aliæ partes corporis *Justinianei Ravennæ* etiam sub id tempus è situ erutæ, ut ex *Odofredo* jam citato liquet. Atque tunc florescere coeperunt in Italia maximè Juris Cæsarei studia. Alibi autem *Sigonius*, *Anno* inquit 1102 *Irnerius philosophus Bononiæ docens, Matildis rogatu, Pandectas interpretari cœpit & primus glossas in eas scripsit.* Ita scilicet ille in Argumento historiæ *Bononiensis*. Etiam & adjicitur ad finem *Conradi* Abbatis *Urspergensis*, de *Matilda* tantundem, id est *Matilda* Comitissa celeberrima illa filia *Bonifacii Tusciæ* Ducis. Sed verò usque in annum 1190 aut circitèr vixit *Irnerius*, h, adeóque ob ætatem haud ita commodè ferri potest ut is anno 1102 hoc faceret rogatu *Matildæ*, quæ etiam mortua [i] est anno 1115, seu compluribus annis antequam *Irnerium Bononiæ* legisse plerúnque recipitur; id est sub *Henrico* quinto Augusto & circa decennium ante *Lotharii* initia.

d *Innoc. Cironius Observat. Juris Canonic. lib. 5. cap. 5.*
e *Jul. ult. C. tit. de in integrum restit.*

f *De Regno Italiæ lib. 11. & vide eum lib. 7. in Ottone Magno.*

g *Angel. Politian. Epist. lib. 10. Marquardo Breisacio & mox citati.*

h *Io. Fichardus in vitis Jurisconsult. Guidus Panzirollus de Claris legg. interpret. lib. 2. cap. 13. &c.*
i *Sigon. de regno Italiæ lib. 10*

initia. Neque sanè id de *Irnerio* & *Matilda* ad *Urspergensis* calcem repertum ab ipso autore sed ab alio quopiam temerè assutum existimo. Nam antè in Chronici corpore habet ille quod debuit de instauratione juris Cæsarei jam dicti sub *Lothario*. Et nescio unde in calce adjicitur *Gratianum* tunc scripsisse (quod attinet ad annum 1150 aut *Frederici* primi tempora) & tunc *eisdem quoque temporibus dominus* Wernerius *libros legum qui dudùm neglecti fuerant, nec quisnam in eis studuerat, ad petitionem* Matildæ *Comitissæ renovavit & secundum quod olim à divæ recordationis Imperatore* Justiniano *compilati fuerant, paucis forte verbis alicubi interpositis*, &c. Quæ sanè malè invicem conjuncta chronographo. Floruit autem *Urspergensis* sub annum 1230. Sed verò si de Juris *Justinianei*, qualem diximus, instauratione in *Occidente* plura velis, præter jam memoratos consulantur *Tiberius Decianus* [k], *Franciscus Baldwinus* [l], *Valentinus Forsterus* [m], *Joannes Fichardus* [n], *Guidus Panzirollus* [o] (qui trini posteriores vitas Jurisconsultorum etiam post sic instauratum jus *Justinianeum* conscribunt) *Wolfgangus Freymonius* [p], *Paulus Merula* [q], *Innocentius Cironius* [r], alii etiam ab his citati. Sub idem autem tempus inde in tabulis Imperii *Romani* seu *Germanici* publicis, *Justiniani* nomen [s], velut decessoris, cui ut primario successores essent jam Augusti, occurrit. Unde etiam eam in rem metricè Senatores *Romani* ad *Lotharium* jam dictum.

Rex valeat, quicquid cupit obtineat, super hostes
Imperium teneat, Romæ *sedeat, regat orbem*
Princeps terrarum ceu fecit Justinianus,
Cæsaris accipiat Cæsar &c.

Tantundem, quantum ad *Justiniani* nominis usum ejusmodi, *Hadrianus* quartus *Papa* [t] ad Episcopos *Germaniæ*. Atque paulò post e *Monte Pessulano* in *Galliis*, in *Hispaniis*, etiam alibi propagata Juris *Justinianei* studia usus idque in regimine publico.

III. Eodem in ævo, aut circa idem ipsum tempus, ut Jurisprudentiæ *Justinianeæ* qualem diximus, instauratio eximia facta est, ita etiam (quod observatu non indignum) & *Pontificiæ* & disciplinarum reliquarum per *Occidentalem Europam*. Neglectæ enim nimis & ignoratæ diu jacuerant extra *Arabum Africanorum* [u] & conterminorum *Hispaniensium* gymnasia, per *Occidentem*

k *Apologia adversus Alciat. de Jurisconsult. resp. cap.* 8. §. 6. *&c.*
l *In prolegomenis de Jure Civili.*
m *In Historia Juris Civilis.*
n *De vitis Jurisconsultorum.*
o *De Claris legum interp. lib.* 2. *cap.* 3. *&* 13.
p *In Symphonia Juris.*
q *Cosmograph. part.* 2 *lib.* 4. *cap.* 23.
r *Observat. Juris Canonici lib.* 5. *cap.* 5.
s *Goldast. Constit. Imperial. tom.* 1. *pag.* 261.
t *Ibid. pag.* 226.
u *Vide Jo. Sarisbur. in Metalogico lib.* 4. *cap.* 6. &c.

Occidentem artes omnimodæ & scientiæ liberales; etiam ipsa Dialectica, quæ scientiarum & modus est & gubernator, velut ars *cujus dogmata sophismata essent & quasi sacræ lectioni contraria* in planè execrandis habebatur, ipsáque Theologia inde quasi illotis nimiùm tractabatur manibus. Nunc autem sub hujus id est duodecimi seculi medium, sicut ex *Arabum* qualibuscúnque veterum *Græcorum* versionibus interpretamentísque *Philosophia prima, Naturalis, Moralis, Logica, Medicina, Mathematica*, quæ ut sydera nubibus obfuscata tam diù delituerant refulgere quasi simul cœperunt, ita etiam *Jura Pontificia* & *Theologia* ipsa; quod scimus ex *Gratiani* Decreto & *Petri Lombardi* Sententiis quæ instaurationi quã diximus coætanea. Et de Theologia heic animadvertendum illud de *Roberto Pulleinio Oxoniensi.* MC.XXXIII. *Magister* Robertus Pullein (ita *Thomas Wikius* y Canonicus *Osneiensis*) *Scripturas divinas quæ in* Anglia *obsoluerant apud* Oxonium *legere cœpit. Et postea cum ex doctrina ejus Ecclesia tam* Anglicana *quam* Gallicana *plurimùm profecisset* à *Papa* Lucio *secundo* (id est sub annum 1145) *vocatus & in Cancellarium sanctæ Romanæ Ecclesiæ promotus est.* Atque ita sanè eodem ferè tempore Disciplinarũ omniũ simul ab intermortuis resurrectio seu restitutio habita. Et quæ sub *Lotharii* tempora ita cœpta sunt, sub *Conrado* & *Frederico* primo Cæsaribus haud parùm sunt aucta.

x *Petrus Abætardus Epist.* 4. *& vide Jo. Sarisbur. Metalogic. lib.* 4. *cap.* 24, *et* 25.

y *Ms. in Bibliothec. Cottoniana De eo vide plura in hac rem.* *ex* Bostono Buriensi *et* Lelando, *apud* Jo. Balæum *Cent.* 2. *script.* 30. *et* Jo. Pitzeum *et.* 12. *scrip.* 203. *atque ex I. Rosso apud.* Brian. Twinum *in Antiq. Oxoniensib. pag.* 108.

IV. Quod verò ad jus *Romanum* vetustius seu *Justinianeum* in imperio *Cæsariano* sic instauratum attinet; id non ita capiendum est quasi penitus ac reverà *abrogatis* (quo vocabulo utitur *Sigonius*) reliquis quæ ante obtinuerant juribus, purum illud quod *Justinianeum* est ita successisset ut aliud nullum vim dein retineret, aut, ut XII. tabularum jus olim *Athenis Romam* allatum, vigorem per se indueret; sed ita jam receptum fuisse Juris *Justinianei* usum, ut quoties aut interpretandi jura sive vetera sive nova sive ratio sive analogia desideraretur, aut mos aut lex expressior non reperiretur, ad jus illud *Justinianeum* tũ veluti rationis juridicæ promptuarium optimum ac ditissimum, tum ut quod legem in nondum definitis ex ratione seu analogia commodè suppleret, esset recurrendum. Certè ita fermè *Rhodiam* recepere veteres *Romani* legem in rebus nauticis, ut etiã apud nos & gentes vicinas leges recipiuntur *Oleronianæ*; cũ interìm nec hæ nec illæ ex autoritate sui, qua primò conditæ

 sunt,

ſunt, vim ſic obtinuerint. Atque ut Academiæ demùm non paucæ aliæ per *Europam Occidentalem* hac in re, quoad ſtudiorum inſtitutionem, *Bononienſem*, ita etiam Regna alia & Reſpublicæ Imperiũ Cæſarianum quoad uſum juris ejuſdem aliquem imitatæ ſunt; r etentis ſemper ac ubique moribus aliàs avitis legibúſque ſibi, pro varia regiminis cujuſque formula, ante conditis, nováſque condendi tum libertate tum uſu. Neque ullibi pro ſimplici Juris norma in *Occidente* inde uſurpatum eſt Jus illud *Cæſareum*, ſed cum temperamentis quæ jam diximus; quod cuique manifeſtum ſit tum ex Morum variorum ac Sanctionum quibus utuntur *Galli*, *Hiſpani*, *Bohemi*, *Hungari*, *Poloni*, *Siculi*, *Belgæ*, *Italiæ* ac *Germaniæ* reſpublicæ variæ aliæque, voluminibus perplurimis, tum ex Deciſionibus eorum innumeris atque ad ea commentariis quæ paſſim proſtant. Quinetiam cum *Juſtinianeis* in eodem ipſo corpore conjungi ſolitæ leges ſeu mores *Feudales* qui *Longobardici* ſunt, eodem etiam in ævo à *Gerardo Nigro* ac *Oberto de Orto* Conſulibus *Mediolanenſibus* congeſti, uti item Cæſarum recentiorum aliquot Sanctiones quæ etiam extra imperii *Cæſarei* limites non rarò pariter qua rationem habent recipiuntur. Exemplum eſt egregium juris Cæſarei modo quo diximus recipiendi in *Luſitanica* [z] illa ea de re Conſtitutione. Si res eveniat forenſis de qua leges moréſve regni nihil ſtatuant (nec aliter) *ſendo materia que nom tragua peccado, mandamos que ſeia julgado po las leis Imperiaes poſto que es Sacros Canones determinem o contrario: as quas leis imperiaes mandamos ſoomente guardar po la boa razam em que ſam fundadas*, rebus ſcilicet in Civilibus tunc ex Jure judicandũ Cæſareo, niſi adverſentur Canones Sacri. Neque ſanè aliter apud alias *Occidentis* gentes quæ jus illud recepere ſe res nunc habuit. Quod ad *Hiſpanos* in hanc rem attinet conſulas *Gregorium Lopez* [a] in Partitas & *Alphonſum de Azevedo* in Conſtitutiones Regias [b]. Quod ad *Gallos*; *Nos Galli*, inquit Choppinus [c], *de Quiritium jure ita cenſemus, eo ſcilicet uti nos, quatenus ei lex Gallica non refragetur.* Ita *Bodinus* [d] *Guilielmus Ranchinus* [e], *Rebuffus* [f], *Carolus à Graſſaliis* [g], alii ſatis obvii. Etiam interdictum poſtmodum Juris Cæſarei omnimodum in Academia *Pariſienſi* locíſve vicinis ſtudium, uti & omnimoda ejuſdem in foro citatio in *Gallia* alibíque [i]. De ipſo item Imperio ſeu *Germania* ac *Italia* res ſatis aperta eſt; aliis quampluribus legibus

z *Ordinazones o libro.2. tit.5.*
a *Glad l.6.tit. 4. Partit.3.*
b *Tit.1.libri ſecundi. et vide Oldrad.Conſil.69.*
c *De Domanio Franciæ lib.2. tit.15.§.5.*
d *De Repub. lib. 1.cap.8.*
e *Guil. Ranchinus Var.lect. lib.2.cap.3.*
f *Tom.1.Conſtit. tit.de Conſtit.in proœmio gl.5. num,20.*
g *Regalium Franciæ lib.1. jure 2. et 12. adde Extr.tit de Privilegiis cap.28. Super Specula, Compilat.5.lib.5. tit.12.cap.3.atque ibi Innocentium Cironium uti etiam Obſervat.Juris Canonici lib.5. cap.5.*
h *Extr.tit.de Privilegiis cap.28.*
i *Vide Paridem de Putero Tract. de Syndicatu verb.Teſtis §. Fui ſemel.num. 9. et Minſing, Cent.5.Obſervat.88.*

gibus moribúsque in judiciis ibi esse necessariò utendum. De Juris tum *Longobardici* tum *Francorum* in regno *Neapolitano Siculóque*, præter *Romanum*, post instauratum sic in Occidente jus *Justinianeum*, usu, visendi *Andræas de Isernia*, [e] *Carolus Tapia* [f], *Andræas Molfesius* [g] *Marius Muta* [h] præter *Bartolum* [i] atque ad eum *Julii Feretti* Additiones aureas. Atque in hanc rem, præter Decisiones innumeras in quibus alia præter *Justinianea* jura sæpenumerò adhibentur, Constitutionũ in *Imperio Germanico* tum veterum tum recentiorum morùmque à *Justinianeis* perquam ibi dissonorum Collectiones obviæ sunt consulendæ; inprimis illa *Melchioris Goldasti* cum ejusdem ad eam Prolegomenis. Et Populi in Imperio, Regna, Urbes singulares suarũ habent copiam frequentẽ atque prostantẽ. Vide item hac de re *Franciscum Suarezium* in libris de legibus [k]. Et tametsi etiam in *Scotia* usus sit Juris hujus *Cæsarei* tam forensis quã Academica, is nihilominùs haud alius est quã ut Juris extranei rationẽ in se optimam disputantibus suggerentis, non autoritatem, qua talis, omninò obtinentis. Nã expressim ibi Sanctionibus cavetur [l] parlamentariis non alias illic leges autoritatẽ habere præter eas *quæ sunt regni & communes regni*. Sed de his satis supérque.

e *In lect. Peregrina.*

f *In Jura Regni Neapolit. lib. 1. tit. 13. § Justitiam.*

g *Inconsuet. Neapolit. part. 6. quæst. 8. num. 23. &c.*

h *In Capit. Regni Siciliæ tom. 1. cap. 35. num. 203. &c.*

i *De Different. Juris Civilis et Longobardorum.*

k *Lib. 3. cap. 8.*

l *Parl. 3. Jac. 1. cap. 48. et Parl. 6. Jac. 4. cap. 79.*

V. Videtur autem eò libentius atque gratiori animo recepisse per *Occidentem* Principes tot *Christianos* populósque Juris Cæsarei ita resuscitati qualemcunque usũ quo instantiùs sub idem ipsum tempus eos urgeret *Innocentius* Papa secundus, idque in manifestum & perquam odiosum civilis regiminis dispendium, ut Decreta Pontificia ab eo collecta veluti Juris juxta quod viveretur corpus passim reciperent. *Ordericus Vitalis* monachus [m] de Concilio Generali à Papa illo *Romæ* habito & de eis qui illuc confluxerant verba faciens, *multa eis*, inquit, *Papa de priscis codicibus propalavit, insignémque sacrorum decretorum textũm congessit. Sed nimis abundans per universum orbem nequitia terrigenarum corda contra ecclesiastica scita obduravit* (ita impudentiùs blaterare solent Sacerdotes ambitione turgentiores in eos qui artibus quibus ad eludendos emungendósque Principes ac populos nefariis utuntur, honestè ac piè refragantur) *unde remeantibus ad sua Magistris Apostolica Decreta passim per regna divulgata sunt. Sed nihil, ut manifestè patet, oppressis et opem desiderantibus profuerunt, quoniam à Principibus et Optimatibus regnorum cum subjectis plebibus parvi pensa sunt*. Certe idẽ

m *Hist. Ecclesiastic. lib. 13. pag. 919.*

ipſum forſan eſt Decretorum heic corpus quod ſtatim poſteà ab *Eugenio* ſecundo confirmatum & *Gratiani* nomine editum pars eſt prior notiſſima corporis Juris Canonici. Simulac enim *Bononiæ* legendum voluere Imperatores Jus Cæſareum, adeóque ſingularem haberi in Academia ejuſdem Facultatem, Pontifex ille *Eugenius* tantundē de Jure Pontificio in corpore *Gratianeo* [n] contento etiam fieri juſſit. Illud autem *Innocentii* Papæ ſpectat ad annum 1139. Verebatur puto Papa ne invaleſcerent nimìs Jura per ſe Cæſarea ita tunc refloreſcere in Occidente incipientia. Ideo Decreta verſutiùs obtruſit Pontificia, quæ antè, pro gentium populorúmque moribus variis, haud ita ut poſtea uniformia habita. Hæc autem ne in Academicorum ſtudiis, adeóque inde in regimine publico nimis prævalerent, ut ſubſidiū ſibi adverſus aſtutias Pontificias, Principes ac Reſpublicæ pleræque Occidentis Jus item Cæſareum foveri volebant atque in pretio haberi. Atque poſtmodom ut Pontificii jus hoc ubi Canones ſui non adverſarentur publicè admitti [o] voluere, ita ſane Principes ac Reſpublicæ Canones deinceps admittere ſoliti ſunt, quoties nec Cæſareo, quà receptum eſt, nec moribus legibúſve patriis refragaretur

n *Cronic. Cronicarum.*

o *Vide Extr. tit. de Novi operis Nunt. cap.* 1. & *Extr. tit. de Privilegiis cap.* 28. *ſuper ſpecula. ad de* Alexandri 3. *Epiſtolam ſub annum* 1180. *ſubjunctam* Petro-Cellenſi pag. 42.

Caput Septimum.

I. *Uſum* Juris Cæſarei, *ſive* Theodoſiani *ſive* Juſtinianei, *in* Britannia *noſtra à fine imperii heic* Romani *uſque tempus ante dictum inſtaurati* Juſtinianei *in Occidente, ſeu per annos amplius ſeptingentos, publico in regimine fuiſſe nullum. Allatæ in* Angliam leges Cæſareæ *ſub ipſum tempus quo earum in* Bononia *ſtudia inſtaurata, ſeu ſub annum* 1140.

II. *Teſtimonium de allatò in* Angliam *ſub id tempus jure ſeu Codice* Theodoſiano.

III. *De* Juſtinianeo *Jure in* Angliam *ſub idem tempus allato, atque tum eximiis interpretationibus illuſtrato tum in compendium redacto heic ab juriſconſulto præcellenti,* Rogerio *Magiſtro* Vacario, *gente* Longobardo, *monacho* Benedictino, Priore & *demum Abbate* Beccenſi *in* Normannia *ſeptimo, qui primus ejuſdem heic prælector extitit doctiſſimus. Edictum, in eum ac Jus illud,* Stephani *regis. Schola diſciplinarum illuſtris tunc Cænobium* Beccenſe.

IV. *In* Annalibus & Hiſtoricis *noſtris ea de re omnino ſiletur* Rogerii

gerii Vacarii, primi *apud nos* Juris Justinianei prælectoris, *qualis apud Jurisconsultos alibique mentio.* Placentino *is perquam invisus. In Archiepiscopum* Cantuariensem *post* Thomæ Becketi *obitum electus confirmatúsque ut consentiret ipse induci omninò nequibat.*

V. *Conjectura seu potiùs suspicio de* Vacarii, *illo in seculo, nomine.*

VI. *Undenam illud* Stephani *Regis edictum; quod citò aut revocatum est aut evanuit. Interdictum sub id tempus Pontificium & Synodicum, ne* leges Civiles *seu* Cæsareas *extra cœnobia sua prælegerent* Monachi.

VII. *De* Anglicanis Jurisconsultis *eo in seculo & præcedentibus.*

AD modum supra breviter ostensum, se habuit Jus Cæsareum tum *Theodosianum* seu vetustius, tum *Justinianeum* seu recentius in seculis quæ à fine *Romani* in *Britannia* imperii excurrunt in duodecimi, ut dictum est, medium seu partes priores; Per eas inquam *Occidentis* partes quas insederunt *Gothi* illi, *Longobardi*, alii quibus Jus illud *Theodosianum*, ut narravimus, diversimodè est receptum. Summa est autem *Justinianei* extra musæa aut Scriptorum cancellos atque Pontificiorum decreta actionésque, usum per illud intervallum fuisse in Occidente (Exarchatus angustias semper excipias) nullum, adeóque nec in *Britannia* seu *Anglia* nostra, quæ nec *Theodosiano* omninò per intervallum illud, sicut aliæ gentes, usus est. Etenim cum sub finem *Romani* heic imperii *Anglosaxones* huc advenerant & regna inter se, ut notissimum est ex historiis nostris, distribuerant, nec, ut gentes illæ Septentrionales reliquæ Australiora Europæ invadentes, corpus Juris Cæsarei *Theodosianum*, utpote nondum aut vix natum nedum in *Britanniam* tunc allatum, aliudve quid ejusmodi receperant, suis tantummodò quos secum è *Germania* attulerant moribus usi sunt. Atque ut apud *Gothos* aliósque qui *Italiam*, *Gallias*, *Hispanias* insederant, *lex*, erat *Gothica*, *Longobardica*, *Salica*, aliis ejusmodi nominibus insignita, ita etiam apud Anglosaxonas nostros habebatur *Merciorum lex*, *Ostrosaxonum lex*, & postmodum *Danorum lex* variatìm recepta, sed nullibi per intervallum hoc *lex Romana*, quemadmodum apud gentes illas exteras. Etenim in regimine publico apud majores nostros hujus quod jam tractamus intervalli, *Cæsarei* alicujus juris usus planè

planè reperitur nullus, id est per annos amplius septingentos. Dico, quà talis. Nam & studiosis aliquot heic uti & apud exteros partim saltem cognitum fuisse, haud dubito; & quà capita seu sententiæ aliquot ejusdem in canones subinde Pontificios conjectæ fuissent, usum ejusdem aliquem in disciplina heic pontificia tunc fuisse, non est quod non credamus. Nec tamen omninò in regimine publico quod Civile vocitamus. Tandem verò sub idem ipsum tempus quo *Lotharius* Imperator proximíque successores ejus usum Juris *Justinianei* in regiminis publici rationem ut ostensum est reduxit, id est, postquam à fine *Romani* heic imperii *Anglosaxones* primò, dein *Dani*, & demum *Normanni* (qui omnes in unicam eandémque regnantium lineam satis involvuntur) Jure sibi peculiari, sed pro vario rerum statu, ut semper fit, aliter atque aliter mutato, quod idem est quod jam *Anglorum Commune* vocitamus, per 740 aut præterpropter annos sine ulla *Romani* aut *Cæsarei* intermixtione fuissent usi; tunc inquam allatæ sunt in *Angliam* leges ipsæ *Cæsareæ* rarò antè, si unquam, heic vulgò aut simul aut sparsim visæ, eæque tam *Theodosiani* corporis, quàm *Justinianei*. Atque *Justinianeum* tandem (utcunque primò quod statim ostendimus heic ita displicuerit ut publico edicto vetaretur) per annos complures apud Jurisconsultorum nostratium aliquot in rebus forensibus adhibitum quemadmodum apud alias tunc gentes. Quatuor autem heic ad hanc rem potissimùm advertenda. Primum est, Tempus ipsum quo sic in *Britanniam* nostram primo allatum est *Jus Cæsareum* & quinam sic afferrent, tam *Theodosianum* quam *Justinianeum*. Secundum, *Justinianei* Admissio, Progressus Usúsque in studiis ac Tribunalibus etiam quæ jure *Anglicano* utebantur Regiis. Tertium, quandonam in desuetudinem abierit Usus ejusmodi vetustior atque in angustias quibus per secula aliquot retroacta finitur coercetúrque fuerit redactus. Et Quartum denique, undenam fieret ut in desuetudinem ejusmodi abierit, seu à majoribus nostris ita cancellis arctaretur. De hisce singulis, & eorum appendicibus aliquot, in sequentibus agetur.

II. Quod ad Primum spectat, tam de *Theodosiano* quam *Justinianeo* jure huc allato testimonia sunt satis luculenta. *Theodosianum* sub tempus antedictum à seculi doctioribus in studia heic receptum videtur ex eo quod *Guilielmus* monachus *Malmesburiensis* præ aliis plerísque ævi sui eruditus polítúsque Scriptor

tor

tor, postquam *Haymonius Floriacensis* Imperatorum, ab *Justiniano* usque in *Carolum Magnum*, gesta in Epitomen seu Abbreviationem, ut vocat ipse, redegerat, insequentiúmque Cæsarum usque ad *Henrici* quinti qui *Lotharium* secundum proximè præcedit exitum seu sua tempora (inde enim floruit, id est ab anno 1125 aut circitèr usque in annum 1142 quo [a] mortuus est sub *Stephano* scilicet Rege) successionem ostenderat, statim, ut habetur in Codice Ms. penes me pervetusto nec *Guilielmo* ipso opinor recentiori, subjungit, *Nunc quicquid de Principibus Italiæ & Romæ potuimus invenire, curavimus non omittere. Congruum videtur leges Romanorum apponere. Non eas quas* Justinianus *fecit. Esset enim hoc ingentis operis & laboris. Sed eas quas* Theodosius *minor filius* Archadii *à temporibus* Costantini *usque sub titulo uniuscujúsque Imperatoris collegit. Ponantur ergo* XVI. *libri ab eo collecti, quorum sententiæ plures explanantur. Quædam explanatione non egent. Divi Theodosii ejusdem Novellarum liber* I. *Divi Valentiniani filii Placidiæ liber* I. *Divi Martiani Orientalis liber* I. *Divi Anthonii & Leonis liber* I. *Divi Majoriani liber* I. Nec quid de *Gregoriano* aut *Hermogeniano* codice loquitur quorum *Theodosianis* editis fragmenta quædam junguntur. *Sed*, inquit, *quoniam quædam sunt in legibus Imperatorum obscura, ad plenum intellectum apposuimus libros Institutionum* Gaii & Pauli *Jurisconsultorum.* Præfixâ dein *Novella Theodosii* prima quam *Epistolam* Theodosii *minoris vocat de Confirmatione legum antiquarum*, Libros quidem exhibet ipsos. Sed adeò mutilos ut integro libro subinde unicus sufficiat titulus, & leges plerísque titulis desint non paucæ, etiam & non raro tituli ipsi. Quinetiam primus in impressis liber omninò deest. Secundus vocatur heic primus, & reliqui pariter deinceps. Atque licet XVI. memoret ipse, habentur heic tantùm quindecim, sed ut dictum est mutili. Ejusmodi nihilominus sunt uti & *Novellæ* Imperatorum sequentium atque *Gaii* & *Pauli* Institutiones ab eo traditæ, ut ex eis haud pauca quæ depravatissimè in editis leguntur sibi possent commodissimè restitui. Dum autem ita exhiberi vult monachus *Malmesburiensis Theodosiana* cum congeneribus jam dictis, de *Justinianeis* planè loquitur velut sibi suísque tunc non ita ignotis, ut ex verbis ejus jam citatis liquet. Veri autem videtur mihi similimum eosdem ipsos qui *Justinianeum* corpus tunc huc attulere etiam & *Theodosianum* illud

[a] *Balæus Cent.* 2. *script.* 73. *Pitsæus Æt.* 12. *script.* 201.

illud quo sic usus est *Malmesburiensis*, simul attulisse, ut ita Juris *Romani* quod Latinè extaret promptuaria haberentur apud nos integra, quà comparari potuerint.

III. De *Justinianeo* autem corpore legibúsve *Romanis* aut *Italiæ* huc publicè allatis (quibus nominibus etiam *Theodosianum* continetur) *Joannis Sarisburiensis*, qui Episcopus erat *Carnotensis* & *Malmesburiensi* monacho aliquanto recentior (anno utpote 1182 seu sub *Henrico* secundo mortuus) testimonium habetur expressissimum. Sub Rege scilicet *Stephano*, qui regnare coepit anno 1136 atque obiit 1154 eas huc allatas, id est sub idem ipsum tempus quo *Bononiæ* publicè eas legendas instituerat *Lotharius* Cæsar & veluti per Occidentalem Europam exemplo suo disseminârat. *Saresburiensis* [b] verba sunt, *Alios vidi qui libros legis deputant igni nec scindere verentur, si in manus eorum Jura pervenirent aut Canones. Tempore Regis* Stephani *à regno jussæ sunt leges* Romanæ *quas in Britanniam domus venerabilis patris* Theobaldi, Britanniarum *Primatis, asciverat. Ne quis etiam libros retineret edicto regio prohibitum est, &* Vacario *nostro indictum silentium; sed, Deo faciente, eo magis virtus legis invaluit quo eam amplius nitebatur impietas infirmare. Theobaldus* hic antistes *Cantuariensis*, qui primò *legati nati* titulo [c] ad successores dein transmisso, ab *Innocentio* secundo donatus dicitur, consecratus est anno 1139 circa triennium antè *Malmesburiensis* obitum. Ex Abbate *Beccensi* fiebat Archiepisc' atq; *Româ* pallium petiit ubi atq; *Rhemis* Synod. aliquoties intererat. *Domum* ejus leges *Romanas* in *Britanniam* asciviffe, intelligendũ videtur de assectis ejus quos in comitatu seu itinere ac redux secum habuerat. *Anglos* carere legibus illis tunc apud exteros ita reflorescentibus noluere illi, adeóq; exemplaria earũ huc transvehenda curarunt, quæ regi ita displicuisse ait *Saresburiensis* ut publico edicto eas vetaret; qua de re statim plura. At quid illud est? *Et Vacario nostro indictum silentium.* Ita enim planè legendum Binæ sunt *Policratici*, in quo hæc occurrunt editiones veteres. Altera *Constantini Fradini*, altera *Bertholdi Rembolti*. Utraque autem anno eodem signatur eodémque mense, anno scilicet. 1513. ac Maio. In *Rembolti* legitur, *Et Vicario nostro* &c. in *Fredini &* *Vacario.* Cæterùm in tribus quæ sunt reliquis (quarum binæ sunt *Lugdunobatavicæ* [d] & tertia in Bibliotheca Patrum [e] reperitur) rectè retinetur & *Vacario*, adjecto nihilominus in margine

b *Policratic. lib* 8. *cap.* 22.

c *Joscelin. Antiq. Ecclesf. Brit. pag.* 127. *edit. Hanoviæ.*

d 1595. & 1639.

e *Edit. Colon.* 1622. *tom.* 15. *pag.* 338.

al

al. vicario, quasi lectio satis esset dubia, & fortè de Vicario *Theobaldi* aliquo leges Romanas seu Cæsareas legente atque de silentio ei indicto res capienda foret. Sed palam est *Vacarii* nomen heic retinendum eoque intelligi *Rogerium* Magistrum *Vacarium*, etiam *Wacarium* dictum, gente *Longobardum*, *qui Lethardo* Abbate *Beccensi* seu Cœnobii *S. Mariæ de Becco Herluini*, Diœcesis *Rothomagensis* in *Normannia* (quæ tunc *Anglo* suberat, uti & diù postea) sexto [f], & *Theobaldi* successore proximo, demortuo, in ejus locum suffectus est, atque tempore *Stephani* adeóque *Theobaldi* cui proculdubio charus erat, in Anglia discipulos perquam multos jura Cæsarea è corpore *Justinianeo* docebat. Ita scilicet expressim Chronicorum *Normanniæ* ab anno 1139 in annum 1238, è bibliotheca *S. Victoris Parisiensis* pridem editorum autor [g], in anno 1148. Sed res spectat ad annum sequentem seu 1149. Nam *Obiit*, inquit ille, *Bechardus* (legendum planè *Lethardus*) VI. *Abbas* Becci *cui successit* Rogerius *Magister* Wacarius *gente* Longobardus, *vir honestus & Jurisperitus, cum leges Romanus anno ab incarnatione Domini* M.C.XLIX. *in Anglia discipulos doceret & multi tam divites quam pauperes ad eum causâ discendi confluerent.* In margine ibi conjecturâ infelici ac frustranea adnotatur *fortè Baccalarius.* Sed *Wacarium* legendum, seu *Vacarium* ex *Sarisburiensis* allatis planè confirmatur. Neque solùm publicè docuit ille sed etiam rogatu pauperum quorũ sacculi non tantos faciebant sumtus ut corpus *Justinianeum* commodè nancisci quirent, uti & eorũ quibus compendiosior Juris tractatio magis placeret, *Pandectas* & *Codicem* (quemadmodũ itidem in pauperum usum postea Summam suam Juris Canonici composuit *Raimundus* quod ait ipse) in novem conjecit libros qui studiosis prompruarii juris ditissimi vicem suppleret. Idẽ de eo autor jam dictus, *suggestione pauperum*, statim post allata inquit, *de Codice & Digesto exceptos* IX. *libros composuit qui sufficiunt ad omnes legum lites quæ in scholis frequentari solent decidendas, si quis eas perfectè noverit.* Docuerat igitur publicè heic Jus *Justinianeum Rogerius Vacarius* sub *Stephano* rege, cujus anno 14, id est 1149. *Lethardo* Abbati *Beccensi* datus est is successor. Et palàm videtur, per aliquot antè annos eum sic docuisse, etiam ex eo quod expressim dictum sit in Chronicis jam memoratis, eum tunc successisse *cum doceret* heic & multi tam pauperes quam divites ad eum eo

[f] *Videsis Claud. Robert. in Gallia Christiana pag. 503.*

[g] *In Scriptoribus Normann. pag. 983.*

nomine considerent. Veri similius est etiam libros ejus heic antè compositos quam Abbas factus est; id est dum Prior *Beccensis* erat. Priorem enim ante fuisse liquet ex *Roberto* de *Torrineio* Abbate etiam *Beccensi* Ms. [g] Nec sanè postquam Abbas factus est, heic docuisse eum, facile ex *Roberto* illo est eliciendum. In anno 1149, ait ille *Obiit sanctæ recordationis dominus* Letardus VI. *Abbas* Beccensis *Ecclesiæ: vitæ suæ cursum virgo senex finivit* VI. *Nonas Julii, Sabbato, infra octavas Apostolorum Petri & Pauli.* Festū illud ad Junii diem 29. spectat, adeóque obiit ille 2. Julii. *Huic sancto viro*, paulò post inquit idem, *successit Dominus* Rogerius *Prior secundus* (scilicet primus fuerat *Lanfrancus* ille posteà Cantuariensis antistes) *in utroque testamento apprimè eruditus, nec non clericali & seculari scientia decenter ornatus & ab omni communiter congregatione electus in ipsis octavis videlicet Apostolorum Petri et Pauli* (id est die Mercurii qui Julii sextus erat) *qui benedictus apud Sanctum Wandregisilum in die festivitatis Sancti* Jacobi *Apostoli* (seu Julii 25.) *à venerabili* Hugone Rothomagensi *Archiepiscopo, ab eodem coram conventu* Beccensi *in sede sua collocatus est, ex tunc super gregem sibi commissum pro posse suo die ac nocte decenter invigilans.* Erat igitur in *Anglia Rogerius* ubi jus prælegebat, cum electus est à monachis *Beccensibus*. Inde in *Normanniam* transiit, ubi Abbas est consecratus. Atque *die ac nocte ex tunc super gregem suum decenter invigilasse* dicitur; unde satis sequi videtur, eū posteà haud à regimine illo sacro ad Juris Civilis prælectionis terris in exteris divertisse. Sed sanè liquet, heic antè, per annos aliquot ab allato Jure *Justinianeo*, eū illud publicè, ut dictū est legisse. Atque observandū est omnigena disciplinarū studia perquā eminenter in cœnobio *Beccensi*, illis in seculis viguisse, indeque *Rogerium* hunc inter studiosos ita demùm præcelluisse *Robertus* ille de *Torrineio*, in an. 1117 *Mortuus est etiam, inquit, hoc anno vir religiosus et magnæ literaturæ* Ivo Carnotensis *Episcopus. Hic dum esset juvenis audivit* Lanfrancū *Priorem* Becci *de secularibus et divinis literis tractantem in illa famosa schola quam* Becci *tenuit, in qua multi & nobilitate seculari et honestate morum convenerunt; viri prædicti, et qui postea ad summum apicem Ecclesiasticæ dignitatis attigerunt.* Et ā dū *Rogerius* hic noster Cœnobio illi præfuit *duodecim Abbates ad regimen ecclesiarum inde assumpti sunt.* [h] Et seminariū erat semper feracissimū.

cœnobium

g In Bibliotheca V. Cl. Simonidis d' Ewes. *Vide Balæum Cent.* 13. *script.* 23.

h *Robert. Montens. in App. ad Sigibert. anno.* 1150.

cœnobium illud unde [i] quamplurimi in præfecturas apud *Anglos* sacras adsciti. Præfuit Cœnobio *Beccensi Rogerius* hic *Vacarius* annis triginti aut circiter. Mortuus est anno 1180. seu sub posteriora *Henrici* Regis secundi tempora, postquã scilicet summa cum laude dignitate illa jugiter functus fuisset. *Nullus prædecessorum suorum excepto sancto* Herluino *primo Abate tanta fecit in* Becco *monasterio quanta ipse*, ut verba sunt *Roberti Montensis* qui ea quæ feliciter præstitit sigillatim enumerat. Successit ei *Osbernus* Prior *Bellimontis*, monachus ejusdem loci. Utrum verò *Oxoniæ, Cantabrigiæ, Londini* aut *Theobaldi* Antistitis *Cantuariensis* in ædibus aliisve id genus sive Seculariũ sive Regularium, professus fuerit prælegerítque heic *Rogerius* ille, non omninò liquet. Nec an certo aliquo loco; quod tamen veri est multo similius.

i Vide Balæum Cent. 13. script. 23.

IV. Sed verò neque Temporis legum Cæsarearum in *Britanniam* nostram sic allatarum, nec *Rogerii*, sic prælegentis mentio mihi hactenus occurrit omninò ulla in Annalibus aut Historiis nostris. Certè *Ranulphus Higdenius* ubi in præfatione Historicos aliósque scriptores nominatim enumerat unde Polychronicon congessit, non solùm diserte *Johannem Sarisburiensem* sed & librum ejus *Policraticum* dictũ in eis memorat, nimirùm de legibus illis huc allatis & *Rogerio* hoc *Vacario*, ut ante ostensum est, expressissimum habetur & præcipuum testimonium. Attamen ea de re, cui sane in *Policratico* totó res alia historica ad *Angliam* pertinens minimè est æquiparanda, omninò silet *Ranulphus* ille. Atqui alibi *Rogerii* illius non obscura mentio. Neque enim dubitandum est quin Abbas hic *Beccensis* Septimus, qui dum Prior ibi fuerat, primus in *Anglia* post instauratum in *Occidente* uti diximus jus Cæsareum, illud publicè prælegit (quemadmodum *Placentinus* annis aliquot post [k] primus ejusdem juris professionem in *Galliis* ad *Montem Pessulanum* propagare cœpit) ipse fuerit *Rogerius* qui *veteris glossatoris* interdum atque *Summæ Juris primæ, Paratitlorum primi autoris, etiam antiqui ac immortalis memoriæ Doctoris* nomine scriptoribus aliquot atque editionibus memoratur. Ab *Wolfgango Freymonio*, primus Jurisconsultorum fit qui ab anno 1200 ad 1300 floruêre. Sed certissimũ est ex antè dictis eum annis viginti ante ducentesimũ supra millesimũ obiisse, atque coævũ fuisse *Irnerio, Martino, Bulgaro, Jacobo, Bandino, Hugolino,*

k Valentin. Forster in Placentino, Joann. Fichardus &c.

Pyleo, *Ottoni*, *Placentino* reliquiſque Juris in *Occidente* Cæſarei quique fuere inſtauratoribus primævis, id eſt, ad *Frederici Ænobarbi* Cæſaris ſeu *Stephani* ac *Henrici ſecundi* regum noſtrorum tempora ſeu ſeculi duodecimi medium & annos aliquot inde ſequentes attinere. *Catellianus Cotta*; *Rogerius Odofredi Beneventani præceptor, qui primus Paratitla conſcripſit, id eſt rerum ſummas titulatim oppoſitas quod à* Juſtiniano [m] *permiſſum fuerat.* Sed tempora vix omninò ferre videntur ut *Odofredo* eſſet *Rogerius* noſter *Vacarius* præceptor. Nã mortuus eſt *Odofredus* [n] anno 1265, cum certum ſit anno 1180 adeóque annis 85 ante mortẽ *Odofredi* obiiſſe *Rogerium*. Et præceptorem ſuum ſeu dominũ millies agnoſcit alium *Odofredus*; ſcilicet *Jacobum Baldwini*, (à quo tamen plerunque diſſentit) nullibi quantum obſervavi *Rogerium*, quem interdũ ſed rarò ſatis citat. *Joannis* & *Azonis* Summæ erant in ore *Odofredo* frequentiſſimæ, ſubinde etiam *Placentini*. *Rogerium* autẽ noſtrum *Antiquorum* nomine complectitur. Ita enim appellare eſt ei ſolenne eos qui *Azonem* & *Joannem* anterveterant, ut reliquos *Modernos*. Ad *L. Eam quam C. tit. de Fideicommiſſis* aliquoties occurrit apud eũ *Ro.* pro *Rogerio* noſtro, alibique ait [o] *in illis tribus quæſtionibus fuit opinio domini Mar.* (Martini) *Pla.* (Placentini) *Rog.* (Rogerii) & *Fregerii & domini Alberici antiqui doctoris.* Sed ſuſpicor ſane *Frogerii* legendum neque nomine hoc alium à *Rogerio* innui; & ſive è librarii ſive è lectoris alicujus notis, ut *Rogerio* ſynonymũ, illud irrepſiſſe. Neque enim *Fregerii* alius Juriſconſulti veteris mentio puto alibi. Et tam *Frogerium* quam *Rogerium* noſtrum hunc dictum, certum eſt. Ita enim diſerte nuncupatur *Placentino* [p]. Atque *Odofredus* ipſe eodem alibi pro eo utitur nomine. De eo quod eſt tranſigi poſſe ſuper præſenti vel futura lite, verba faciens ille, *Eſt ne iſtud verum* (inquit) *ſive moveatur lis juſte ſive injuſtè? dixerunt quidam quod ſic. Et pro eis videtur facere C. e. 11. Dominus* Frogerius *in articulo iſto contradixit. Et ita invenietis ſcriptum in Summa ſua quam fecit ſuper C. et fuit Prima Summa quæcunque fuerit facta. Et tenet forte per x x cartas. Poſt eum fecit Dominus* Placentinus *ſuam. Poſt eum dominus* Joannes Boſianus *fecit ſuam quæ incipit Quicunque vult. Et eſt nulla; et poſtea Dominus* Azo *fecit optimam ſummam qua hodiè utimur.* [q] Sic ille. Summiſtarũ igitur primus *Rogerius* hic, ut Gloſſatorũ primus *Irnerius*.

l *In lib. de Juriſperitis.*

m *L. 1. §. ult. C. de* [illegible] *jure enucleando.*

n *Jo. Fichard. vit. recent. Juriſconſult. in Othofredo, Guidus Panzirolus de claris legg. Interpret. lib. 2. cap. 35.*

o *Ad L. quod tempore C. tit. de Reſtitutionibus Militum.*

p *In ſummæ initio.*

q *Ad l. 1. D. tit. de Tranſactionibus.*

nerius. Certè & Summa Juris Canonici *Rogerio* puto huic tribuitur apud *Antonium Augustinum* r. Atqui inter *Pandectarum* etiam interpretes paululos insigniores expressim recensetur *Rogerius* hic à *Fulvio Mariotello* s uti in *Summistis*, veteribus à *Justino Goblero* t. Rarò satis ab Jurisconsultorum tum biographis alibíve memoratur ejus nomen. Subinde tamen in commentariis occurit; unde etiam in *Modo* veteri *legendi Abbreviaturas* habetur *Reg. id est Rogerius legista* pro eodem. Sed verò *Guidus Panzirolus* u fusiùs de eo atque expressiùs quam alii. *Martini*, inquit ille, *& Bulgari ætate clarescère* Rogerius *cæpit qui primus in eam* Pandectarum *partem quam Infortiatum vocant* (id est librum 24 & reliquos qui usque ad finem 38. sequuntur; iis qui præcedunt *Digesti veteris*, qui supersunt *Digesti Novi* nomine appellari solitis) *glossas emisit* x. *Cum enim publico stipendio non nisi Digestum vetus & Codicem antiqui professores interpretari tenerentur, reliquas legum partes negligentiùs tractabant, nec nisi privatim soluta stipe explicabant, & ob id extraordinarias eas lectiones vocabant. Sed* Rogerius, *ne hæc quoque legum pars obscura permaneret, in eam suas lucubrationes edidit. Primus etiam Juris compendium* (*quod* Summam *vocant*) *viginti Chartarum numerum non excedens composuit* y. *Hunc æmulatus* Placentinus *aliam longè luculentiorem summam emisit tertiam sed inanem* Joannes (*Basianus* scilicet *Azonis* præceptor, *Cremonensis*) *fecit* z. *Postremò verò cæteris locupletiore condita omnes ante se* Azo *superavit*. Rogerium *alii corrupte* Frigerium (lege *Frogerium*) *nonnulli etiam* Fridericum *nominant* a. *Idem de diversis præscriptionibus forma dialogi scripsit, in quo se cum Jurisprudentia loquentem inducit. Nulla ejus mortis aut sepulchri memoria habetur.* Hactenus de *Rogerio* nostro *Panzirolus*. Sed mortem ejus antè ostendimus nos. Dialogus quem memorat *de Præscriptionibus* habetur in Tomo. 17. Tractatuum Illustrium Jurisconsultorum, ubi etiam alius de eadem re tractatulus ejusdem reperitur hoc sub titulo *Rogerii antiqui Glossatoris de Diversis præscriptionibus*. Libelli illi bini etiam eduntur b cum *Azone*, *Dino*, aliis aliquot de Præscriptionibus, ubi nuncupatur ille *Antiquus & immortalis memoriæ Doctor Rogerius*. Breviter memoratur *Gesnero* in bibliotheca, *Rogerii Jurisperiti liber de Præscriptionibus impressus*, qui ipsissimus est Magister *Vacarius* noster. Hic igitur is erat cui indictum est apud

r *In præfat. de Quinque vet. collectionibus.*
s *In Neopædia pag. 164.*
t *In præfat. ad summam Othonis.*
u *De Claris legum interpret. lib. 2. cap. 18.*
x *Odofred. in l. 1. ff. solut. Matrimonio & in l. divortio in princ. eod.*
y *Idem in l. 1. ff tit. de transactionibus.*
z *In summa Azonis in princ. trium lib. Codicis.*
a *Gl. & Odofred. in dict l. 1 ff. de transactionibus.*
b *Lugduni. 1466.*

apud *Joannem Sarisburiensem* silentium, ne scilicet jus heic Cæsareum publicè ut coeperat ampliùs prælegeret. Atque factum est hoc è *Stephano* Rege sub annum ejus 14. qui Christo 1149. respondet, quo legisse eum atque docuisse publicè in *Anglia* ex jam ostensis est manifestum. Atque ut *Irnerius Bononiæ* seu in *Italia*, ita *Rogerius Vacarius* in *Anglia* Juris Cæsarei in Occidente instaurati expositor primus; quemadmodum etiam in Gallia, *Monte Pessulano* erat *Placentinus*, annis nimirùm post *Rogerii* nostri obitum 16. aut circitèr, id est sub annum 1196. quo tempore is *Monte Pessulano* coepit, *Rogerii nominis abolendi cupidus* [a], *eique tenebras se offusurum jactans*. Certè Summam, ut dictum est, Codicis composuit ille. Atque ea, neglectâ tandem *Rogerii* Summâ quæ nullibi puto jam reperitur, apud studiosos, ante *Azonis* editam, primariò obtinuit. Etiam tres posteriores libri Summæ quam dicimus *Azonis*, *Placentini* sunt. Et *Rogerianam* potius inchoatam quam absolutam innuit *Placentinus* qui famæ ejus sanè haud parum invidebat. Memoratur quidem etiam in Rescripto [b] *Alexandri* tertii Papæ de causa in dioecesi *Eboracensi* nuptiali, *Magister Vacarius* ad quem simul cum Abbate de *Fontibus*, mittitur rescriptum, quod *Rogerio* plane coævum est; sed ille per annos complures ante *Alexandrum* illum factus est Abbas *Beccensis* ut ostensum est. Adeóque non credendum videtur eum voluisse tunc Papam M. *Vacarium* tantùm nominare nec ut Abbati alteri dignitatis nomen tribuere. Fortè sane Magister ille *Vacarius* successor erat *Rogerio* in jure Cæsareo heic prælegendo. Tribuuntur autem aliquot in Juris etiam Canonici libros, veluti in summam *Bernardi Compostellani*, glossæ seu interpretationes *Rogerio* [c] ut videtur huic nostro. Sed error est manifestus ex inscitia ejusdem obitus natus. Diu enim antè, seu anno, ut ostendimus 1180 mortuus est. Singularis autem viri existimatio ac dignitas etiam inde edíscitur, quod tum in *Thomæ* Archiepiscopi *Cantuariensis* successorem non solùm ab *Odone* Priore & Conventu, præ aliis magni etiam nominis viris tunc candidatis, *Lambethæ* electus fuerit, verùm etiam ab *Henrico* secundo rege, nec sine suffraganeorum assensu, confirmatus, tum nullo modo induci potuerit ipse ut tantum subiret munus, tametsi instantissimè eam in rem urgeretur. *Gervasius Dorobernensis* in Chronico [d] narrat tria, velut candidatorum, fuisse proposita nomina (quod etiam ex

a *Vide Guidum Panzirol. de Clar. leg. interp. lib. 3. Cap. 20.*

b *Append. ad Concil. Lateran. sub Alex. 3. part. 5. tit. de Sponsal. cap. 43.*

c *Videsis Guid. Panziroll. de Clar. leg. interp. lib. cap. 8.*

d *Ms. an. 1173. in Bibliotheca Cottoniana.*

ex jure Cæsareo [c] faciendum) in quibus *Rogerius* hic, & tunc *Prior*, inquit, *cum quibusdam monachis affuit, & tandem* Rogerium *Abbatem* Beccensem *solenniter elegit, consentientibus utcunque Episcopis* (scilicet *Richardus* de *Luci* summus tunc *Angliæ Justitiarius* ut de Electione hac consulerent, *Londinum Episcopos Angliæ* congregârat) *& assensu regio Electione confirmata, singuli ad sua recesserunt. Et Prior* Cantuariensis *rediens ut suum electum adduceret in proximo transfretavit. Sed spe sua fraudatus est, quia prædictus electus nullius instantiâ induci potuit ad consentiendum. Institit autem Prior acriùs per Regem & legatos* (Pontificis Romani; *Albertum* & *Theodinum*) *qui adhuc erant cum Rege in* Normannia *vim electo inferre gestiens ut consentiret. Sed frustra. Nam cum instarent Rex & legati simul cum Priore nec prævalerent, apud* Sanctam Barbaram (in episcopatu *Lexoviensi*) *in Cœna domini ab electione est absolutus.* Florilegus item; *Anno* M.C.LXXIII. Rogerius *Abbas* Beccensis *electus est in archiepiscopum* Cantuariensem. *Sed Abbas nimis religiosus penitùs contradixit. Sed* Robertus Montensis [f], *ille verò prætendens infirmitatem suam noluit acquiescere electioni eorum. Radulphus* item *de Diceto* [g]; *VI. Non. Martii* (anno 1173) *suffraganei* Cantuariensis *Ecclesiæ ut de Archiepiscopi electione tractarent sub edicto vocati venerunt* Lamehedam; *& quoniam* Lanfrancus, Anselmus, Theobaldus *in ea fide tam lite floruerunt, iidem fortunæ loci quodam modo deputantes, in* Regerum Beccensem *Abbatem* (nam trini illi etiam fuerant *Beccenses*) *si non unanimitèr saltem voce tenùs concorditer convenerunt. Orta est tunc primùm controversia, quis electionem pronuntiaret in publico, Suffraganeis hoc ad jus Episcopi* Londoniensis *ab antiquo pertinere dicentibus* (Nimirùm Episcopus *Londinensis*, Antistiti *Cantuariensi* in collegio suo Episcoporum seu suffraganeorum corpore, erat, ex veteri apud nos jure, *Decanus*, ut *Wintoniensis*, *Cancellarius*, *Lincolniensis*, Vicecancellarius, *Sariburiensis*, *Præcentor*, *Wigorniensis Capellanus*, *Roffensis*, *Cruciferarius* [h]) *Cantuariensibus è contrariò monachis asserentibus Priorem suum hac in re potiùs præferendum. Pro bono itaque pacis, ne quid in absentia regis oriretur discidii, salvo jure partium* Richardus Pictavensis *Archidiaconus in omnium* [i] *adjutorio* [i] *recitavit. Abbas electus hoc intelligens in* Normannia *coram Rege in præsentia Cardinalium* Alberti & Theodoni, *electioni factæ sicut diximus, penitus*

c *Novell.* 123. *cap.* 1. & 137. *cap.* 2.

f *Anno* 1174.

g *Ms. in Bibliotheca Cottoniana.*

h *Lindwod. ad Constit: Provinc. tit. de Pœnis C. Æternæ, verb. tanquam.*

i *f. auditorio.*

penitus contradixit. Hoc eum fecisse religionis obtentu suspicabantur nonnulli. Ab aliis dicebatur quod spiritus pusillanimitate contractus se imparem oneri tanto protestatus sit. Alii; *Electioni factæ penitus contradixit, utrum pusillanimitatis intuitu an religionis incertum est*, ut *Rogerus Wendoverius* & *Mathæus Parisius*. Sed horum in editis *Robertus* depravatè nominatur, uti etiam apud Archiepiscoporum biographos.

V. At curnam ac unde dictus sive hic sive ille alter *Vacarius*? Ita enim, non *Wacarius*, ut in Chronicis ante citatis, nedum *Vicarius* apud *Sarisburiensem*, est planè legendum. Certè si familiæ cognomen fuisset aut locum cognominis ejusmodi occupasset, haud ita commodè dictus fuisset *Rogerius Magister Vacarius*, sed aut *Rogerius Vacarius Magister* aut *Magister Rogerius Vacarius*. Sed fateor locutiones hujusmodi seculis maximè in illis fuisse ut hodiéque satis incertas. At suspicio sanè mihi est, *Vacarium* esse heic, uti etiam in rescripto illo *Alexandri* tertii ad Abbatem *de Fontibus* & *M. Vacarium*, nomen appellativum quo designaretur singulare munus susceptum Juris nempe lectioni heic Vacandi adeóque profitendi. Quo nomine forsan & alii illo in ævo dicti. Ut armis, choreis, philosophiæ, postulationibus vacare usurpatum veteribus pro eo quod est, his enixiùs præ aliis operam dare, ita *lectioni vacare* ac *professioni*, idque in seculo, de quo nunc loquimur. *Joannes Januensis* in Catholico; *Vaco, esse vel fieri vacuum. Et licet videtur ad alias significationes transferri tamen omnes redolent illam. Dicitur etiam vaco lectioni & operam do. Et vaco à lectione, id est deficio à lectione. Vaco nummis, id est careo. Sed istæ omnes significationes redolent primam. Cum verò dico, vaco lectioni, idem est acsi diceretur, vaco ab aliis rebus & insisto lectioni, unde vacat impersonale, id est esse vacuum, vel licitum esse vel opportunum. Unde vacat mihi legere, opportunitatem legendi habeo & non impedior ab alio negotio.* Totidem fermè verba habet etiam in opere de *Derivationibus Hugo Pisanus* [g]. Certè ut *ab aquari, arbitrari, parare* (sensu quo *parare* & *comparare* usurpatur [h] pro *inter se convenire*) *aquarius, arbitrarius, pararius*, alia ejusmodi priscis ritè facta sunt, ita forsan in sensum quem diximus barbara recentiorum audacia nec interim sine veterum exemplis atq; analogia formavit *Vacarius à vaco* ad eum qui præ cæteris lectionibus diligentiùs vacaret, ut sanè *Rogerius* noster fecit, designandum. Certè minùs iniquè ita fit *Vacarius* à *vaco* quam *Accursius* ab *accurro*. Jam verò *Accursius* ipse,

g *Ms. in bibliotheca Lambethana.*
h *Vide Annot. in Festi* Pappi.

i, Advocatorum idolum illud ut à non nemine vocatur, ad *Caii* verba de nominis ferendi conditione hæredis institutioni adjecta, quæ de honestis non famosis aut turpibus nominibus est admittenda, *ut*, inquit, *instituo Te hæredem si imponas tibi nomen meum, scilicet* Accursium, quod est *honestum nomen dictum quia accurrit & succurrit contra tenebras juris Civilis. Secus si dixi imponas tibi nomen* Vespillo *quod est turpe nomen.* Et non ita mirum est ejusmodi eis in seculis nominū compositiones seu derivationes factas esse, cum etiam non deessent qui k dubitarent an *Justinianus* ipse à *Justitia* sic dictus fuisset, an ex eo quod *Justini* esset filius, cui revera ex sorore nepos erat, sed & filius adoptatus. Atque nugacibus hujusmodi conceptionibus adhibent illud *Justiniani* l, *consequentia nomina rebus esse studentes* &c. unde etiam perquam ridiculè *Flavum* illum aiunt nuncupatum (pro *Flavium*) *quia talis erat coloris.* Sed verò in Novellis m *Theodosianis* impressis vox fermè cum *Vacario* eadē occurrit; scilicet *Vecarii. Et apud illustrissimas præfecturas* (sic ibi) *& apud* Vecariis *Rectores Provinciarum de quolibet negotio pulsari* &c. Sed mendum est crassissimum, qualia sunt in impressis illis perplurima. Legendum, apud *Viros Clarissimos* (seu *Vi Clariss.* unde *Vecariis* ibi perperam factum) *Rectores* &c. quod è Manuscripto meo codice ante citato, seu *Guilielmi Malmesburiensis* collectaneis Juridicis palam liquet.

k *Odofred. in præf. Codicis. Alia ejusdmodi in tit. de emendatione Cod.*

l *§. Est et aliud Instit. tit. de Donationibus.*

m *Novell. Theodos. tit. 14. l. 4.*

VI. Haud verò est adeò mirum, *Stephanum* Regem edicto vetuisse leges *Romanas* earundemque libros ita à *Theobaldi Cantuariensis* antistitis domo seu adseclis & proculdubio ejusdem auspiciis in *Angliam* allatos, cum scilicet ei sub id ipsum tempus infensissimus esset rex, utpote qui cum eo quod ad Concilium *Rhemense* injussu regio se contulerat n proscripsit, ut vicissim interdicti sententiâ antistes regnum percussit. *Henricum* etiam Episcopum tunc *Wintoniensem* gratiâ apud regem insignitèr pollentem atque summo conamine *Theobaldo* rebúsque ejus adversari solitum in causa simul vix ambigendum est fuisse, ut Legum prælectiones ac libri *Justinianei* quorum domus *Theobaldiana* ita ut dictum est heic autores fuere ac splendidiùs inde clarescere cœperunt, improbarentur atque ut eorum vetaretur usus. Edicti illius probibitorii meminit etiam *Rogerius Baconius* o celeberrimus ille Philosophus & Mathematicus, Sectæ *Franciscanæ*, qui sub *Edwardo* primo scripsit. *Rex quidem*, inquit ille,

n *Joscelinus in vita Theobaldi. &c.*

o *In Compend. Theolog. seu Opere Minori Ms. in biblioth. Cottoniana.*

Stephanus allatis legibus Italiæ in Angliam publico edicto prohibuit ne ab aliquo retinerentur. Postmodū autem in gratiā regiam redeunte *Theobaldo*, atque, ut fieri amat, secundis de legibus illis cogitationibus habitis, effectu caruit Edictū illud aut revocatum aut evanescens. Adeóque eo non obstante, Libri retenti, Lectiones, Professio habita. Id quod expressim testatur coævus ille idem *Joannes Sarisburiensis* ubi indictum *Rogerio* illi *Vacario* primo heic legum Cæsarearū lectori publico silentium memorat. Statī enim subjungit p; *Sed Deo faciente, eo magis virtus Legis invaluit quo eam ampliùs nitebatur impietas infirmare.*

p *Policratic. lib.8.cap.22.*

VII. Ante hæc tempora, viri, aliàs etiam bonis literis imbuti, legibus moribúsque vetustis *Anglicanis* qui ad regimen attinuere Publicum & Civile, seriò incubuere; atque ex eis in foro Advocati, Judicésque selecti. In Monasteriis, Academiis, Antistitum Clariorum familiis, Collegiis, alibíque pro educationis, qualitatis, dignitatis, opportunitatis discrimine ii degebant. Nullus autem eis sive *Justinianei* sive *Theodosiani* juris usus erat heic publicus. Sed moribus majorum tantùm patrióque utebantur illi jure quod & ante & ad nostra usque tempora *Angliæ Commune* vocitatur, quemadmodum temporibus *Anglo-Saxonicis* ƿoruldrihte seu *jus seculare* seu *mundanum*, ut distinctum à Godesrihte seu *Jure divino*, quod obvium est in legibus *Anglosaxonum*. Scilicet Decisiones præeuntes, quales in juris quibus nunc utimur annalibus, earum rationem mutuámque analogiam præter leges è re nata variatìm novatas mutatásque tum in Musæis tum in Foro tantùm adhibere solebant illi. Hujus generis fuere terni illi Jurisconsulti Anglicani diù ante illatas huc leges *Romanas* seu sub *Guilielmi* primi tempora, id est annum Christi 1070, *Sacolus* & *Godricus* monachi & *Alfwinus* rector Ecclesiæ *Suttunensis*, quos *legibus patriæ optimè institutos* esse testatur tabularium vetus q Cœnobii *Abindoniensis*, ubi item legitur *eis tantam secularium facundiam & preteritorum memoriam eventorum* (id est planè, ut nunc, annaliū juridicorū peritiā) *infuisse ut cæteri circumquaque facilè eorum sententiam ratam fuisse quum edicerent, approbarent. Sed et alii plures de* Anglis *Causidici per id tempus in abbatia ista* (sic ibi legitur) *habebantur quorum collationi nemo sapiens refragabatur, quibus rem Ecclesiæ publicam tuentibus, ejus oblocutores*

q *Ms. in Biblioth. Cottoniana fol. 121.*

cutores elingues fiebant. Et Guilielmus primus dicitur [r] *Londinum* anno suo quarto convocasse *Omnes* è provinciis suis universis *Anglos nobiles sapientes & Lege suâ eruditos, ut eorum & Jura & Consuetudines ab ipsis audiret.* Atque ut antè ita pòst usque in tempora quibus ita in studia ac forum qualitercunque receptũ est heic *Jus Cæsareum*, Jurisperiti ac Causidici nostrates nullo alio jure omninò præter patrium (nisi forsan Pontificii aliquot capita quæ in usu quotidiano excipias) ex instituto imbuti sunt Ex eo genere fuit *Ranulphus* ille [s] *invictus causidicus Guilielmo* secundo regi Procurator primarius; quo tempore qui ex Clericali fuere ordine etiam Juris *Anglicani*, cui seriò incumbebant, peritorum locum maximè supplebant, quod planè etiã innuit *Guilielmus Malmesburiensis* dum inquit, *Nullus Clericus nisi Causidicus*, sub *Gulielmo* scilicet Rege illo. Et sub idẽ ipsum tempus quo primò ita cœpit jus Cæsareum heic alibique recipi, eminentissimus erat pristini planè commatis juris sine ulla Cæsarei intermixione peritus atque exercitatissimus apud nos *Albericus de Ver* Comes *Guinarum* qui procuratoris primarii munus *Stephano* regi gessit. Is ipse est qui *Gulielmo Malmesburiensi* [t] nuncupatur *quidam* Albericus de Ver, *homo causarum varietatibus exercitatus*, quod itidem de eo dicitur à *Rogerio Wendoverio* ac *Mathæis Parisio* & *Westmonasteriensi*, qui insuper, ut res ipsa erat, *Comitem Albericum de Ver* nominant. Scilicet Comes ille *Guinarum* in Normannia erat. Hujus *Londini* in tumultu seditioso trucidati filius *Albericus de Ver* primus fiebat tum à *Matilda* Augusta tum à filio ejus *Henrico* Rege secundo Comes *Oxoniensis*, unde eodem per lineam masculam retento nomine eadem gaudet jam nunc dignitate *Albericus de Ver Roberti* filius, vigesimus *Oxoniæ* Comes, juvenis nobilissimus. Quemadmodum autem *Rogerius* monachus ac Prior *Beccensis* heic, ut ostensum est, prælegebat, ita alii etiam monachi juri tum *Cæsareo* tum *Anglicano*, tam in foro ac scholis extra Cœnobia sua quam intra, tunc incumbere soliti. Atque mos ille quidem & seculis ante *Rogerium* actis & aliquantulum post ejus heic professionem, haud parùm obtinuit. At verò circa quatuordecim à tempore quo ipse heic prælectionem finivit annos, aut planè, quantum ad prælectionem extra Cœnobia attinet, desiisse aut desinere ex Jure Pontificio debuisse morẽ illũ pariter est concedendum. Scilicet anno 1164. in Synodo *Turonensi*

[r] *Roger. de Hovena en part. post. fol. 347. edit. Lond. Francofurt. 601 & seq. in 608. Idem ipsum in Codice Lichfeldensi Ms. in Biblioth. Cottoniana.*

[s] *Guil. Malmesbur. de Gest regum lib. 4. pag. 123. edit. Francof.*

[t] *Hist. Novell. lib. 2. an. 1139.*

nensi constituit *Alexander* Papa tertius *ut nullus omninò* u *post votum religionis, post factam in loco aliquo professionem, ad Physicam Legésve mundanas legendas permittatur exire. Si verò exierit & ad Claustrum suum infra spatium duorum mensium non redierit, sicut excommunicatus ab omnibus evitetur & in nulla causa, si patrocinium præstare voluerit, audiatur. Reversus autem in choro, capitulo, mensâ & cæteris, ultimus fratrum existat, & (nisi fortè ex misericordia Apostolicæ sedis) totius promotionis spem amittat. Episcopi verò, Abbates, Priores, tantæ enormitati consentientes & non corrigentes spolientur propriis honoribus et ab Ecclesiæ liminibus arceantur.* Postmodùm itidem confirmatur tantundem ab *Honorio* tertio x. Ipséque Synodi *Turonensis* Canon in *Gregorianum* Decretalium corpus y recipitur. Atque hinc planè eliciendum, morē anteà nec quidē infrequentem obtinuisse ut monachi alii, quemadmodum & *Rogerius* noster monachus *Beccensis*, tam extra quam intra Cœnobia sua jura Cæsarea aliaque publicè prælegerent docerentque, etiam & postmodum intra cœnobia sua.

u *Apud Guil. Nubrigens. lib. 2. cap. 15. & in Concil. Tom. 3. par. 2. pag. 534. edit. 1618. Antiq. Collect. 1. lib. 3. tit. 37. cap. 2. Append. ad Concil. Lateran. 3. part. 27. cap. 2.*

x *Compilat. Decretal. lib. 5. tit. 27.*

y *Extr. tit. Ne Clerici vel monachi secularibus negotiis &c. cap. 3.*

Caput Octavum.

I. *De Usu apud majores nostros* Juris Justinianei *à tempore* Stephani *regis (quo primùm huc allatum est) per* Henrici *secundi*, Richardi *primi et* Joannis *Regum tempora.*

II. *Usûs ejusdem heic qualiscúnque vestigia sub* Henrico *tertio et* Edwardo *primo; qui* Franciscum Accursium *in* Angliam *ad prælegendum invitavit.*

III. *De tempore* Edwardi *secundi et legibus aliquot ex* Pandectis, *locis ipsarum, more solenni, ab* Jurisconsultis nostratibus *in tribunalibus regiis laudatis.*

IV. *Juris* Justinianei *seu* Cæsarei *usus tum in* Consistoriis Pontificiis, *tum in* Tribunalibus *binis* Regiis (*quorum alteri* rerum Militarium, *aliter* Nauticarum *cognitio propria est*) *uti etiam in* Academiis *nostris usque in nostra duravit tempora.*

V. *Usus ejusdem Juris qualiscúnque is olim fuerit tum in* Tribunalibus *cæteris* regiis *tum in* Jurisperitorum nostratium *studiis scriptisque, quà talium, evanuit sub* Edwardi *tertii initia.*

EX eo quod diximus ita primò allatarum prælectarúmque in *Anglia* legum *Justinianearum* tempore, publicus tum in Studiorum

Studiorum ratione tum in Forensi praxi responsisque ac Consiliis dandis, earum invalebat heic qualiscúnque usus. Nec, ut antè è *Sarisburiensi* notatum est, obstitit *Stephani* Edictum. Quo paulo post mortuo, adeò indulsit *Theobaldo* antistiti ejusque adseclis *Henricus* rex secundus, ut etiam leges illæ heic tutiùs colerentur ac majori, ab aliquibus saltem, inde haberentur in pretio. Ejusce rei specimina habentur clarissima tum apud *Joannem* illum *Sarisburiensem Theobaldo*, cujus domus sic adsciverat *leges Cæsareas* in Angliam, charissimum adeóque domus illius partem non exiguam, tum apud discipulum ejusdem *Joannis*, *Petrum Blesensem*, Archidiaconum *Bathoniensem* & *Cantuariensem* Cancellarium. Apud *Joannem* illum, in locis *Policratici* [a] compluribus; ubi è corpore *Justinianeo* in rem suam testimonia non pauca adfert, eaque velut vim heic obtinentia aut obtinere sibi credita, atque ipsam etiam Legiam Regiam (de qua supra egimus) quasi tunc in ore hominum nostratium non infrequentem. Idem in epistola ad Anonymum [*], sed manifestum est ad prælatum aliquem *Anglicanum* adeóque de rebus *Anglicanis* (quod ex *Lincolniensis* ecclesiæ ibi mentione etiam liquet) *eâ cautelâ*, inquit, *diligentiæ versare in talibus* (in jurisdictione exercenda) *ut videri non possis sitire pecuniam delinquentium, sed quod pastorem decet, quærere salutem animarum. Nosti siquidem quod & seculi Leges eos acerbissimè puniunt lege* Julia *Repetundarum, qui in faciendis ex officio* [b] *& non faciendis sordidum sectantur lucrum.* Loquitur heic, uti etiam in *Policratico* [c], de *lege Julia repetundarum*, cujus est tum in *Digestis* tum in *Codice* titulus singularis, velut ea quam inter leges seculares seu *Anglis* tunc qualitercúnque receptas recensendam admitteret. Alibi item liberos ex damnato coitu genitos *nec jura Civilia nec leges* agnoscere ait ubi [d] reddit *Alexandro* tertio Papæ rationem causæ quæ tum coram se ut judice heic delegato, tum in foro regio inter *Richardum de Anestia* nepotem ex sorore *Guilielmo de Saccavilla* & *Mabiliam de Franchevilla* ejusdem filia, de successione in *Guilielmi* defuncti bona ventilata fuisset. De natalibus *Mabiliæ* quæstio fiebat, spuriáne an legitima illa. Rès, ut fieri solitum, ad Ecclesiasticum examen refertur à Tribunalis regii præfectis, sed in ipso examine & discussione inita *Legum Principum & Civilium* pariter atque Canonum usus fit. Et autoritas *Legum & Canonum* simul affertur, ubi planè Jus intelligitur

Cæsareum

[a] *Lib.4.cap.1, 2, & 6. Lib.5. 13,14,15,16 Lib.7.cap.20.*

[*] *Epist.68.*

[b] *L.4. D. tit. de lege Julia repetundarum.*

[c] *Lib.5.cap.16.*

[d] *Epist.89.*

Cæsareum. Mabiliæ etiam ibi advocatus dum subveniendum vult ei ex parentum Juris ignorantia ac temporis conjugii diuturnitate, rescriptum Divorum fratrum affert de matrimonio *Flaviæ Tertullæ* incesto sed ex ignorantia juris contracto & per plurimos annos sine controversia durante, velut id quod in re tunc in judicium deducta autoritatem sortiretur. Sed rescriptum illud nec in *Justinianeis* nec alibi hactenus reperio. Ex Codicis *Gregoriani* exemplari aliquo eis quibus utimur fragmentis ampliori forsan hausit hoc ille, aut fortè ex *Justi Papirii* codice e, qui puto prorsus jam periit; Divorum scilicet fratrum constitutionum. Verba Rescripti sunt; *Movemur & temporis diuturnitate quo ignorantiâ juris in matrimonio avunculi tui fuisti, & quod ab avia tua collocata es, & numero liberorum. Idcircóque, cum hæc omnia in unum concurrant, confirmamus statum liberorum vestrorum in eo matrimonio quæ vesitorum* (lege *quæsitorum*) *quod ante annos* XL. *concitatum est, proinde atque si legitimè concepti essent.* Et certè in *Policratico* ejus occurrunt veterum alia aliquot haud alibi nunc lecta. *Petrus* autem archidiaconus *Bathoniensis* seu *Blesensis* ille se Juri *Cæsareo* heic diligentiùs incubuisse ostendit f uti & complures alios in familia *Thomæ* Antistitis *Cantuariensis* sub *Henrico* secundo rege convictores. Postmodùm quidem ad Theologiam is transit. Sed intereà qualis juris ejusdem jurisperitorum Cæsareorum usus tunc heic fuerit, intelligendum videtur ex eis quæ de se suísque dum Juris studiis incubuit, similibus in antistitis *Cantuariensis* familia degentibus memoravit. *In domo domini mei*, inquit, *Cantuariensis* Archiepiscopi *viri literatissimi sunt, apud quos invenitur omnis rectitudo Justitiæ, omnis cautela providentiæ, omnis forma doctrinæ. Isti post orationem & ante comestionem, in Lectione, in Disputatione, in Causarum Decisione jugiter se exercent.* OMNES QUÆSTIONES REGNI NODOSÆ REFERUNTUR AD NOS, *quæ cum inter Socios nostros in commune auditorium deducuntur, unusquisque secundùm ordinem suum sine lite & obtrectatione ad benè dicendum mentem suam acuit, & quod ei consilius videtur & sanius, de vena subtiliore producit. Quod si Deus minori quæ potiora sunt revelaverit, ejus sententiæ sine omni invidia & depravatione universitas acquiescit.* Haud ita diu post *Sylvester Giraldus* Cambrensis vixit seu sub *Richardo* & *Joanne* Regibus. Is in Distinctionibus g de

e Cujac. Observ. lib. 1. cap. 1. Freymon in Symphonia Juris.

f Epist. 6. 8. 26. 71. 140. & in opusc. pag. 497

g Dist. 1. cap. 10 Ms. in Biblioth. Cottoniana.

de Principis institutione, *Justinianeas* institutiones citat *Elementorum* nomine, quasi jam pro primariis Juris simpliciter atq; absolutè dictis rudimentisque heic receptas. *In Elementorum libro scriptum*, inquit, *in capite reperies Imperatoriam majestatem non solum armis decoratam sed & legibus decet esse ornatam.* Quæ frontis Institutionum Justinianearum verba sunt. Sed verum quidem est *Elementorum* etiam nomine emitti ex codicibus vetustis Institutiones illas ut videre est in *Cujaciana* editione aliisque sequacibus. Atque ipse *Justinianus* in proœmio sic eas nuncupat. *Gervasius* item *Tilburiensis* in Otiis imperialibus [h] ad *Ottonem* Augustum quartum, de *Britannia* sua ejusque longitudine ac latitudine verba faciens, mensuræ rationem ex Digestis veluti heic receptissimis sumit. Floruit ille sub *Joanne* Rege. *Hæc*, inquit, *insula omnium uberrima in longum tenditur octingentis miliaribus* (scilicet *Bedam* heic sequitur) *in latum ducentis. Vicenis itaque millibus passuum pro dietis* (itineribus diurnis) *computandis ut ff. Si quis cautionibus l. 1. protenditur in longum quadraginta dietis & in latum decem.* Citatis nempe titulo & lege *Gaius* habet, *vicena millia passuum in singulos dies dinumerari prætor jubet*, &c. Quod etiam apud Jurisconsultos nostros olim receptum est in eo quod *Journees accomptes* seu *dietas computatas* nuncupant. Et quam ferax etiam illis in seculis esset Jurisprudentiæ Cæsareæ studiorum *Anglia*, satis ostendit visio illa decantatissima Monachi *Eveshamensis* quæ ficta est anno 1196. seu sub *Richardo* primo. Collocatur scilicet ibi [i] in tertio Purgatorii loco pœnali Clericus ante Monacho benè cognitus. *Atque hic*, inquit monachus, *suo tempore eorum quos Legistas & Decretistas appellant peritissimus habebatur, unde in redditibus* (ita in *Matthæo Parisio*; sed legendum ex visione illa quam habeo per se antiquitùs manuscripta, *earum etiam Facultatum auditores in Scholis quamplurimos instituerat & subinde Magnatum familiaritatem sibi conciliarat. Hinc redditibus*) *Ecclesiarum ampliatus*, *&c.* De Legista aliquo & Decretista aut gentis nostræ aut apud nos degente legentéque loqui eum palam est. Tunc igitur seu sub quadragesimum à prima *Rogerii Vacarii* prælectione, *Legistæ* heic, id est Juris Cæsarei periti fuere & *Decretistæ*, id est Pontificii professores qui à Cæsareo auspicari solebant. Atque hi in scholis etiam tunc aliis Jura prælegebant, nec quidem paucis. Plurimos hunc unum instituisse

ait:

h Ms. in Biblioth. Cottoniana.

i Apud Matth. Paris an. 1196. Roger. Wendover. Ms. &c.

ait monachus heic atque eorum qui sic dicti peritissimum esse habitum; unde sanè etiam à *Rogerii* tempore aut circitèr institutionis ejusmodi etiam in Jure utroque, usum heic fuisse perpetuum meritò sentias, qualis item duravit heic usque in tempora quibus Pontificis apud nos Romani autoritas sanctione Parlamentaria abolita est. Etenim exinde Juris Cæsarei non Pontificii in Academiis nostris Prælectiones, Professio, Dignitates. Dictis verò jam seculis *legum etiam mundanarum periti* [h] vocabantur heic quotquot legibus Patriis Cæsareísque simul operam navarent. Neque apertum semper *juris Cæsarei* heic & *Anglicani* professorum tunc temporis discrimen apud scriptores occurrere comperio. Civilis nomine, quà utriusque heic sed admodum diversus erat in foro, saltem nonnullis, usus, utrumque venisse videtur. Ad hæc autem tempora *Henrici* secundi, *Richardi* primi & *Joannis* regum spectat illud *Gualteri Mapezii* ministri tunc aulici non incelebris de *Goliæ* (hoc sibi nomen fingit) *prædicatione ad terrorem omnium*, & de extremo judicii die.

Cogitate, inquit, *Divites, qui vel quales estis*
Quid in hoc judicio facere potestis.
Tunc non erit aliquis locus hîc Digestis.
Idem erit Deus hîc Judex, Autor, Testis,
Judicabit judices Judex generalis.
Nil ibi proderit dignitas Regalis, &c.
Apud nostros judices jura subvertuntur
Et qui legem faciunt lege non utuntur.

Digesta heic memorat ille dum de omnimodis apud nos judiciis loquitur, quasi in usum passim forensem admissa existimasset. Atque de Cæsareo jure in jus Pontificium quà heic illud exercebatur seculis in illis admisso, testimonia sunt non infrequentia nec obscura tum in Appendice illa Concilii *Lateranensis* tertii sub *Alexandro* tertio, tum in Collectionibus seu Compilationibus vetustioribus, uti etiam in Decretalibus *Gregorianis*, ubi in rescriptis Pontificiis innumera occurrunt de litibus in *Anglia* tunc forensibus tam ex jure Cæsareo quam Pontificio (sed quidem in Consistoriis Pontificiis) institutis quarum ratio ex Jure Cæsareo seu *Justinianeo* etiam discussa. Et scimus sub *Richardo* rege *Justitiarii Angliæ* [k] munus obiisse *Hubertum Walteri* Archiepiscopum *Cantuariensem Ranulpho* de *Glanvilla* discipulum [l], qui in causa proculdubio non esse nequibat ut *Ju-*

h *Vide visionem Thurcilli Purgatorii in Mat. Paris anno* 1206.

k *Matth. Paris in Richardo Rege anno* 1198.

l *Joscelin. in vita Huberti.*

ris

ris Cæsarei sic generi maximè suo heic nuper admissi ratio in studiis foroque haberetur singularis. Quale itidem dicendum de *Cancellariis* [m] *Angliæ* aliisque in summas aliquot publici regiminis præfecturas è genere hieratico tunc, adsciſci solitis. Atque interdum & *Cancellarius* simul & *Justitiarius Angliæ* erat Episcopus, ut *Willielmus Eliensis* sub *Richardo* jam dicto. Sed vero & *legum terræ peritorum* mentio etiam illis in seculis signantiùs habetur apud historicos obvia. Et dubitari nequit, quin quamplurimi *legibus terræ* seu patriis, etiam tunc ita incumberent, ut Cæsareas neutiquam omninò commistas vellent.

[m] *Vide Henric. Spelman. in Glossar. verb.* Cancellarius.

II. De *Henrici* regis tertii tempore hac in re testimonia habentur amplissima apud *Bractonium*, de quibus etiam superiùs est dictũ. Atque huc puto attinet quod in tabulis publicis habetur de *Scholis regentibus de legibus in Civitate Londini* sub eodẽ rege. Verba sunt [n] *Mandatum est Majori & Vicecomitibus* London *quod clamari faciant & firmitèr probiberi ne aliquis Scholas Regens de Legibus in eadem civitate de cætero ibidem Leges doceat. Et si aliquis ibidem fuerit hujusmodi scholas Regens ipsum sine dilatione cessare faciant. Teste R apud* BasingXI. *die Decembris.* Credibile non videtur de legibus *Anglicanis* earúmve prælectione mandatũ hoc fieri Et certe *Londini* antiquitùs, idque diu ante Collegiũ *Greshamium* institutũ, publica aliarũ in scholis erat disciplinarũ, præter Grammaticam, professio ac disputationes [o]. In Registro Ms veteri Consuetudinum Ecclesiæ S. *Pauli*, inter officia *Magistri scholarum Grammaticæ*, quæ olim ibi institutæ, recensetur etiam & hoc, *Item quod more solito deputationes* (lego *disputationes*) *Dialecticæ & Philosophiæ teneat apud sanctum Bartholomæum in festo ejusdem. & Disputata apud sanctam Trinitatem.* Occurrit etiam in tabulis *Henrici* tertii publicis non raro *Joannes* de *Lexinton* seu *Lessinton*, tribunalibus præfectus celebris, qui in Annalibus cœnobii *Burtonensis* [p] *senescallus* Regis vocatur & *vir providus & discretus, & in utroque jure, Canonico scilicet & Civili peritus.* Et notissimum est ex historiis nostris archivísque, præsules & antistites sacros qui tam *Cæsareo* quam *Pontificio* juri etiam incubuerant uti & simul *Anglicano*, regiis tribunalibus illis in seculis sæpius esse præfectos judiciáque exercuisse sanè heic omnimoda. Advocatos autem id genus imbutos studiis, ex genere etiam sacerdotali, forum tunc omnimodum heic frequentasse

[n] *Rot. Claus.* 19. *Hen.* 3. *membrana* 16. *seu anno* 1234.

[o] *Vide Stephanidem de urbe. Lendin. & Jo. Stowæum in Notitia Lendin. pag.* 118.

[p] *Ms. in bibliothec. Cottoniana anno* 1255.

quentasse res ipsas palàm satis facit; quod & manifestum fit ex constitutionibus *Ottonis* & *Ottoboni* legatinis tum de Advocationis officio tum de Judiciis Secularibus hujusmodi generi hieratico heic inhibendis. Quod ad *Edwardi* primi tempora seu sequentia spectat, faciunt huc quæ ex *Thorntonio* & *Fleta* itidem antè observavimus. Quod item pertinet id quod in Archivis de *Francisco Accursii* filio, legum Doctore, compertum est; eum scilicet cum familia sua ab *Edwardo* primo in *Angliam* accersitum, ut proculdubio leges *Oxoniis* prælegeret *Cæsareas*, ipsumque *Franciscum* advenire sibi saltem statuisse, si revera non advenerit. Neque sanè advenisse existimandum videtur ex eis quæ mox ostendimus. Accersitum autem satis ostendit mandatum hoc q ejusdem regis Vicecomiti *Oxoniæ*, de eo ibidem accommodè excipiendo.

q Rot. Part. 4. Ed. 1. membran. 35.

Rex Vicecomiti Oxoniæ salutem. Præcipimus tibi quod Francisco Accursii *Doctori legum vel ejus mandato has literas nostras deferenti, liberes Manerium* (ædes tunc regias ibi seu Castrũ) *Oxoniense ad inhabitandum una cum uxore sua & familia quamdiù nobis placuerit. Nolumus tamen quod tu propter hoc impediaris quin diebus statutis in aula ipsius manerii tenere valeas Comitatum. In cujus rei testimonium &c. Teste Rege apud* Windesore *septimo die Decembris. Franciscus* hic filius erat *Accursii* Florentini illius celeberrimi glossatoris. Atque ut *Accursii* patris nomen millies glossis subjicitur, ita non raro, maximè ad illud quod Digestũ Novũ dicitur, *Franciscus* et *Franciscus Accursii* qui hic ipse est ita in *Angliam* accersitus, glossis subjungitur ejusdem singularibus. Institutiones item habemus cum ejusdẽ Glossis adjectis. Jurisconsultorũ biographi de adventu ejus in *Angliam* haud omninò loquuntur. At verò & pactum iniisse aiunt cum Rege *Angliæ*, (qui planè *Edwardus* noster primus) ut *Bononiâ* in *Galliam* se transferret ad docendum jus *Cæsareum* in territoriis ibi *Anglo* subjectis, atque demum discessisse, sed adeò invitis civibus suis ut bonorum ideò eum mulctarent publicatione, quæ, eo postea reduce, est rescissa. *Guidus Panzirolus* r *à rege Angliæ in Galliam, ut ibi doceret, deducendus erat, quod cum Bononienses præsensissent, pœna publicationis bonorum indicta, præceperunt ne recederet. Ipse verò Cives eludens, omnibus amico venditis, discessit, sed bona nihilominus sunt publicata, unde redire coactus, ubi reversus est,* eorum

r De Claris legum interpret. lib. 2. cap. 29.

eorum restitutionem[s] *impetravit. Intereà Tolosæ jus civile aliquamdiu docuit.* Hinc sanè eum in Angliam non venisse eliciendum est, uti & causa ob quam non venerit juxta pactum cum eo regium. Et *Bononiæ* mortuus est, ubi Pratis ejusque Sepulchrũ habetur cum hac inscriptione brevi [t],

Sepulchrum Accursii *Glossatoris legum*
& Francisci *ejus filii.*

Sed Patri, quem mortuũ esse aiunt anno 1229. superstitem fuisse *Franciscum* hunc usque in annum saltem 1276. liquet ex regio mandato supra ostenso quod ad hunc scilicet spectat annum. De usu item tempore hujus Regis frequenti heic juris Cæsarei maximè inter Sacerdotalis generis homines, seu Clericos qui ut antè sic & nunc (quicquid in contrarium statuerint Canones eorum sacri) dignitatibus heic juridicis etiam in tribunalibus regiis omnimodis sæpè nimis fruebantur, testatur *Rogerius* ille *Baconus* coævus [u] *Omne regnum*, inquit, *habet sua jura quibus laici reguntur; ut jura Angliæ & Franciæ. Et ita fit justitia in aliis regnis per constitutiones quas habent, sicut in Italia per suas. Quapropter cum Jura Angliæ non competant statui Clericorum, nec Franciæ, nec Hispaniæ, nec Alemanniæ, similitèr nec jura Italiæ ullo modo. Quod si debeant Clerici uti legibus patriæ, tunc est minus inconveniens ut Clerici Angliæ utantur legibus Angliæ, & Clerici Franciæ utantur legibus Franciæ; quapropter maxima confusio Clericorum est quod hujusmodi constitutionibus laicalibus subdantur colla. Rex quidem Angliæ* Stephanus *allatis legibus Italiæ in Angliam publico edicto prohibuit ne ab aliquo retinerentur, si igitur laicus Princeps laici principis alterius leges respueret, multo magis omnis Clericus deberet respuere leges laicorum. Addo etiam quod magis concordant jura Franciæ cum Angliæ, & è converso, propter vincinitatem regnorum & communicationem majorem gentium istarum quam Italiæ & illarum. Quare deberent magis Clerici Angliæ subjicere se legibus Franciæ, & è converso, quam legibus Italiæ.* Sic ille. Tametsi de Clericis tantùm loquatur *Baconus*, nihilominùs, cũ certũ sit illo in ævo genus apud nos sacerdotale etiã in tribunalibus regiis partes egisse primarias, dubitari nequit quin ex ejusmodi Clericorum Juris hujus usu, illud etiam in tribunalibus illis subinde invaluisset, & planè, qua tale, inter discutiendum esset adhibitum. Atque consulendus *Joannis de*

[s] *Vide alberic. in l. 17. si qui. C. tit. de rescindenda venditione.*

[t] *Jo. Fichard. in vit. Jurisc. Valentin. Ferst. &c.*

[u] *In Compend. Theolog. seu Opere Minori Ms.*

Acton (*Athona* vulgo vocitamus) commentarius in constitutiones legatinas unde receptum tunc temporis ut ante etiam usum *juris Cæsarei* heic apud Pontificios fuisse manifestum fit. Quibus accedat etiam Formula solennis quâ illis in seculis Antistites *Cantuarienses* libertatem *Juris Cæsarei* professoribus in Academiis legendi indulgebant, illis scilicet qui aliàs à beneficiis suis sacris abesse licitè nequibant. Scilicet in Formulario Ecclesiastico penès me Ms. temporis *Edwardi* primi seu *Joannis Peckhami* Antistitis *Cantuariensis* legitur.

Joannes &c. dilecto filio Magistro R. de B. rectori Ecclesiæ parochialis de W. talis diœcesis, Juris Civilis professori, *salutem &c. Fructum in Dei Ecclesia, quæ ad sui juris regimen literatis permaximè noscitur indigere, per te, Legendo & proficiendo in scientia literarum, afferri sperantes, ut per biennium à datu præsentium numerandum, in* Universitate Oxoniensi *insistere valeas studio literarum & promoveri interim minimè tenearis, nisi ad ordinem subdiaconatus duntaxat infra annum recipiendum à tempore tibi commissi regiminis in Ecclesia supradicta, tecum ratione Juris &c. juxta formam constitutionis* Bonifacii [x]. Cum ex eo *in ea parte editæ, liberè dispensamus, ita tamen quod eidem Ecclesiæ interim deserviatur laudabilier in divinis & animarum cura diligentèr exerceatur in ea. Proviso etiam quod procuratorem idoneum ibi constituas qui medio tempore ordinariis respondeat vice tua, quodque absentiæ tuæ damnum recompensetur eleemosynarum largitione nostro arbitrio facienda. Dat. &c.* Titulus autem in margine est *Dispensatio ad Legendum*, qualis tunc temporis in usu ut hinc videtur non infrequenti.

III. Quæ diximus eo de seculo firmatur etiam ex eo quod occurrit in annalibus Juridicis [y] *Edwardi* regis secundi, è *Richardi de Winchedon* coævi, ac primi ut videtur eorundem consarcinatoris codice perpulchre descriptis, & à *Joanne Bakero* Equite aurato & sub *Philippum* & *Mariam* Reges fisci Cancellarium, bibliothecæ *Interioris Templi* cujus socius erat, donatis. Etenim ibi non solum ipsissima juris Cæsarei [z] ejusque regularum verba, locis intereà ubi sedes habent ipsa, non expressim indicatis in forensi litium apud Judices regios disceptatione aliquoties generatim adferuntur (qui mos etiam hodiéque apud Jurisconsultos nostros interdum reperitur) verùm etiam interdum tum ex juris civilis seu Cæsarei vi rem pendere

[x] C *unic. lib.* 6. *tit. de excessib. Prælatorum.*

[y] *Mss in bibliotheca Interioris templi. Vide ibi* 1. *Ed.* 2. *fol.* 2.

[z] *&* M. 12 *Ed.* 2. *fol.* 151. *a.*

pendere admittitur, tum ipsi ejusdem juris textus juxta tralatitium citandi morem designantur. De Juris Cæsarei vi seu ratione tunc adhibita, veluti juxta quam decisum est aut saltem decidendum tunc fuisse est existimatum, egregium habes ibi exemplum. Statutum habetur [a], *si deprædationes vel rapinæ fiant Abbatibus, Prioribus &c. & ipsi jus suum de hujusmodi deprædationibus prosequentes morte præveniantur, antequam judicium inde fuerint assecuti successores eorum habeant actiones ad bona Ecclesiæ suæ de manibus hujusmodi transgressorum repetenda.* *Titium* Priorem *Walingfordiæ* bonis spoliaverat *Seius*. Dignitate privatur *Titius* suffecto in ejus locum *Sempronio* qui actione [b] hoc nomine utitur in *Seium*. Excipit ille, *Titium* adhuc esse superstitem, adeóque nec morte præventum juxta statutum jam dictum, quo actio nitebatur. Sed decisum est (uti & tam tempore *Edwardi* primi [c] quam biennio antè in causa Prioris Lantoniensis [d] itidem fuerat decisum) frustraneam esse exceptionem illam; ratione quidem heic adjectâ sed ab eo qui primò scripsit aliquantulò discussâ ex Jure Civili seu Cæsareo atq; improbatâ, & demùm ab eo qui descripsit ex eodem jure assertâ. *Quia duplex est* (ita codicis Ms. verba se habent) *mors, & Naturalis & Civilis, & in hoc casu mortuus est Prior quia dignitate privatur. Sed Clericus qui librum istum scripsit videlicet* Richardus de Winchedon *dicit quod salvâ pace seniorum suorum, & salvo meliore Judicio, minus benè dicunt, quia quamvis dignitate privatur, morte Civili non est affectus.* Hactenus *Winchedonius* ille. At verò qui codicem descripsit etiam suam adjicit sententiam. *Sed hujusmodi privatio*, inquit, *dignitatis vocatur, prout memoriæ meæ occurit in Jure Civili, media Capitis diminutio. Sed hic mortuus est Civilitèr qui efficitur servus pœnæ, licet nondum mortuus; sicut etiam qui deportatur in insulam, id est exulat, velut is cui aqua & ignis sunt interdicti, ut utlegatus.* Eadem Decisio memoratur in Annalium ejusdem regis juridicorum Mss. in bibliotheca Hospitii *Lincolniensis*, ratione ad hunc modum tantum adjecta, *Quia duplex est mors, scilicet Civilis & Naturalis, & in hoc casu Prior fuit mortuus, quia dignitate privatur, Jure Civili*, Dignitatis igitur privationem pro media capitis diminutione sumtam, etiam mortem civilem (quam non minus atque naturalem in statuto jam dicto intelligi volebant illius seculi Judices) intulisse existimabant, ideque ex juris

[a] *Stat. Marlebrig. cap.* 30. 52 *Hen.* 3.

[b] *Mich.* 12. *Ed.* 2 *fol.* 151. a

[c] *Temp. Ed.* 1. *Fitzherb. tit. Trespass.* 242.

[d] *Pasch.* 10. *Ed.* 2. *fol.* 133. b

e D. tit. de Capitis diminutione l. 11. Instit. eod. tit.
f Ad l. 2. D. tit. de Capitis diminut. & vide ibi DD. & ad l. 3. D. tit. de senatoribus.

juris Cæsarei e interpretatione. Qua etiam ipsa de re inter Jurisconsultos qui tunc floruerant controversia est habita; quod ex *Odofredo* f Jurisconsulto clarissimo; qui tempore *Edwardi* primi floruit, satis scimus. *Quare*, inquit, *quid si aliquis in dignitate constitutus eam perdit, ut quia princeps, vel Episcopus, nunquid dicitur Capite minui? dicunt quidam quod sic, quia prior status mutatur &c.* Bis item citatas in codice illo Annalium juridicorum Interioris Templi Ms. Pandectas olim observabam, indicatis etiam ut assolet titulis legibúsque. Locus alter est in anno ejusdem regis quinto h, ubi agitur ex conventione quâ promiserat reus actricem in uxorem se accepturum atque intereà alimenta ei suppleturum. Quæstio fit utrum obligaretur reus simulac promiserat, præstare statim promissum; ubi *Hervæus* actricis advocatus, *si ieo me oblige a vous en M.li. & en l'escript il ny ad pas jour de paie nest pas la dette due maintenant apres le fesance del escript? Certes cy est.* Rationem ex Jure Cæsareo sic reddit. *In omnibus obligationibus quibus dies non ponitur, præsenti die debetur ff. de Regulis Juris l. In omnibus*, quæ sunt *Pomponii* verba l. 14. eodem titulo, unde huc ita expressim sunt allata. Sed in codice *Lincolniensis* Hospitii ne litis quidem hujus mentionem reperi. Alter est locus in ejusdem Regis anno duodecimo ubi Actione de bonis aliquot sublatis instituit i *Seius* in Abbatem *Abindoniensem*. Excipit Abbas, consuetudinem in *Abindonia* perpetuò obtinuisse, ut quisquis ibi cerevisiam confecerit & vendiderit, denarium unicum (Tolcestre peny dictum) Abbati persolvere deberet, quo non soluto Abbatibus ex eadem consuetudine jus semper fuisse pignus è bonis solventis capiendi; *Seium* cerevisiam & confecisse & vendidisse nec solvisse, ideóque bona illa se in pignus sustulisse. Ad hæc *Devonius* advocatus heic *Seii*, consuetudinem ait hanc sine ratione atq; ex injuria in alios natam, nec inde jure Abbatem in actorem frui posse aliquo *Quia quod non ratione introductum est, sed errore primo, deinde consuetudine obtentum, in aliis similibus non obtinet ff. de legibus, lege, non obtinet.* Ipsissima sunt *Celsi* ibi verba. l. 39. quæ ita inde in foro à *Devonio* heic Judicibus citantur Regiis, ut lex illa altera è titulo de Diversis Regulis antè ab *Hervæo*. Atque in margine adjicitur heic charactere antiquo *Nota loye, Nota.* Cæterùm in codice *Lincolniensi* quem diximus licet causa ipsa totidem ferme verbis aliàs inferatur,

h Pasch. 5. Ed. 2. fol. 73. b

i Hill. 12. Ed. 2. fol. 156. a Ms.

ratur, citatio ejusmodi habetur nulla. Sed rarissimæ sunt ejusmodi in seculo illo juris apud nostros citationes, quod scimus ex annalibus Juridicis *Edwardorum* tum primi tum secundi. Neque in Primi annalibus quid ejusmodi mihi occurrit.

IV. Cum verò ex antè ostensis satis liqueat, duplicem fuisse apud majores nostros in seculis illis vetustioribus juris *Cæsarei* usum, alterum in Consistoriis Episcopalibus adeóque in delegatorum ad quos ab illis appellatum est foro, eorúmque qui sive Judicum sive Advocatorum Procuratorúmve munera illic obirent Studiis, alterum in Tribunalibus etiam saltem aliquot Regiis, quà eo nomine suique naturâ ab istis distingui solita sunt, atque in eorum studiis qui in Tribunalium ejusmodi actionibus judiciisque se exercerent; Usus quidem prior ejusdem heic Juris, quà scilicet cum Pontificio (velut fere angues invicem caducei Mercurialis) complicatur atque ita ab eo temperatur ut quoties non adversarentur Canones sacri [k], vim in consistoriis illis obtineret, usque in nostra tempora inde duravit. In causis nempe Testamentariis, successionis in bona mobilia ab intestato, institutionum ac substitutionum in ejusmodi bona, aliorum aliquot singularium quorum cognitio consistoriis illis à legibus *Anglicanis* permissa. Atque ejusmodi usus heic luculentèr cernitur tum in Commentariis *Joannis de Acton* in Constitutiones legatinas, qui ad *Edwardi* primi tempora spectant, tum in eis quos *Gulielmus Lindwodus* sub *Henricum* quintum adjecit constitutionibus Provinciæ *Cantuariensis*. Episcopalibus istis quantum ad hancce rem accessère alia non pauca eorum planè instar fora, velut Abbatum complurium aliorúmque generis hieratici quibus jurisdictionis Episcopalis privilegium indultum, uti etiam consistoria utriúsque Academiæ. Nam & in hisce usus juris *Cæsarei* etiam invaluit atque in nostra duravit tempora. Quod verò ad Tribunalia regia, quà vulgo ab his distingui solent, attinet, Bina quidem id genus sunt in quibus ejusdem Juris usus etiamnum ab antiquis seculis retinetur. In Maritimo scilicet, seu *Curia Admiralitatis*, & *Militari* seu *Curia Constabularii & Marescalli Angliæ*, adeóque in delegatorum ad quos ab his appellandum est foro, uti etiam in cognitionibus tum Maritimis, quæ Civiles sunt, tum Militaribus extraordinariis. Præsunt postulántque in his Juris illius professores. Sed verò etiam

k *Videsis citata supra pag 504. Alderan. Mascard. conclus. de Statut. Interp.* 2. §. 254 *&c.*

etiam in his Jus *Justinianeum* temperatum est auctúmque. In *Curia Militari* Monomachia seu certamen litigantium singulare in Probationibus admittitur quod juri *Justinianeo* [l] adversum. In Admiralitatis Curia, quæ in titulis *ad legem Rhodiam de Jactu*, *de Nautico fœnore*, *de Usuris nauticis*, *De Exercitoria actione* occurrunt, alia ad rem Nauticam attinentia è Jure *Justinianeo* adhiberi solent atque ex corpore atque interpretibus ejus expressim depromi. Sed ita ut etiam leges *Oleronianæ* seu consuetudines marinæ sic dictæ, uti etiam alias apud gentes, commisceantur, & primariam obtineant autoritatem. Adeóque falluntur nimiùm viri inter exteros docti [m] qui Anglis *Romani juris nullum esse usum* temere scripserunt. Tantundem de usu juris apud nos Cæsarei ejusque interpretum in fœderibus pactísque cum principibus exteris ineundis explicandísque ac legationum ratione dicendum. Atque ideo proculdubio in binis illis jam dictis Tribunalibus & congeneribus extraordinariis uti & in delegatorum ad quos inde appellatur foro, juris ejusdem usus admissus retentúsque, quoniam adeò frequenter in rerum tum Marinarum tum Militarium actionibus partes sustinent tam exteri, juri huic assuetiores, quam indigenæ. Atque ratio obscura non est cur in *Academiarum* consistoriis adhibeatur, cum scilicet & studium ejusdem ibi floruerit & ad exteros etiam studiis ibi incumbentes pariter atque indigenas lites ibi ut spectent necesse sit.

V. At verò qualiscunque ille in Tribunalibus regiis reliquis aliísve jure *Anglicano* quod Commune dicitur & consuetudinarium utentibus, aut in Jurisperitorum nostratium studiis, olim esset, per intervallum ante memoratum juris Cæsarei ut dictum est usus, is sanè citò postmodum evanuit, circa initia, ni fallor nimiùm, *Edwardi* tertii planè neglectus rejectúsque. Neque enim post *Edwardum* secundum vestigium usûs ejusmodi in annalibus nostris occurrit, nisi ex regula aliqua juris tam ejusdem quam Pontificii interdum sed perraró quidem Latinè * allata, nec interim ut ex alterius libris depromta, usum ejusmodi quis adstructum iret. Quod sanè haud cum majore faceret ratione quam si quis *Liteltonum* jure eodem ideò usum fuisse in elementis suis feudalibus conscribendis, quoniam illud etiam eis qui jus Cæsareum omninò negligunt ignorántque notissimum, *Partus* [n] *sequitur ventrem*, quod juris Cæsarei

[l] C. tit. de Gladiatoribus l. unic.

[m] Renat. Choppin. de Romanio Franciæ lib. 2. tit. 15. §. 5. & videsis Francisc. Baldwin. in Proleg. de Jure Civili.

* Videsis 41. Ed. 3. tit. Laborers 28. Mowbray Extr. tit. de Reg. Juris 72. D. eod. tit. l. 108.

[n] DD. ad l. 7. Partum C. tit. de Rei Vendicatione.

Cæsarei effatum est celebre suis interferuerit, aut *Plowdenum*, *Dierum*, *Coquum*, tantundem in suis fecisse, quoniam & ipse subinde regulas ejusmodi latinè non ut ex Jure Cæsareo petitas sed velut in *Anglicano* natas obiter usurpant. Sub *Edwardi* autem tertii initia inter Jurisconsultos nostrates publicè prorsus evanuisse, & sanè sub *Edwardo* secundo ab eorum paucis culta esse Juris heic Cæsarei studia, eliciendum mihi videtur ex causa Abbatis *Torrensis* sub *Edwardi* tertii media in foro regio agitata; scilicet sub annum 1347, ubi manifestum est, advocatum ex jurisperitis nostratibus satis celebrem, *Skipwithum* nomine, se ea planè tunc ignoràsse vocabula ejusdem juris professum esse quæ cuiquam qui juri Cæsareo omninò incubuisset ignota esse nullo modo quirent. Nimirùm in jus tunc vocatus est Abbas *Torrensis* [o], actione regio nomine in foro institutâ, eo quod in causa fuisset ut Prior quidam in judicium evocaretur *Avenionem* Pontificium de Oratorio extructo *contra inhibitionem novi operis*, nec ab agendo recessisset tametsi rescriptum Regis ea de re prohibitorium accepisset. Ad hunc modum autem *Skipwithus* advocatus, seu *serviens ad legem*, id est, Juris Anglicani doctor, *In ceux parolx* contra inhibitionem novi operis *ny ad pas entendement*, unde petit ut reus absolvatur. Cui *Shardus* Judex, *Ceo nest que un restitution en lour ley, per que a ce n' avoumus regard; mes respondes si vous avez suy countre la prohibition.* Ad alias igitur transit advocatus exceptiones. Id quidem verum est, in corpore Juris Canonici [p] (quod verbis illis *lour ley* heic innui dubitari nequit) titulum haberi *de Novi Operis Nuntiatione*, qua intelligitur denuntiatio prohibitoria seu inhibitio sive judicis sive ejus cujus interest, ne quis vicinio injuriam inferat opus novum extruendo. Sed verò palam est, titulum illum, ut alios aliquot, ex Jure Cæsareo seu *Justinianeo* esse illuc adscitum, ejusdémque juris studiosis seu eis qui libros *Justinianeos* evolvissent incognitum esse non potuisse. Tam in Codice [q] quam in Digestis [r] habetur. Atque in eum seu de eo commentarios antè ediderant celeberrimi jurisconsulti, *Joannes*, *Azo*, *Accursius*, *Hostiensis* [s], *Durandus* [t], *Odofredus*, alii. Et de titulo illo *Odofredus* [u], eaque de re lege, *lex*, inquit, *est utilis* (mortuus est ille sub exitū *Henrici* tertii nostri seu an. 1265) *et multum sibi vendicat locum in Civitate ista* (Bononia) *et ubique terrarum et in*

o *M.22.Ed.3. fo.14.plac.*

p *Extra.lib.5. tit.32.*

q *Lib.8.tit.11.*

r *Lib.39.tit.1.*

s *Summ.lib.5. eod tit.*

u *Ad rubric. C. tit.de Operis Novi Nuntiatione.*

foro seculari & *Ecclesiastico, & materia hujus legis multùm quotidiana est.* Jam verò si pristinus seu qualis apud *Bractonium, Thorntonium, Fletæ* autorem atque in *Edwardi* secundi annalibus juridicis reperitur Juris Cæsarei in Tribunalibus regiis seu apud Jurisconsultos nostrates usus in tempora *Edwardi* tertii jam dicta durâsset, proculdubio *Skipwithus* heic advocatus juris *Anglicani* sanè consultissimus, singularis, integri & notissimi ejusdem juris tituli *de Operis novi nuntiatione* (quod idipsum est *cum inhibitione novi operis*, nec quidem in *Anglicano* jure quid habet analogum) adeo se nescium publice ac in foro ita profiteri noluisset seu *inhibitionem novi Operis* verba esse quæ sensu carerent tam fidenter asserere. Certè nec *Shardus* ipse qui judicio illi præfuit, se verborum illorum satis scientem exhibet dum *Restitutionem* Jure Pontificio in quod è Cæsareo adsciscuntur, eis innui dicit. Neque enim Inhibitio est Restitutio. Sed intereà verum est; ex interdicto illo seu denuntiatione ita restituendum in integrum eum cujus interest, ut quod contra inhibitionem extructum fuerit, sit destruendum, quod tum ex *Pandectis* x liquet, tum ex jure *Pontificio* y. Atque ex his demùm par est ut conjectemus Juris *Cæsarei* usum illum, qualiscunque fuisset, apud Juris *Anglicani* peritos atque in Tribunalibus heic regiis pristinum sub *Edwardi* tertii initia seu circa tempus quo *Skipwithus* ille ipsique coævi nomina Juris *Anglicani* studiis primò dedere, in desuetudinem prorsus abiisse.

x *Tit. de Operis Novi Nunt. l. 20. Prætor.*
y *Extr. tit. de Novi Operis Nunt. c. 1.*

Caput Nonum.

I. Effectus Usûs *qualiscunque* Juris Cæsarei, *per intervallum ante ostensum, apud* Anglos *qualisnam esset. In* Regimine publico *quod* Civile *dicitur, nullus iis admissus.*

II. *Eorum tunc* Juris Cæsarei *in regimine publico usûs* Improbatio.

III. *Singularis eorum* Juris Patrii *seu* Communis *ita vulgò dicti,* Æstimatio *atque in eo* Adhæsio *in regimine Publico pertinax;* Cæsario *interim cancellorum aliquot velut angustiis permissis. Obiter de* Clerici, Clericatus & Clergie *nominibus.*

QUali verò sensu *Bractonius, Thorntonius, Fletæque* autor *Juris Cæsarei* locos, more solenni indicatos, adhibuerint, jam antè

ante [a] diximus. Neque alio sanè reliqui, quorum sub *Edwardo* secundo testimonia allata; quod itidem dicendum de Jurisconsultis nostratibus aliis, quiqui fuerint, eo jure, sive in studiis, siue in discussionibus scriptísve, sive in judiciorum ratione utentibus per intervallum illud, à *Stephani* nempè Regis medio aut circiter seu ab jure illo primitùs huc allato usque in *Edwardi* tertii initia, seu per annos quasi ducentos. Quod autem ad Usûs ejusmodi heic tunc Effectum attinet; quicquid sanè vellent cuperéntve Jurisconsultorum nostratium illi quibus ita utcunque adhibitum est jus illud, id certum est, in Regimine publico quod Civile vocitamus nihil omninò inde (de Tribunalibus regiis reliquísque non Pontificiis, exceptis tantummodò binis antè memoratis *Maritimo* & *Militari*, loquor) consecutum esse mutationis, neque usûs ejusmodi effectum reverâ fuisse alium quàm ut ii qui sic uterentur, ejusdem aut peritos aut sciolos aut amantiores se inde exhiberent, aut, ut illud simul cum *Anglicano* in praxi forensi, accedente autoritate publicâ, admitteretur, cupientiores, non omninò ut in regiminis civilis partes velut vim obtinens reverà reciperetur. Et Gens ipsa tunc *Anglicana* ac qui Judiciis in ea præerant Tribunalium jam dictorum (in quibus etiam ipse *Bractonius* & *Thorntonius* & fortè etiam *Fletæ* autor) morum patriorum, id est, *Juris Communis Angliæ* semper etiam per intervallum illud tenacissimi fuere; adeóque ut neque aut Locutionis, Scriptionis, aut Agendi formulam aliquam in tabulas publicas ex *Cæsareo*, quantum observaverim, desumi admittíve vellent. Tabulas scilicet publicas Actionum, Exceptionum, Transactionum, Judiciorum, aliarumque rerum Civilium & quotidianarum in Tribunalibus illis gestarum per intervallum illud fermè integrum etiamnum in archivis habemus, in quibus haud *Juris Cæsarei* ullatenus tunc admissi vestigia occurrunt magis atque in tabulis id genus publicis ævi sequentis nostríque, in quibus nihil omninò *Cæsareum* redolet; utpote ab ejusdem & lingua & sensu passim discrepantibus, atque vetustatem styli forensis *Anglicani* qualis etiam fuit ea ante *Stephani* Regis seu Juris *Cæsarei* huc allati tempora, præ se ubique satis ferentibus. Adeóque non è scriptis *Bractonianis*, *Thorntonianis* aut *Fletæ* autoris (in quibus usus heic ejusmodi Juris qualis ante ostensus est reperitur) aut è laudatis more solenni locis Pandectarum in Annalibus illis *Edwardi* secundi

[a] Cap. 3. §. 5. pag. 572. Atqui interea.

juridicis, de Effectu usûs heic ejusmodi qualiscunque est dijudicandum, sed planè ex Tabulis jam dictis illius intervalli publicis seu archivis, quibus adjungas etiam innumeras decisiones atque agendi heic per idem intervallum formulas, partim typis editas & passim prostantes partim manuscriptas, uti & Rescriptorum promtuarium quod *Registrum Brevium* vocitamus quæ ex intima *Anglis* vetustate ad posteros transmissa vix vocabulum habent ex jure *Cæsareo* sibi admixtum; cum interim in consistoriorum Pontificiorum ac tribunalium Maritimi & Militaris (in quæ receptum jus illud) agendi formulis, innumera inde desumta comperiantur. Nec sanè citationes illæ pauculæ in scriptoribus illis nostratibus, illæve forenses quæ in juridicis *Edwardi* secundi Annalibus occurrent, majori videntur mihi argumento esse, jus *Cæsareum* in regimen heic publicum tunc receptum esse, velut quod vim reverà atque ex autoritate publica aliquam obtineret (quicquid sentirent illi qui illud sic adhiberent) quam *Platonis*, *Aristotelis*, *Domosthenis*, *Ciceronis*, *Senecæ*, *Plutarchi*, id genus aliorum loca obiter atque sæpenumero apud Jurisperitos *Gallicanos* adhiberi (quod ex editis eorum actionibus judiciisque numerosis scimus) solita argumento sunt eorum effatis aut sententiis vim inesse apud *Gallos* judiciariam. Id tamen prætereundum non est tum seculis de quibus locuti sumus tum insequentibus [b] adhiberi solitos audirique etiam in Tribunalibus jure *Anglicano* aliàs utentibus, Jurisconsultos *Cæsareos Pontificiósque* quoties in actionum ex jure *Anglicano* institutarum discussione orta fuerit incideritque quæstio ex Jure sive *Cæsareo* sive *Pontificio* terminanda, veluti Matrimonialis, Testamentaria, aliáve ex sui natura ad fora seu consistoria quibus Jura illa in paucis permissa sunt pertinens. Sed verò ejusmodi usus Jurisconsultorum illorum seu juris quod profitentur in Tribunalibus jam dictis haud alius est quam ut Grammaticorum, Medicorum, aliorum ejusmodi quoties quæstio ex horum arte decidenda inter litigandum forte fuerit suborta.

b 7. Hen. 6. fol. 11. 6. &c.

II. Causa unde haud major aliúsve atque jã ostensus est Juris *Cæsarei* heic qualitercunque admissi adhibitíque effectus haberetur per intervallum illud quo sic eo usi sunt etiam publice Jurisconsulti nostrates, ex Ratione pendet Duplici. Altera est, Juris *Cæsarei* apud majores tunc nostros (quà regimen publicũ illud

illud omninò spectaret) aperta ac publica *Improbatio.* Altera Juris *Anglicani* quod *Commune* vocitamus ejusdemque principiorum, quà Gentis hujus Genio ab intima antiquitate adaptata sunt, singularis *Æstimatio*, atque inde, nec immeritò, in eodem *Adhæsio* constans & sanè pertinax. Quod ad *Improbationem* ejusmodi attinet; exhibet ejus quidem non exiguum specimen *Stephani* regis edictum ante memoratum in leges *Cæsareas* earumque prælectorem heic primum *Rogerium Vacarium*, uti etiam in *Henrici* tertii [c] Scholarum *Londini* Legum earundem inhibitione ante ostensa. Accedat etiam, sub idem tempus in comitiis scilicet ordinum *Mertonensibus*, responsum publicè datum esse quo satis innui videtur Ordines tunc timuisse ne Jura *Cæsarea* ejusque capita aliqua sive per se sive per *Canones Pontificios*, quibus, etiam ut hodiéque involuta erant, obtrusa, Juri *Anglicano* moribúsque patriis ac majorum multorum seculorum ratione subnixis indéque receptissimis fraudi forent. In causa nimirùm illa singulari [d] quâ Episcopi rogarunt ut liberi in concubinatu nati per subsequens matrimonium fierent legitimi (quod non admittit jus *Anglicanum*) responderunt *nolle se leges Angliæ mutare quæ huc usque usitatæ sunt ac approbatæ*, quasi sanè *Cæsareas* designâssent in regiminis hæreditatum & successionum publici rationem non omninò admittendas. Id quidem fatendum, Episcopos rogationis suæ rationem velut è Jure depromsisse Pontificio; *quia Ecclesia habet tales pro legitimis*; quod quidem antè etiam in Jure Pontificio se sic habuisse scimus ex rescripto *Alexandri* tertii [e] compluribus antè annis in *Angliam* ad Episcopum *Exoniensem* misso aliisque. At verò sententiam illam de subsequentis matrimonii vi, primò ex Jure *Cæsareo* seu *Justinianeo* [f] desumtam in *Pontificium* esse palàm erat; adeóque ne tam insignis fieret in *Anglia* legum, circa successiones in defunctorum bona, mutatio, qualem voluere Episcopi Ecclesiæ Jura heic sed ex corpore planè *Cæsareo* mutuata obtendentes, ac ne ab exemplo hujusmodi aliæ, ut fieri amat, faciliùs introducerentur mutationes, unde etiam potestatem aliquam *Cæsaream* in *Anglos* agnosci fortè existimaretur, rejectum est quod ita est obtrusum, quasi dixissent *Legum Cæsarearum* nec caput hoc nec alia heic admittenda volumus, aut *nolumus mutare leges Anglicanas legibus Cæsareis*, seu, quod idem est, Pontificiis canonibus inde desumtis. Nam simplicitèr se nolle

c *Rot. Clauf.* 19. *Hen.* 3. *membr.* 16. *seu anno* 1234.

d *Stat. Merton. cap.* 9. 20. *Hen.* 3. *seu.* 1235. *vide Bracton lib.* 5. *cap.* 39. & *Fletam lib.* 1. *cap.* 15. § -. & *lib.* 6 *cap* 39.

e *Append. ad Concil. Lateran.* 1181 *Part.* 33. *cap.* 1. & *c.* 6. *tanta est. Extr. tit. qui filii sint legitimi.*

g *L.* 5. *Divi Constant. C. tit. de Naturalibus liberis.*

nostri *Angliæ* leges seu earum capita aliqua mutare in animo planè non habuere. Ipsis enim eisdem comitiis leges *Anglicanas* novarunt adeóque variatim mutarunt; in re scilicet Dotali, Pupillari, Usuraria, Præscriptionibus, aliis, ut in comitiorum capitulis reliquis cuique est videre. Sub idem autem ipsum, comitiorum nempè *Mertonensium*, tempus gravissima (ut obitèr id adnotem) de jure illo *Anglicano* quo pro legitimis non admissi sunt sic ante matrimonium nati, querela habetur *Roberti Capitonis* (*Grossetest*) Episcopi *Lincolniensis* qui abrogari illud debere, probare [h] ex jure Canonico, Naturali, Divino ac *Cæsareo* operosè conatur; in literis scilicet ad *Walterum de Ralegh* Tribunalis regii præsidem quem enixè hortatus est ut in causa, quantum posset, ipse esset ut jus illud heic mutaretur. Etiam audisse se, ait, antiquum apud *Anglos* morem obtinuisse ut ejusmodi liberi pro legitimis haberentur, signumque ejusce rei seu symbolum fuisse positionem eorum sub pallio seu stragulo in ipsis matrimonii solennibus super parentem utrunque extento unde tunc extracti illi velut denuò, adeóque ex conjugatis, nati haberentur. Verba sunt, *Et ut seniorum relatione didici, consuetudo etiam in hoc regno antiquitùs obtenta & adprobata tales legitimos habuit & hæredes, unde in signum legitimationis nati ante matrimonium consuêrunt poni sub Pallio super parentes eorum extento in matrimonii solennizatione*, id est dum nuptiis copulabantur. Sed hoc ut nihili rejicit *Raleghius*, ut liquet ex Epistola ad eum *Roberti* proxima [i] eadem de re. *Præterea*, inquit, *ad confirmandam hanc legem quod Bastardus sub Pallio supra parentes nubentes extento positus surgit Bastardus, induxisti testimonium* Richardi de Lucy (celeberrimi sub *Henrico* secundo *Justitiarii Angliæ*) *cujus testimonium quantam & qualem habeat comparationem ad testimonia Divinæ scripturæ & Canonicæ contrarium testificantia lippis patet & tonsoribus.* Certe consuetudinem ejusmodi in Nuptiarum solennibus unquam apud majores nostros obtinuisse nondum didici, nedum inde natalium aliquam consecutam esse restitutionem. Cæterùm ritum eundem ipsum, sub *Richardo* secundo, quando autoritate Parlamentaria [k] legitimi facti sunt liberi *Joannis Gandavensis* Ducis *Lancastriæ* è *Catharina* uxore tertia ante matrimonium suscepti, idque in ipsis comitiis adhibitum, alicubi legisse me memini. Accedat ad jam dicta de legum *Cæsarearum* heic in illo de

h *Epist.* 23. *Ms.*

i *Epist.* 24.

k *Rot. Parl.* 20. *Rich.* 2. *num.* 28.

de quo loquimur intervallo improbatione publica, gravissimam in illustrissimo illo de successione in Regnum *Scotiæ*, sub *Edwardo* primo, judicio *Norhamiæ* [l] in provincia *Dunelmensi* habito ortam esse quæstionem de Juris genere secundum quod res decidenda esset. Utrum *Anglicano* scilicet, an *Scoticano*, an *Cæsareo* (veluti *Gentium*, cùm à Rege *Angliæ* ut *superiori* tunc *domino Scotiæ*, pro tribunali competitores essent audiendi. Et demùm *Cæsarei* in eo usum non omnino admittendum, unanimes qui intererant pronuntiarunt, ne inde Majestatis *Anglicanæ* juri fieret detrimentum. Tantundem inter alia olim excerpsi è Tractatu veteri Ms. cui titulus, *Quomodo Edwardus Rex Angliæ constituit Joannem de Balliolo Regem Scotiæ*. Tunc enim regio nomine *Rogerus de Brabanzon* loco jam dicto secundum illum judicium tulit. Atque huc sane aliquatenus spectat illud *Edwardi* secundi edictum quo Notariis publicis sive à *Cæsare* sive à Comitibus ejus Palatinis creatis autoritas heic denegabatur, *eo quod regnum Angliæ ab omni subjectione Imperiali sit liberrimum*, ut in publicis legitur tabulis [m]. Adeóque non est quod non sentiamus etiam illo in intervallo, eos qui summæ rerum heic præerant, idem ipsum sensisse quod *Richardus* secundus Rex ac Proceres in Comitiis. Ex eorum scilicet jussu, in tabulis dicitur publicis [n] *que le royalme d'Engleterre ne estoit devant ces heures ne al' entent du roy nostre dit seignior & seigniors du parlament unques ne serra rule ne governe per la ley Civil*. Necdum sanè didici quanam ex ratione scripserit *Joannes Fortiscutius*, *Capitalis* sub *Henrico* sexto *Justitiarius* [o], quosdam *Angliæ* Reges legibus suis minimè delectatos fategisse proinde *leges Civiles ad Angliæ regimen inducere & patrias leges repudiare fuisse conatos*. Regum nostrorum quempiam id fecisse nullibi lego. Rationem quidem reddit ille, curnam id fecerint, Legis scilicet Regiæ (qua de antè diximus) gratiâ. Sed illud interim omnino fecisse eorum aliquem ubinam compertum? Quod verò legitur apud *Joannem Sarisburiensem* [p] *nullas leges credidisse aliquos civilibus præferendas*, inque eis inprimis illud de absoluta Principis potestate, quæ in Lege habetur Regia, observandum, de assentatoribus illius seculi ex genere hieratico aliquot dictum est, non de gente *Anglicana* aut de aliis qui judiciis heic tunc præfuere. Atque prætereundum non est, leges criminales à *Richardo* primo (qui & *Oleronianarum* autor habetur

l *Anno 19 Ed. 1 seu 1292.*

m *Dorf. Claus. 13. Ed. 2. membran. 6. in schedula.*

n *Rot. Parlam. 11. Rich. 2. & videsis Not. in Fortisc. pag. 41. adde Plac. coram rege Mich. 8 Hen. 4. rot. 72. cas.* Pedington & Otterworth.

o *De Laud. leg. Angliæ cap. 33. & 34.*

p *Policratic. lib. 7. cap. 20.*

habetur) etiam Navium suarum classi præscriptas fuisse à *Cæsareis* diversissimas, nec quid in præfectorum ejus codicillis quorum exemplar legitur apud *Rogerum Hovedenum* [q] & *Matthæum Parisium* [r] de legibus hisce omninò contineri. Adeò ut nondum in causis maritimis apud nos earum quidem tunc fuerit admissio.

q *Annal. part. 2. pag. 666. edit. Franc.*

r *Anno* 1190.

III. Quod ad singularem per intervallum illud Juris *Anglicani* seu Patrii quod *commune* vocamus *Æstimationem* inque illo *Adhæsionem* spectat; cernitur quidem illa satis in ipsis *Articulis Coronæ* & *Placitis* idque genus aliis quorum sub *Henrico* secundo & *Richardo* primo habemus specimina apud *Hovedenum* & *Parisium*, atque etiam in Jurisconsultis nostratibus qui per idem intervallum scripsere, maxime autem in Tabulis omnimodis ejusdem intervalli publicis. Parile eliciendum ex Juramento ipso solenni quo obstringi etiam tunc soliti illi qui Judiciis præficiebantur. *Joannes* ille *Saruburiensis* de tempore *Henrici* secundi [s]; *Et quidem Judices sacramento legibus alligantur jurati, quia omni modo judicium cum veritate & legum observatione disponent.* Quod sanè utcunque velut ex *Justiniani* [t] verbis sumatur, nihilominùs ab *Anglo* & in *Anglis* dictum, de legibus patriis seu Jure nostro consuetudinario, id est, *legibus Angliæ & consuetudinibus rectis*, quæ illius seculi [u] phrasis erat, intelligendum. De quibus etiam alibi ille [*] *sed & leges ipsæ & consuetudines quibus nunc vivitur, insidiæ sunt & laquei calumniantium. Verborum tendiculæ proponuntur, & aucupationes syllabarum, vel simplici qui syllabizare non novit.* Atque in formula Juramenti quod subibant illis in seculis Judices in regimen publicum constituti tam ex genere hieratico quam alii, expressim continebatur *se judicaturos secundum legem & consuetudinem regni*, ut liquet ex juramento à Judicibus sub *Henrico* tertio in regimen publicum constitutis ad morem solennem præstito. Verba inter alia sunt [x] *bonâ fide procurabunt quod magnus sicut parvus judicabitur secundum legem & consuetudinem Regni.* Quod puto ideò signantiùs adjectum, ne ex Jure *Cæsareo* nuper advecto & à nonullis, maximè ex genere hieratico, proculdubio perquam adamato atque præ *Anglicano* in pretio habito, judicia omninò ab illis exercerentur. Inde etiam inolevit locutionis formula illa *lex Terræ*, quâ, uti etiam *legis* & *consuetudinis regni* nomine, disertiùs designaretur Lex juxta quam vivendum judicandúmque, sic ab *lege Cæsarea*, Civili vulgo nobis & tunc

s *Policratic. lib. 5. cap. 12.*

t *L. 14. C. tit. de Judiciis.*

u *Matth. Paris. circa initium Richardi primi &c.*

* *Policratic. lib. 5. cap. 16.*

x *Anno 1257. seu 41. Hen. 3. in Annalibus Burtonensibus Ms.*

tunc simpliciter dictam, omninò distinctam determinatamque. Inde *legis Terræ* in haud rarò mentio in *Magna Charta* y alibique singularis. Et *Legum antiquarum* & *Consuetudinum Angliæ* in summis illis inter *Joannem* z Reges & Proceres dissidiis. Alia ejusmodi vocabula frequentiùs apud majores nostros adhibita, ut legem aliarum adeóque *Cæsarearum* quæ *Anglicanis* tunc velut imminebant, in regimine publico usus præcluderetur. Verba etiam tantundem significantia in Juramentis à regibus nostris illius intervalli (uti & temporis insequentis) in eorum Coronatione præstitis legibúsque ab eis latis expressim occurrunt, unde negata est *Cæsareo* heic juri in regimine publico, utcunque subinde adhibito, tunc vis omnimoda. Atque ex hisce certè minùs mirum est ejusdem qualemcunque usum sic ut antè ostendimus in Tribunalibus jure *Anglicano* utentibus tandem prorsus evanuisse. Id verò ex eo etiam facilius evenit quòd sub idem tempus quo sic evanuit ejusmodi juris usus, mos alius pariter apud nos desiit, Judices scilicet regios ex genere hieratico, veluti Episcopis, Abbatibus, Decanis id genus aliis constituendi. Dein enim, vix aut ne vix quidem eorum quisquam ex illo genere, cujus pars eminentior in Academiis Juri tam *Cæsareo* quam *Pontificio* plerumque incubuit, Tribunalium jam dictorũ (excepta tantùm Cancellaria *Angliæ*) judiciis præfectus est, utcunque Ministri illis ipsis tribunalibus inservientes aliique in regimine publico conspicui ex illo genere etiam tunc & diù postea desumi [a] solerent, unde eorundem ministri, qui per secula aliquot ex illo genere non omninò fuere, uti & id genus alii, etiamnum *Clerici* fortè nuncupati. Sed verò licet priscis in seculis Christianis [b], etiam & scriptoribus Ecclesiasticis, *Clerici* & *Clericatus* nomen ad eos tantùm qui divino cultu ministeria religionis impendunt denotandos eorumque innuendam dignitatem adhibeatur, quo sensu etiam vulgo hodiéque retinetur [c] nihilominus apud *Gallos Anglósque* tam veteres quam recentiores usurpatum est de eis etiam qui quocunque doctrinæ seu scientiæ genere pollent; veluti Philosophis, Mathematicis, Historicis, Jurisprudentibus, Formulariis, id genus aliis nec solum de Theologis seu qui ex genere sunt hieratico. Unde vox illa *Clergie* pro ipsa scientia seu Doctrina generatim sumta, & *Clericus* pro sciente ac docto. Hoc sensu *Grandclerc*, *Beauclerc*, *Mauclerc* Gallis adhibitum,

y *Cap.* 29.

z *Matth. Paris. ann.* 1217. *seu* 17. *Johann. R.&c.*

a *Vide Henric. Spelman. in Epist. Dedicator. ad concilia Eccles. Brit.*

b *L.* 2. *Cod. Theod. tit. de Episcopis & Clericis, Justin. Novell.* 123. *Isidor. Orig. lib.* 7. *cap.*

c *Vide Lindwood. ad tit. de Temp. Ordinand. C qui quidam verb. Clericum.*

d *Pasquier de Reccrchez de France lin.* 8. *chap.* 13.

bitum, uti & *Clergie*, & *grand Clergie* pro *summa Doctrina*. Et fragmentum habetur [e] pervetusti libri rythmis Gallicanis conscripti qui dicitur *il livre de Clergie en Romaunz, ki est appellez le ymage del munde*, cui præter aliqua de creatione prælibata nihil inerat nisi quæ ad Astronomiam, Geographiam, artes alias liberales attinent. Et Capitis Sexti libri primi titulus est, *De trois manieres de genz ke li philosophie poseront au mounde, e coment* Clergie *vient en Fraunce*. Id est, quomodo Doctrina & scientiæ liberales in *Franciam* venerint. Et postea

Ki bien veult entendre cest livre
E savoir coment il doit vivre
E appendre tiel Clergie
Dunt meuz naudra tut sa vie &c.

[e] Ms. In biblioth. Cottoniana.

Hinc *Henricus* rex noster primus, *Belloclericus* seu *Beauclerc* dictus. Et *Galfridus Chaucerus* Philosophos Græcorum veterum Clericos appellat.

Sometime in Greece that noble region
There were eight Clerks of full great science,
Philosophers of notable discretion, &c.

Alibi tantundem facit, nec rarò. Cum igitur in Tribunalibus ac consistoriis omnimodis, præter Judices, ministri sint, atque horum alii Scribarum, Actuariorum & qui id genus alia subeant munera quæ sine Doctrina qualicunque præstari nequeunt, nomine veniant; alii Ostiarii, Lictores, Præcones sint, jussis tantùm citra artem exequendis inservientes; Clericorum nomen non his sed illis ob doctrinam seu scientiam seu artem illam qualémcunque atque etiam amanuensibus & ab epistolis aliis tribui est solitum; uti item *Ephesiorum* γραμματεὺς in Actis [f] Apostolorum seu *Scribæ*, quem Town Clerk in versione dicimus *Anglicana*. Translatione proculdubio facta ab hieratico genere cui primò proprium erat & in quo numerosiores semper fuere, quam in alio aliquo, qui scientia qualicunque ejúsve obtentu claruere. Sic Chaldæi, Auguris, Aruspicis nomina, sic alia nec ita pauca translata ad eos qui revera ipsis, si originem spectes, non omninò continentur. Sed demum ex antè ostensis satis liquet undénam in Cancellos, quibus est juxta superiùs dicta coarctatum, jus illud apud nos fueris redactum. Et de his satis supérque.

[f] Act Apost. 19.35.

Caput

Caput Decimum.

I. *De tempore Autoris. Nec sub* Edwardo *tertio, nec Secundo scripsisse.*
II. *Sub* Edwardo *Rege primo Commentarium hunc scriptum.*
III. Fletæ *Nominis ratio.*
IV. *De* provisione omnium Regum Christianorũ *circa Regum* Alienationes, in *Commentario hoc memorata:*

AD *Fletam* ipsum redimus. Restat ut de Tempore quo compositus seu ab Autore absolutus est Commentarius hic & de Nominis ratione videamus. Quibus etiam non illibenter adjicimus monitum de loco perinsigni quo *Provisio quædam omnium Regum Christianorum* de Donationibus seu Alienationibus regiis hactenus puto aliunde inaudita in eo memoratur. Ex præfatione expressim liquet sub *Edwardo* Rege scripsisse autorem. *Quàm in subditis tractandis æqualis jugiter appareat, quàm eleganter &c. Edwardus*, inquit ibi, *Rex noster hostilitatis tempore &c.* An verò sub Primo, Secundo an Tertio, non inde constat. Sed ex *Edwardis* hisce regem illũ fuisse dubitari nequit. Primum autem haud fuisse *Edwardum* illum sub quo absolutus saltem est Commentarius hic argumento quidem esse videtur haud infirmo locus ille in *Capitulis Coronæ & Itineris*, ubi mentio *Edwardi* patris Regis. Verba sunt [a] *Qui receperint debita regis vel partem debiti & debita illa non acquietaverint tam de tempore Regis E.* (neque enim in Ms. *Edwardi* nomen aliter designatur) *patris Regis quam de tempore præsenti.* Idem enim ipse articulus tempore *Edwardi* primi etiã ad hunc modũ concipiebatur [b], *Qui ceperint debita regis vel partem debitorum & debitores illos inde non acquietaverint tam de tempore domini Regis* Henrici *quam de tempore domini regis nunc.* Ergo, si ita scripsit autor ipse, *Edwardus* Rex primus non erat is sub quo scripsit. Sed aut Secundus aut Tertius quorũ utrique pater *Edwardus.* Sed de loco illo mox plura. Anne igitur sub Tertio scripsit? Nequaquã omninò si quid video. Satis scilicet diligenter de Naufragiis, actione Dotali, aliisque ea affert quæ in constitutionibus habentur parlamentariis *Edwardi* primi uti & non pauca ex legibus *Henrici* tertii. Nullibi autẽ constitutionem aliquam *Edwardi* tertii memorat, quod ut

a *Lib. 1. cap. 20. §. 59.*

b *Capitul. Itineris in vet. statut. impress. Londini 12. Jun. 1556. part. 1. fo. 156. b*

ut non fecisset credibile non est si sub eo omninò scripsisset. Etenim, exempli causa, in ipsis *Edwardi* Tertii initiis [c] lex lata est de Convictionibus (sic actiones nostras perjurii forenses quas *Attaints* vocitamus appellant veteres illi) qua jus de eis pristinū adeò est immutatum ut sanè immutationem nullam tradere voluisse scriptorem hunc ubi de Convictionibus fusiùs [d] quidem & diligentiùs ageret si post eam latam scripsisset, non est quod ambigamus. De eis enim non semel loquitur quà ex jure tunc pristino ac Sanctione parliamentaria *Edwardi* Primi [e] tantùm pendent, quas scilicet esse vult ejusmodi ut non nisi ex duodecim virorum perjurio in actionibus de fundo aut rebus fundi congeneribus jureque perpetuo possessis quas *liberum tenementum* idiomate forensi nuncupamus, admittendæ essent, neque sic sanè citra gratiam ac arbitrium regium. Etiam sanctionis ipsius affert versionem quæ legitur, *concedit rex convictiones quotiescunque sibi videbitur expedire* pro eo quod est in Comitiorum, quibus lex illa lata est, lingua *Le Roy de son office desormes donera attaints &c. quant il semblera que besoign soit.* De jure illius ævi ipso locus non est hic disserendi. Consulat qui velit scriptores nostros illud copiosiùs tractantes. Hoc solùm heic animadvertimus, *Fletæ* autorem non omninò memorare jus ea de re insigniter in ipsis *Edwardi* tertii initiis sive mutatum sive explicatum, ut scilicet ex ejusmodi perjurio etiam in injuriarum actionibus idque ex Cancellarii *Angliæ* autoritate legitima seu officio locum haberent Convictiones. Hoc prætermittere voluisse qui sub *Edwardo* tertio scripsisset existimandum non est. Initium Comitiorum quibus lex ea lata est in ipso erat regis hujus coronationis die, scilicet festi B. virginis crastino, id est *Februarii* tertio, cum decem nec amplius dies regni sui cujus primus erat *Januarii* 25. præterierant. Adeòque nec ante legem illam latam sub *Edwardo* Tertio scriptioni tempus erat. Certè nec in accuratiori illo de Convictionibus tractatu sanctionem parlamentariam anno *Edwardi* Secundi decimo tertio latam, quæ *de Attinctis* dicitur, omninò memorat, unde nec autumandum est eum post annū illū seu Christi 1320 scripsisse. Nec sanè quidquam eorum quæ temporis sunt *Edwardi* Secundi alicubi exhibet. Atque illinc sanè, si aliud non obstat, nec sub Secundo *Edwardo* scripsisse sed antè, censendum est. Neque sanè quid obstat omninò præter locum superiùs de

E.

c Stat. 1. 1 Ed. 3. cap. 6.

d Lib. 5. cap. 22. vide § 8. et 16.

e 3. E. 1. Westm. 1. cap. 38.

f Vide Bracton, lib. 4. de assisa utrum cap. 4. Britton. cap. 97. & 98. Andr. Horn. cap. 4. sect 19. cap. 5. sect. 1. 77. & sect. 4 pag. 324. et Coke Instit. part. 2 fol. 237. &c.

E. patre Regis allatum, qui mihi quidem tanti non est ut non satis interea credam *Edwardum* Regem in præfatione memoratum adeóque ipsum sub quo scripsit fuisse Primum. Exemplar illud vetustum unde editio fit & quod puto unicum est, *Edwardi* Secundi aut forsan Tertii tempore videtur exaratum. Nam autographum esse aut ab autore ipso fuisse recognitum negant planè tum menda non infrequentia, tum lacuna una & altera seu inter scribendum hiatus, quasi librarius aut legere aut intelligere dum describebat ibi nequîsset. Adeóque probabile satis est librarium sub *Edwardo* Secundo, aut *E. patris Regis* pro *H. patris regis* (id est *Henrici* tertii patris *Edwardi* Primi) oscitantèr seu negligentiùs substituisse, aut *Articulos* illos *Coronæ* sic praxi sui temporis forensi etiam in ipso autore imprudentiùs adaptasse. Certè quisquis statutum anno *Edwardi* Regis Primi tertio [g] de debitis suis simul ac patris editum cum articulo illo ac cum Autoris nostri [h] statutum illud recitantis verbis contulerit, haud ægrè forsan id concesserit. Maximè cum etiam alia sint quæ *Edwardum* Primum Regem fuisse sub quo commentarius hic scriptus est non obscurè evincunt. Ejusmodi etiam habetur, ut id obiter adnotem, aut lapsus aut glossema in *Gilberti Thorntonii* quem ante diximus exemplari veteri de autoris tempore. Legitur ibi [i], *dari non poterunt aliter* (quam ut possideantur, velut ab usufructuario, non à domino) *singulari personæ res quæ sunt spiritualibus annexæ sicut corrodia ex Abbathiis & domibus religiosis percipienda & hujusmodi in quibus nullus vendicare sibi poterit liberum tenementum, temporibus retroactis. Sed hodie per statutum Regis* Edwardi secundi *fiat breve de Corrodio subtracto sicut de libero tenemento.* Ita citatur statutum *Edwardi* Secundi, cum manifestum sit *Thorntonium*, ut ostensum superius est, sub *Edwardo* Primo scripsisse, etiam & obiisse. Adeóque ita scribere ille nequibat. Certè dicere potuerat ille *per statutum Regis* Edwardi *Westmonasterii secundi* [k], quo lex illa de Corrodio, anno scilicet ejusdem regis 13, lata. Sed videtur potiùs librarii esse glossema, nec illorum verborum quid post *poterit*, *Thorntonium* ipsum scripsisse. Eo usque sunt *Bractonii* [l] quem in summam redegit ille verba. Nec consonum omninò esse *poterit* τῷ *temporibus retroactis*. Nec sui temporis leges inserere solet *Thorntonius*, *Bractonii* personam passim induens. Quod verò ad *Fletæ* autorem attinet; certè si simpliciter

g Stat. Westm. 1. cap. 19.

h Lib. 2. cap. 33.

i Gilb. Thorntoni. Ms. lib. 1. cap. 19.

k Westm. 2. cap. 29.

l Lib. 2. de acq. rerum dom. cap. 5. §. 7.

pliciter tum egregias tum immensas *Edwardi* in præfatione laudes spectes, vix est ut eas ad *Edwardum* Secundum pertinere potuisse omninò admittas. Et de Tertio quæstio ultra non fit. Atque ita de alio quam Primo haud sumendus ille laudum cumulus forsan videatur. Sed interim de Præfatione autoris hujus hoc advertendum, eam ita esse à capite fermè ad calcem compositam ut potiùs ex formula veteri aliísque regibus ab aliis antè nec semel tributa sumi videatur, quam de ipso qui ibi nominatur Rege revera dici sive singulariter aptari. Id quod haud ægrè concedet quisquis præfationem hanc cum illa quæ & *Scoticarum* legum codici *Regiam majestatem* dicto & *Ranulpho de Glanvilla* præfigitur contulerit. Eadem enim ipsa fermè verba in altera *Henrico* nostro Secundo, in altera *Davidi* Scotorum regi Primo attribuuntur quæ in *Fletæ* autoris præfatione *Edwardo* suo. Adeóque laudes illæ qualescúnque fuerint non ita in argumentum heic trahendæ.

II. Atqui alibi in ipso opere expressissima sunt temporis quo conscriptum est vestigia unde *Edwardum* in Præfatione memoratum seu eum sub quo scripsit autor Primum fuisse palam satis constat. Primò, de Templariorum privilegiis, quâ lex sub *Edwardo* Primo [m] de Crucibus erigendis lata ea spectat, loquitur [n] velut eorum qui dum scribebat ipse pariter ac Hospitalarii florerent. At sub ipsis *Edwardi* Secundi initiis Templarios planè desiisse nescit nemo nisi qui & juris nostri & historiarum sit omninò nescius. Secundò ubi formulam habet [o] rescripti regii *Moderata Misericordia* dicti quod lege subnititur in *Magna Charta* lata [p], verba tempori suo adaptans ad hunc modum nomine regio concipit, *Contra tenorem Magnæ Chartæ Regis H. patris nostri in qua continetur quod nullus liber homo amercietur &c.* Heic ut ipse *Edwardus* Primus innuatur necesse est, cui pater *Henricus* tertius. Tertiò *Dominus Rex*, inquit [q], *nuper in Parliamento suo apud Acton Burnell habito &c.* Parliamentum illud ad annum *Edwardi* primi undecimum spectat. Et formula illa *Dominus Rex* Regem designare solet superstitem. Quartò etiam, capite citato, *per formam* [r], inquit *statuti Regis anno regni regis* (prætermisso ex librarii incuria decimotertio) *editi apud Westmonasterium*, statutum *Edwardi* Primi *de Mercatoribus* dictum planè innuens. Quintò, *Henricum*

[m] *West.* 2. *cap.* 37.
[n] *Lib.* 2. *cap.* 50. §. 16.
[o] *Lib.* 2. *cap.* 66. §. 26.
[p] *Cap.* 14.
[q] *Lib.* 2. *cap.* 64 §. 1.
[r] §. 6.

cum Regem Secundum proavum expressim nuncupat Regis sub quo scripsit. Et *Edwardo* Primo eum fuisse proavum, id est patrem *Johannis* Regis, patris *Henrici* Tertii, patris *Edwardi* Primi, nemo ignorat. Scilicet ubi [s] in *Henrici* tertii *Magna Charta* capitulum habetur de *Scutagio* [t] *capiendo sicut capi consuevit tempore Henrici regis avi nostri*, quo nomine planè *Henricus* designatur Secundus, noster legem illam suis recitans verbis, *inhibetur*, ait, *quod nullus destringatur pro scutagio, sed capiatur sicut capi consuevit tempore H. Regis proavi regis nunc.* Sensum ipsissimum legis *Henricianæ* retinet quà *Henricum* Secundum *Henrici* illius avum spectat; proavum interim eundem ipsum regis sui, id est *Edwardi* Primi rectè vocans. Scio quidem viros aliquot nominis magni [u] aliter sentire atque è nonnullis quos adhibuimus locis perperam intellectis sub *Edwardo* Secundo & Tertio *Fletæ* autorem vixisse existimare. Sed abundè satis mihi ex antè allatis probatur regnante *Edwardo* Primo opus ipsum conscriptum fuisse; adeóque ex eis esse quæ jussu *Edwardi* primi sicut & *Thorntonii* Summa, & Compendium *Britton* dictum, à Jurisconsultis clebrioribus [x] componebantur.

[s] *Lib. 2. cap. 66. § 16.*
[t] *Cap. 37.*
[u] *Coke in præf. ad part. 8. Relat. alibi Cowell in interprete.*
[x] *35. Hen. 6. pl. 42. a.*

III. Quod ad nomen libri attinet; reperitur quidem in scriptoribus *Britanniæ* [y] Autor *Guilielmus Flete* seu *Fleta* dictus, exteris plerunque *Anglus* seu *Anglicus*. Sed is Theologus & Theologica tantum scripsit, è secta Heremitarum *Augustinianorum*. Et scripto hoc planè recentior est utpote qui sub *Richardo* secundo floruit. Nominis autem ratio apud autorem in Præfatione manifesta est. *Tractatus iste*, inquit, *qui meritò* Fleta *poterit appellari, quia in* Fleta *de Jure* Anglicano *conscriptus est, in tres partes dividitur principales. Fleta* verò heic notissimus est apud nos carcer the Fleet dictus & à præterlabente fluviolo sic nuncupatus. *Fluvius* enim *Fluctus* seu *æstuarium* Flete *Anglis* dictum. Unde per metonymiam, ut *Hispanis* Naulum *Flete* dicitur à fluvio seu *fluctu* quo navis vehitur (ita volunt aliqui [z]) sic illis dicto, è quo habent item *Fletador* & *Fletamiento*: ita & nobis carcer ille uti & navium pariter classis, ac vicus insuper fluviolo illi adjacens. Certè si *Cicero* Quæstiones *Tusculanas* *Tusculum* nominaverat, eadem ipsa qua noster usus fuisset in libro denominando ratione. Sic *Ovidii de Ponto* libri nominantur. Atque apud Majores nostros usus erat non infrequens, & tempore

[y] *Bal. Cent. 6. Scrip. 41. Pitz. Æt. 14. Script. 648. ann. 1380.*
[z] *Sebastian. de Couarruvia in Thesauro ling. Castellanæ.*

pore quo floruit *Fletæ* autor & superiori, scripta & acta publica à loco in quo transfigerentur ea quæ in eis continerentur nuncupari. Sic *Clarendonenses* Recognitiones, sic *Magna Charta Johannis* Regis, *Charta de* Runningmede, sic Statuta aliquot sub *Edwardo* Primo, *Westmonasterium primum, secundum, tertium* (quod & pueri sciunt) etiam & *quartum*, ut *Glocestriæ* ac *Exoniæ* statuta sic dicta prætermittam. Quisnam autem in *Fleta* autor commentarii hujus fuerit nullibi quantum scio aperitur. Sed è carcerariis seu custodiæ traditis eum fuisse non est quod dubitemus. Certè scimus quamplurimos eorum qui judiciis sub *Edwardo* Primo præfuere, viros quidem maximos & ævo in illo jurisconsultos celeberrimos, repetundarum & quod lites suas fecerant aliósque præter ministros forenses aliquot meritò damnatos, mulctis, exilio, ac carcere punitos esse, è quibus veri satis est simile autorem hunc fuisse. In annalium nostrorum consarcinatoribus [a] obvia sunt damnatorum nomina. Et vetus quem habeo annalium scriptor Ms. in anno 1288. *Incarceratio Justitiariorum domini Regis scilicet* Thomæ *de* Weylond, Johannis *de* Lovetot, Willielmi *de* Brampton & Adæ *de* Stratton *de quo dominus Rex habuit quadraginta mille marcas & ampliùs præter vasa argentea & aurea.* Et de his aliisque *Petrus* de *Langtoft* Ms. vetus Chronographus rhythmicus.

[a] Vide ex vet. Mss. Helinshed. & J. Stowæum anno 1289.

Quant le Roy Edward *avoit demore*
Troiz annez de la mer Dieu l' ad remene.
A son repoir trova par pleinte presente
Ses Justices & ses clerks attaintz de fausete.
Les uns avoient, pardouns, les leys destourne.
Les autres la coroune avoiente viole;
Thomas de Weylaunde *en banc primes nome*
Par agard du court le reigne ad forjure.
En la terre de France sans repoir est ale,
Ses compaignons, ses clerks sunt pris e mene
A la toure de Londres, deliveres par mene;
E sur ceo chescun de office est pryve:
E lys de Begyngham *nest pas entechele*
Et Johan de Metingham *le chef est demore.*
Sire Rauf de Hengham *ad taunt dispute*
Ke du baunc le roy perdu ad le see.
Sire Adam de Stratton *est dur demene,*

Ico

Jeo cray ke saums deserte nest il pas blame
Or, argent, sans noumbere au roy ad il done,
Avoir chaunta pur luy placebo domine,
Dilexi quoniam *fraude & fausete.*

In numerosa autem illa Jurisconsultorum damnatorum turba vix dubitandum est quin fuerint aliqui carceri *Fletæ*, utpote supremis apud nos tribunalibus præ carceribus aliis idque ex jure vetustissimo inservienti, traditi. E quibus si negaveris nostrûm fuisse, non omninò contendam.

IV. Locus autem ille quem diximus apud autorem hunc perinsignis, qui & satis prodigiosus mihi videtur, ad hunc modum se habet, ubi de Donationibus agit a. *Res quidem Coronæ sunt antiqua maneria Regia, Homagia, libertates & hujusmodi, quæ cum alienentur, tenetur Rex ea revocare secundum Provisionem omnium Regum Christianorum apud Montem Pessoloniam, anno regni regis* Edwardi *filii regis* Henrici *quarto habitam.* Alia apud eum b habentur, de alienatione regia, consona. Sed verò itane? Omnium regum Christianorum de patrimonii regum alienatione revocanda, Provisio habitane est tunc temporis apud *Montem Pessulanum*, urbem scilicet *Languedokii* inclytam quam nunc *Mompellier* dicimus? Neque enim puto alio de loco *Mons* heic *Pessolonia* intelligendus est. Nam & urbs ipsa etiam *Mons Pullerius*, & *Mons Pisciculanus* alitérque nonnullis pro libitu dictus est. Annus ille quartus *Edwardi* primi quo asseritur heic hujusmodi ibi Provisionem habitam partem habet annorum Christi 1275 & 1276. Incœpit nempe *Edwardus* ille die 16 Novembris 1272, adeóque inter diem 16 Novembris anni 1275 atque eundem in anno 1276 diem Conventus habebatur aut Regum ibi omnium Christianorum aut legatorum qui vicaria hac in re potestate fungerentur. Reges Christiani tunc erant *Michael Palæologus* Imperator *Orientis*, *Rodulphus* primus *Occidentis* seu *Germaniæ*, *Galliæ Philippus* Audax, *Castellæ* & *Leonis Alfonsus* decimus, summus ille Astronomus & *Partitarum* autor, *Scotiæ Alexander* tertius, *Daniæ Ericus* octavus, *Poloniæ Boleslaus*, *Hungariæ Uladislaus* quartus, *Aragoniæ Jacobus*, *Bohemiæ Ottocarus*, *Carolus Siciliæ*, *Hugo Hierosolymorum*, atq; alii fuere minoris nominis qui Regum Christianorum vocamine tunc fruebantur.

a *Lib.* 3. *cap.* 6. §. 3.

b *Lib.* 1. *cap.* 8 *in init.* & *cap.* 17. §. 17. & vide Cowell *Instit. lib.* 2. *tit.* 8. *in princ.*

fruebantur. Atqui in Annalibus Historiisve alibive, extra hunc autoris nostri locum, non omninò opinor reperiri aut volam aut vestigium horum eorúmve aliquorum ibi conventus ejusmodi, aut missos illuc legatos qui de ejusmodi re aliqua transigerent. Certè sub idem tempus, atque ut aliqui volunt, anno ipso 1275 [c], concessit *Rodulphus* primus Cæsar *Gregorio* Papæ decimo *Bononiam* & latifundia circumquaque amplissima quæ ante Imperii Romani pars insignis. Sed de anno ipso non consentiunt scriptores. At sub idem tempus factum certo certius est. Tantundem item tam à successoribus subinde quam à decessoribus factum, nec omninò revocatum. De re ipsa sanè seu de patrimonii regii alienatione revocanda occurrunt quædam apud veteres pluribus annis quartum *Edwardi* primi anteverṫentia. Illustre est rescriptum [d] *Honorii* Papæ tertii de *Andreæ* secundi *Hungariæ* regis alienationibus sub annum Christi 1220. ad Archiepiscopum *Collocensem*. *Azonis* item Jurisconsulti illius summi vetustíque, sed diù ante quartum *Edwardi* primi annum, demortui, eadem de re sententia nec adeò Provisioni huic dissimilis citatur ex ejusdem disputationibus [e]. Et quæ huc spectant leguntur in [f] *Alphonsinis* circa annos 25. ante quartum *Edwardi* nostri editis, uti etiam in *Gregorianorum* Decretalium [g] corpore annis triginta sex aut circiter ante hunc *Edwardi* edito ut qui ad illud antè conscripsere prætercam. *Bractonius* [h] item noster de donationibus regiis non ita dissimilitèr monet. Adde *Matthæum Parisium*, *Gulielmum Nubrigensem*, alios in initiis *Henrici* secundi. Sed verò ètiam post illum annum seu tempus Provisioni jam dictæ tributum eadem ipsa de re perquam diligenter disputarunt docueruntque Jurisconsulti non pauci, quorum nemini Provisionis ejusdem mentio puto omninò aliqua. In compendio Juris nostri illo *Britton* [i] dicto & non ita diu post annum illum conscripto, expressa habetur doctrina de donationibus regiis, uti etiam apud *Thorntonium* [k] qui intra annos sexdecim à quarto illo summam suam edidit. Neque tamen aut in hoc aut illo Provisionis ejusmodi mentio aliqua. In *Thorntonio*, fateor, utpote *Bractonii* Epitomatore, illo recentiora me non reperire. At in compendio illo altero occurit nonsemel quod ad annos quartum illum proximè insequentes attinet. Atque si Provisio ejusmodi reverà extitisset, mirum est eam ibi neutiquam memorari. Neque sanè in librorum nostrorum Juridicorum

c *Vide Aventin. Annal. Boiorum, lib. 7. Gordon. Chronic. ann. 1275. Paul. Langium Chronic. 1273. Durand. specul. tit. de Rescript. Præsent. §. 9. num. 18.*

d *Extr. tit. de Jurejurando c. 33. intellecto & videsis Quintam compilationem Decretalium lib. 2. tit. 15. cap. 3 & ibi Innocent. Cyronium.*

e *Disp. cujus initium An dominus Rex apud Feudum Choppin. l. 2. tit. 1. §. 6.*

f *Partit. 2. tit. 1. l. 8. & Part. 3. tit. 18. l. 29.*

g *Tit. de Jurejurando c. 33.*

h *Lib. 2. de acquir. rerum dom. cap 5. § 7, fol. 14 a. & fol. 37. a. & vide cap. 24. §. 2. &c.*

i *Cap. 34 des Dones fol. 87. b*

k *Lib. 1. cap. 19.*

Juridicorum in quibus versamur reliquorum aliquo Provisionis hujusmodi vestigium habetur ullum, ne quidem in *Joanne Foriscutio* l qui sub *Henrico* sexto de regiis donationibus revocandis disertiùs loquitur. Sed interim argumenta in libris illis nostris reperimus satis luculenta, quæ ejusmodi fuisse planè nullam evincunt, ut statim dicemus. Atque imponi sibi passus est proculdubiò carcerarius heic noster, seu *Fletæ* autor dum sive à preregrinatione reduces aliqui homines leviores ac ut fieri amat locutuleii (fortè à Concilio Generali paulò ante *Lugduni* habito) sive literæ libellíve de Provisione hujusmodi in eorum quorum itereat utcunque rem sparsi, offucias illi aliísque forsan obtrusere. Hallucinationes id genus apud nimis credulos haud ita raræ. Et sanè prodigiosarum rerum exterarum narrationem usus nunquam infrequens. Exterorum quidem viri perinsignes de re ipsa seu Alienatione Principum supremorum sive stabilienda sive rescindenda plurima conscripsere, in intervallo nimirum quod ab anno *Edwardi* primi quarto cui tribuitur hæc Provisio, huc usque excurrit. Veterũ sententias, *Cæsarum*, Regum sanctiones, placita forensia alia ea de re diligentissimè corrogant; Provisionis, quam diximus aliúsve congeneris planissimè ignari. Id palam docebunt tum Doctores in *Extr. tit. de Jurejurando c. intellecto* 33. tum *Bartolus* m, & *Baldus* n reliquique ferè ad titulum *quis dare feudum possit*. Quibus inter vetustiores adde Speculatorem seu *Durandum* o. E recentioribus autem qui huc faciant complures satis sunt in singularibu suis commentariis obvii. De imperio *Germanico* aliisque regnis quantum ad hanc rem *Petrus Belluga* p, *Restaurus Castaldus* q, *Arnulphus Ruzeus* r, *Reginerus Sixtinus*, s *Henricus Bocerus* t, *Horatius Montanus* u, id genus alii de Regalibus scribentes, & qui Donationem tractant *Constantini*, *Franciscus Hotomanus* x, *Joannes Bodinus* y, Codex *Henrici* quarti Juris *Gallici* & *Romani* z, *Petrus Thelosanus* a, *Renatus Choppinus* b, *Gregorius Lopez* in Partitas c, *Bartholomæus de las Casas* d, *Alfonsus Azevedo* e, *Georgius Cabedo* , *Hugo Grotius* g, ut quos hi obiter memorant prætermittamus aliosque satis numerosos. Disputant scilicet hi quandoque etiam indagine diffusiori ac diligentissima utentes, de Regum Largitionibus Donationibúsque ac alienatione Regaliumque usucapione. Nec quid ad eam rem alicubi sive apud veteres sive recentiores attinens

l In tractat. de Dominio Regali & Politico Mr. m Add. ſ erhibere §. plane D. quod viant clam.
n In c. unico §. præterea Duc. tit. de prohibit. feud. alien.
o In tit. de Instrum. editione §. 11. num. 11.
p Specul. Princ. Rubrick. 8. 1. 2.
q De Imperatore quæst. 104.
r De Jure Regal. priv. 42. n. 4.
s De Regalibus lib. 1.
t De Regalibus ca. 4. §. 36. &c.
u De Regalibus in Præludiis §. 28. 29. &c.
x Illust. quæst. 1.
y De repub. lib. 1. cap. 10.
z Lib. 7. tit. 2.
a Syntagm. juris univers. lib. 6. cap. 6. §. 16.
b De Domanio Franciæ. lib. 2. tit. 1.
c Lib. 2. tit. 2. l. 8.
d In Quæst. utrum Regis vel principes alienare &c. Tubingæ 1625.
e ad constit. Reg. lib. 5. tit. 10.
f Part. 2. Decis. Lusitan. 40. n. 6
g De Jure Pacis & Belli lib. 2. cap. 6. §. 3. & cap. 14. §. 12.

omittere volunt eorum plerique. In iis *Itali*, *Germani*, *Batavi*, *Galli*, *Hispani*, iique celeberrimi atque historiarum jurisque peritissimi; cum interim Provisionem illam omnium Regum Christianorum, qualis proculdubio eos latere non quibat, omninò ignorent. Quid quod etiam ex ipsius anni *Edwardi* primi quarti, cui tribuitur hæc Provisio, Comitiis Parlamentariis palam constat Donationes seu Alienationes apud nos Regias tum præteritas tum futuras pro legitimis satisque validis nec eo nomine omninò infirmandis censeri. Habebantur Comitia illa post festum *S. Michaelis*. Jam verò quarti illius anni finis erat dies Novembris 16 proximè insequens. Ante autem comitia illa Provisionem hujusmodi factam satis negat eorundem de Donationibus alienationibúsque regiis omnino admittendis Sanctio quod *statutum de Bigamis* f vocitamus. Et perexiguum post illa Comitia relinquitur quarti illius anni tempus, per quod uti & secula quæ sunt huc usque insecuta ita obtinuere tum Sanctiones Parlamentariæ tum Regni moris, ut, Provisioni ejusmodi locus nunquam apud nos agnosceretur ullus. Et Donationes Latifundiorum quæ sacri patrimonii pars, regiæ frequentissimæ & pro libitu regio semper olim apud nos majoresque nostros factæ fuere, firmæque, si rectè aliàs factæ, mansere, modò excipias eas quas aut infirmarunt Sanctiones aliquæ Parlamentariæ, quibus largitionibus regum aliquorum prodigentiorum & procaciori aulicorum importunitati frenum temporarium subinde est injectum, aut autoritas eadem pro re nata, cum ampliores multo quam par erat viderentur, revocavit rescidítque. Alia autem omninò est ratio ipsius Regni majoribus nostris habita. Nam cum sub *Edwardo* tertio in Ordinum consessu quæstio habebatur de donatione illa decantatissima *Johannis* Regis facta *Innocentio* Papæ h tertio & successoribus ejus; unde *Urbanus* quintus tum annuum inde natum mille Marcarum, *Angliæ* & *Hiberniæ* simul nomine, censum sibi tunc solvi petebat, tum Regnum utrunque jure tantùm beneficiario atque ut Sedis Romanæ Feudum à Regibus nostris contendebat possideri; Ordines universi, idque tam generis hieràtici (quod mirere) quam Proceres seu Senatus Populúsque in Comitiis illis, solenni inita deliberatione, responderunt unanimes irritam planè fuisse *Johannis* Donationem illam, utpote tam sine Ordinum assensu quam juramento ejus inaugurali

f *Cap. 1. et 2.*

g *Rot. parl. 11. Rich. 2. Pet. com. num. 23. et 24. 11. Hen. 4. Pet. Com. num. 25. &c. et vide stat. de Resumpt. 28. H. 6. in Archivis Parlamentariis.*

h *Matth. Paris anno 1214.*

i *Rot. parl. 40. Ed. 3. num. 8.*

rali adversam. *Et outre ceo* (sic loquuntur archiva) *les Ducs, Countes, Barons, Grandes, & Commens accorderent & granterent que en cas que le Pape se afforceroit ou rien attempteroit per proces ou en autre manere de fait de constreindre le Roy ou ses subgitts de perfaire ce que est dit q' il voet claimer celle partie, q'ils resisterent & contreesteront ove toute leur peussance.* Ita in sententia ipsa pronuncianda socii erant genus hieraticum; licet, ut vides, non in professione viribus omnimodis etiam repellendi vim artésque si quæ usurparentur ad extorquendum heic Pontificias. Si qua autem Provisio de Alienationibus Regiis revocandis ejusmodi qualem memorat noster antecessisset, omnium Regum Christianorum consensu munita, fieríne potuisse existimandum, ut eam etiam in illustri hac decisione aut adhibendam noluissent aut omninò ignorassent. Nec minùs, ut à nostro memoratur, ad alienationes præteritas rescindendas quam futuras spectare videtur. Nec certè aliud sic censuere ordines illi sub *Edwardo* Tertio, quam quale Rex ipse *Edwardus* Primus in literis suis [k] ad *Gregorium* decimum eadem de re anno proximo ante illum cui tribuitur hæc Provisio conscriptis. Quale etiam eadem ipsa de re uti & de aliis ejusmodi in tam insignem Imperii diminutionem alienationibus citra Ordinum assensum factis, pronunciarunt *Philippus* Augustus *Galliarum* Rex ejusque Proceres, cum *Waloni* legato Pontificio *Johannianam Donationem* illam frivolam nequitiâ Pontificiâ extortam intra biennium à tempore quo facta est procaciùs obtendenti responsum [l] darent. Sed de his hactenus.

k *Rot. Claus.* 3 *Ed.* 1. *mem.* 9. *in Schedula. Et vide Coke Instit. part.* 4. *fol.* 13.

l *Matth. Paris ann.* 1216. & *videsis Arnisæum de Donat. Constantini cap.* 6.



FINIS.

555